Ol. F. Moratae [illegible] versus [illegible]

Ebind. Jo. Weshemius fil. [illegible]

Non ego docta mihi nasceri Fulvia quaero,

Cum mea ab Aonidulo rivulo fonte [illegible].

O utinam faciles aspirent Musae Morellas,

Surgeret ex Musis laus mihi digna meis.

Commendat et Thuanus Hist. l. 24. p. 447.

G. Gyrald. lib. 2. de poetis nostri temp.

Chr. [illegible] Comment. in vita [illegible].

Gentlenus Tom. 2. Chronicorum p. 276.

OLYMPIÆ

FVLVIAE MORATAE, FOEMINÆ DOCTISSIMÆ, AC

planè diuinæ, Opera omnia cum eruditorum testimonijs.

Quibus, præter C. S. C. Epistolas selectas & orationes: Nunc demum accesserunt, M. Antonij Paganutij fabulæ ex Aesopo Latinè factæ, & Ioannis Boccacij quædam ex Italico.



BASILEAE.

EX OFFICINA PETRI PERNAE.

M. D. LXXX.

D. ELISABETAE ANGLIAE, FRANCIAE, ATQVE HYberniæ Reginæ, Ecclesiæ Christianæ veræ patronæ,

CÆLIVS S. C. S. P. D.

QVæri à nonnullis solet, ELISABETA *Regina lectissima, quid causæ sit, cur cũ vna sit animorum nostrorum origo ac natura, qua sapimus, atque ad hanc humanitatẽ informamur, tãta existat in humano genere morũ studiorũque varietas, ita vt non modo à fœminis viros: verumetiã vtrosq; inter sese, viros à viris, & à fœminis fœminas studiorũ varietate totis sensib. discrepare videamus. Huius autẽ rei alij alias & caussas & rationes afferũt: nã sunt qui astris ascribũt, sunt qui fato ad hoc vel illud impelli, alij magnitudine quadã ingenij, occultiores etiã & abstrusiores rationes venantur, quorum opiniones neque refellendas, neque approbandas hoc loco suscepimus: sed*

quid nobis nũc verisimilius videatur, afferre conabimur. Omnino autẽ cùm vna sit animorũ vis atq; origo, vna atq; eadem esset quoq; in omnibus studiorum ratio, si quæ nata est animi pars ad parendũ atq; obediendum, ea animo semper ac rationi pareret, eiusq; excellẽtiam tueretur. Verùm quo minus id fiat, opinionibus inter se distantibus atque diuersis fit, quibus mortales ad varia studia trahuntur: atq; vt Poeta verè dixit, Trahit sua quenque voluptas. Hinc alius mercatura, alius agricultura, alius ludo, alius Musis & ocio, alius negocio delectatur: & vt ille ait, Multos castra iuuant, & lituo tubæ permistus sonitus. Quòd si mentis & rationis studia mortales sequerentur, nõ tanta morum studiorumq; varietas appareret: sed veri cognitionẽ & studium omnibus anteponerent: & quod animi excellentiæ congruens esset, dignitatemq; tueretur, agitarent: in eoq; beatam vitam collocarent.

rent. Videmus enim qui animi imperio, corporis seruitio vsi sunt, eos à peruulgatis hominum studijs plurimùm recessisse, atq; extra omnem mortalium aleam heroicis facinorib. aut artium præclarissimarum scientia, veriq; notitia, seipsos collocasse. Hinc Alexander & Cæsar: hinc Plato & Aristoteles: hinc Demosthenes & Cicero: hinc Homerus & Virgilius. vnde enim huic illa sublimia?

Me verò primùm dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti perculsus amore,
Accipiant: cœliq; vias & sydera monstrent. Item illa:

——Tentanda via est, qua me quoq; possim
Tollere humo, victorq; virûm volitare per ora.

Vnde inquam, nisi quòd animi præstantiam, non corporis humilitatem spectarent? Maiore autem spiritu, atq; adeò longe diuiniore nostri illi, Moses & Iosua: Dauid & Solomo: Ioannes & Paulus, qui quidem Dei vitam in terris imitati, verè beati extiterunt. Quòd si hæc in vi-

ris admirabilia videntur propter raritatem, multò videri debent in mulierib. admiratione digna maiore: quarum nõnullæ humilib. relictis mulierum ministerijs magnitudine quadam animi ac præstantia, virorum munera obire non dubitauerunt: adeò vt aliæ bella atq; imperia magna cum omnium admiratione gesserint: aliæ philosophiæ atq; artium pulcherrimarum scientia excelluerint: & viros nõ modò æquarint, verumetiã quædam in ijsdem muneribus, superarint. Neq; enim ignota est Semiramis Assyriorum Regina, eiusq; in regno administrando virtus atq; prudentia. Neq; illa de qua Poeta,

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens: medijsq; in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix: audetq; viris concurrere virgo.

Et de altera:

Hos super aduenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas
Bellatrix: non illa colo, calathisue Mineruæ
Fœmineas aßueta manus, sed prælia virgo
Dura pati, cursuq; pedum præuertere ventos.

Quòd

Quòd si Angla duce Saxones olim Britanniā occuparunt, quid Regina illa gloriosius, de cuius nomine nobilißima Oceani insula, deinceps appellata est? De Zenobia verò quid dicā, cuius ingeniū, virtus, prudētia tanta fuit, vt & Græcis & Romanis fuerit admirationi. Nam si literæ ingenio excoluntur, regna consilio gubernantur, res bellicæ virtute gerūtur: hæc certè quæ Græcis & Latinis fuit literis erudita, & virtute militari prædita, & imperandi artibus instructa, satis perspicuè docuit, in muliebri sexu virilē animum non desiderari, si modò eum exercere, eiusq; nutum sequi non detrectauerint. Ut taceam nūc Aspasiam, Saphonem, Praxillam, Corinnam, Telesillam, Anytèn, Erinnen, Cleobulinam et Stesichori filias, atque id genus alias, quarum ingenia literis & monumentis celebrantur, sanctiores illas non tacebo: Deboram vatem & ducem Israelitarum,

Iaelem & Iuditham, quarum virtute atque ſapientia à maximis & grauiſſimis malis Iſraelitæ ſunt liberati. Ad Solomonem veniſſe Sabam Aethiopum reginam legimus, eius ſapientiam audiuiſſe, de difficilimis quæſtionibus cum eo contuliſſe. Poſſem Romanas virgines Paulam & Euſtochium, & quæ proxima ætate floruit Venetijs, Caſſandram Fidelem: poſſem & alias ſuperioris atq; huius ſeculi commemorare, niſi de claris mulierib. integra volumina extarent: vt verum eſſe conſtet, quod Plato in quinto de Repu. & in ſeptimo de Legibus docet, Mulierum & virorum eandem eſſe tum in literis atque artibus, tum in gymnaſticis & re bellica diſciplinam. Idcirco eas quoque cuſtodiæ præficit ciuitatis, eisq; mandat imperia: & corpore quidem viris debiliores eſſe affirmat, animo tamen pares facit. Quod cum ita ſit, quid illis planè heroicis mulieribus admirabilius? quid ſan

ctius?

ctius? quid ad imitãdum perfectius? Has tu ELISABETA *Regina sapientissima imitata, seu quod verius est, pulcherrimã ac planè diuinam animi mentisq; tuæ ideam ac speciem in Christo præsertim, à quo in te omnia fluunt, intuens atq; contemplans, facis vt posteritas te nõ minus quàm illas sit admiratura. Nam res tuæ sapienter & fortiter gestæ celebrabuntur illæ quidem, non solùm nostris, sed aliarum quoq; gentiũ literis atq; linguis: neq; vlla vnquam ætas de tuis laudibus conticescet. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamq; clementiã, tantum in Regia potestate rerũ omnium modum, tam deniq; incredibilem sapientiam ac planè diuinam, taciti nullo modo præterire poterunt. Te virginem eruditissimam atq; castissimam, te fœminã fortissimam, te Reginam sapientissimam prædicabunt: cuius opera Deus non modò Angliæ tuæ, verumetiam vicinis ac*

finitimis cœlestē EVANGELII *lucem restituerit, pacem dederit, salutem attulerit. Ex quo verè senserunt Angli tui, quod in tuo diuino nomine intelligitur, Dei per te domiciliū apud ipsos esse. Hæc supra fœminam sunt, imò supra virum: quandoquidem quæ viri nō potuerunt, tu maiestate Regina, ætate puella, integritate virgo perfecisti: quanquam plura & maiora à tāta virtute, tantaq; sapientia expectantur. Quæ cùm talis sis & tāta, hæc Olympiæ Moratæ, mulieris pietate & literis clarissimæ monumenta, à me tanquam eius ingenij reliquias, cui illa moriens cōmendauit & legauit, collectas in tuo fœlicissimo nomine emitto, ac tuæ fidei tutelæq; committo. Cui enim melius fœminæ eruditæ ac piæ scripta, quàm Elisabetæ Reginæ omnium eruditissimæ ac religiosissimæ commendari, in cuius nomine felicius emitti, atque in manus hominum venire possunt? Accipies igitur*

tur munus tanta quidem maiestate atque altitudine impar, sed vt spero muneris nostri paruitatem, tui nominis magnitudo, summaq́ humanitas subleuabit. Huius quanta fuerit eruditio, quantũ, quàm ardẽs veræ religionis studium, quãta in malis aduersisq́ rebus, quæ multa perpessa est patientia: quanta constantia, ex his libris Maiestas tua facilè iudicabit. Multa & varia ingenij atq́ pietatis suæ monumenta scripserat, quæ penè omnia vnà cũ mariti sui patria interierunt. Ex his tamen quæ supersunt, specimen capere quiuis poßit reliquorũ: quasiq́ ex vnguibus leonem, vt dicitur, æstimare. Adiecimus & aliorum, vel ad illam, vel de illa scripta non inuenusta, vt non meum solius, verùm aliorum quoq́ de eius eruditione extaret iudiciũ, ne Italæ fœminæ me plus, quàm par esset tribuere quisquam fortè arbitretur. Quod autem ad te, hoc est ad tanta Maiestate

Reginam ausim, facit tua singularis, quæ ab omnibus prædicatur, humanitas atque clementia, literæ, pietas, atque erga eos qui veritatis caussa in exilio vitã degũt, charitas. Accedit huc, quòd nõ nunc primũ meũ erga te & tuos studium elucet. Nam & tui in nostro historiarum ad Sabellicum supplemento, etsi nõ pro merito: tamen vt historiæ breuitas tulit, mentionẽ honestissimã fecimus, & Regi Eduardo fratri tuo commentarios in Philippicas nostras inscripsimus, & misimus. Quin etiam filius meus Horatius, suas quasdã pueriles scriptiones antea eidẽ puero consecrauerat: qui si vixisset, aut si quod ille mãdarat, factum fuisset, præclarius mecum ageretur: sed eius immatura atque intempestiua mors non modò meas, sed & multorum bonorum virorum spes omnes præcidit & amputauit: quorũ omnium, si tuã fortè Maiest. ea fugiunt, testes sunt, vt alios taceam, splendidissimi equites,

&

& omni genere virtutum illustres, Antonius Cookus et Urotus. Sed bene omnia à Deo & sapienter gubernata sunt, cuius prouidentia tibi Regnum istud diu satis concussum & afflictum destinarat: vt necesse sit omnes fateri, te non modò humano & hæreditario, verumetiam diuino & iure & exemplo rectè atq; ordine Britannis imperare. His igitur omnibus de caußis, ad te Olympiæ nostræ hæc monumenta cum meis quoq; nonnullis, mitto: quæ si exquisitißimo ingenio tuo atq; iudicio satisfecerint, quod spero, & reliquis quoq; satisfactura nō dubitabo. Uale seculi nostri lumen, & bene sanctéq; regnandi documentum singulare.

Bæsileæ Cal. Septemb.
M.D.LXII.

GRAECA IN HISCE LIBRIS ſparſim poſita, Latinis verbis, ne quis laboret, expreſſa.

PAg. 1. diſciplinarum orbem, vel diſciplinarum omnium abſolutam ſcientiam.

7 In magnis, & voluiſſe ſat eſt. Ex libro 2. Propertij ad Muſam in Græcum verſum.

47. Temporis iacturam eſſe maximam.

50. Dei ad pedes iacebat, hoc eſt, Deo ita viſum eſt.

51. Scimus enim diligentibus Deum, omnia ad bonum adiumento eſſe. Ex Paulo ad Roman. cap. 8.

74 Ouium nulla eſt vtilitas, ſi paſtor abſit.

99 Qui cupiunt, ij coniuncti conſeneſcunt. Et mox, Velox gratia dulcior.

105 Decet enim natos, vt facultatum, ſic & amicitiæ paternæ hæredes eſſe. Iſocrates in Parænesi.

117 Fieri minimè poſſe.

123 Et hæc quidem ſic habent.

130 Ex duobus generibus: & mox, Renati ex immortali ſemine per ſermonē viuentis Dei: ex prima Petri cap. 1. & mox, num adhuc viuat & videat lumen ſolis. Quod Virgilius dixit, Superatne & veſcitur aura Ætherea? & mox, Ne quod ex profeſſo debes, facias obiter.

133 Via publica non incedis.

134 Non enim aſpernanda ſunt Dei præclara dona,

dona. versus est ex Iliade Homeri, quem sic licet vertere:

Munera quandoquidem non sunt temnenda deorum.

136 Si paulum paulo addideris, ab Hesiodo.

143 Vos estis sal terræ, quòd si sal infatuatum fuerit, quonam salietur? ad nihil iam idoneum est, nisi vt eijciatur & conculcetur ab hominibus. Ex Matth. cap. 5. Et mox, Ego subigo domóq; corpus meum, ne fortè cum alios docuerim, ipse reiectaneus efficiar, 1. Cor. 9.

144 Carnem crucifixerunt, cum perturbationibus & cupiditatibus, ad Gal. 5.

145 Discedite à me malefici, Lucæ 13.

151 Homo similiter ac nos affectus, tamen cum Deum orasset ne plueret, nō pluit in terris per annos tres, & menses sex, Iacobi epistola cap 5.

154 Exules & extorres: & mox, Erratione siue vagatione, nihil est peius mortalibus: vel, si versum malis,

Nil est deterius quàm vltrò citróq; vagari.

262 In cœlo beatis cara mista Deis.

FINIS.

OLYMPIAE FVLV. MORATAE, FORMA QVONDAM MVLIE-
RI, INGENIO HOMI-
NE MAIORI, ANI-
MO QVO SOLO CHRI-
STVM CAPERET,
SPERNERET MVN-
DVM TOTVM, BASI-
LIVS IO AN. HEROLD.
CIVI CAELESTI. P.
VIXIT AN. NOS XXIX.
VICIT M.D.LV. MEN-
SE OCTOB.

TRIVMPHAT AE-
TERNVM.

OLYMPIAE FVLVIAE MORATAE IN Ciceronis Paradoxa,

Procemia.

IN PRIMAM LECTIONEM.

QVOD si veniam petere solemus, cùm aut imprudentes errauimus, aut cùm impulsi peccauimus, vt egregia est M. Catonis Aulum Albinum reprehendentis apud Gellium sententia, multis nominibus ego veniam à vobis & petere & impetrare debeo: à vobis, inquam, humanitatis professoribus, præcipuè verò à te, ANNA princeps, tam comis quàm illustris. Et multas sanè res excusassem, quamobrem vicem huius vestræ vicissitudinis effugere potuissem, qua quidem ἐγκυκλοπαίδειαν optimè refertis, nonne caussa sontica (vt aiunt) immunitatis mihi esse debuisset? quòd tandiu grauissimè affecta (vt nostis) iacuerim, nihilque tanto tempore obseruatione dignum audiuerim, legerimúe: vt nihil interea dicam, quòd meritò ego tanquam rudis tyruncula non deberem, qualis Pentesilea furens cum tantis viris concurrere. Cęterùm, quia nulla res erit vnquam tam ardua, ANNA princeps,

quæ si mihi à te imponatur, quam detrectem, obedientiam, potius quàm taciturnitatem elegi, & idem mihi vsu venit, quod me in quadam fabula legisse commemini de calone onus recusante, cui integrum erat, quicquid sarcinæ vellet tollere, modò ne vacuus abiret: deterritus cumulis colligati straminis, arcam grauissimi plumbi plenam, quàm stramina subire maluit, onus non ex onere, sed ex apparenti magnitudine iudicans. Ita ego M.T.C. Paradoxa (breue enim opusculum) leuia esse ducebam: at posteaquà oneri humeros suppofui, sentio esse onus Ætna grauius, vixq; ipsi Herculi, imò Atlanti, tolerabile. Quòd si memor fuissem præcepti illius poetæ, prius diu quid humeri ferre mei possent, recusassentúe, tentassem: sed præclarè mecum actum est, quòd Scipionis somnium non elegerim, libellum non ex re ipsa ingenti, sed ex paucissimis pagellis illius existimans, ô quæ somnia me somniantem vobis recitare audissetis? quos ronchos? sed hîc quoq; fortasse dormiemus: quod si non erit, erit inter alia paradoxa miraculo. Sed iam quid ipse Tullius dicat, videamus in hac noua philosophia, non multum quidem, meo iudicio, à Christiana abhorrenti.

IN SE-

IN SECVNDAM LEctionem.

ALexander Magnus ita in militari disciplina vt in cæteris omnib. maximus, hominem qui semel duntaxat in exercitu strenuè se gessisset, & audacem gladiatorem in vna compositione egisset, non ita statim fortem inclytumq; declarabat: cæterùm qui bis térue aut sæpius generosè fecisset, illum eximiæ virtutis & credebat & prædicabat, præcipueque inter suos sibi suauiores veteranos amplexabatur. dicebat enim semel esse penè nunquam, minimeque rarò vsu venire, vt quis casu potius quàm sua industria aliquid egregium prę̨stare posset. parere enim existimationem, multo facilius esse, quàm retinere: quod quidem animaduertens sapiens ille adolescentium institutor, non de nihilo dixit: Existimationem retine. Egregius igitur Imperator hoc fortasse didicerat, ab illo alioqui optimo sagittario, cui apud se laudato, quippe sagittas procul ex arcu per annulum angustum, vixque earum capacem immitteret: nunquam persuasum fuit, etiam capitis periculo proposito, si regijs iussis non morem gessisset, vt tale quidpiam coram ipso rege tentare vellet, timens magnæ suæ expectationi non respondere. Narro vobis planè, si mihi p iussa vestra licuisset, ę̨quo animo tacuis-

ſem, ſemel non omnino vobis in dicendo diſplicuiſſe contenta, vel quia videar eam famam conſecuta, vt non tam acceſsio quærenda, quàm Fortuna metuenda ſit: quia negocio non ſint pares vires noſtræ, ideoque immortales gratias egiſſem Deo, habuiſſemq́; quòd res ſemel ex ſententia mihi ſucceſsiſſet: ſed cui nunc conſtat, an potis ero grauem aduerſariam mihi conſtitutam, id eſt, continuationem incœpti nominis ſuſtinere ac tueri? imò præclariſsimè mecum actum duxero, ſi culpa mei ingenioli, non deteram naſcentem meam gloriam ante educationem. Lyſias orator, cuidam, cui dies dicta fuerat, orationem conſcriptam, qua ſe defenderet donauit: ille verò cùm eam ſæpiſsimè perlegiſſet, Lyſiam adiuit totus triſtis: ac cùm primo, inquit, orationem tuam percurriſſem, admirabilis viſa eſt: cęterùm cũ ſæpenumero perlegiſſem, hebes omnino & inefficax. Tum Lyſias ſubridens, Quid ergo? inquit, An non ſemel duntaxat eam apud iudices habiturus es? ac ſi diceret: Non diſplicere ſemel ſatis eſt. Ego verò à vobis coacta, exitus incerta, vt eſt periculoſæ plenum opus aleæ, orandi & interpretandi munus, & vt omnium rerum incerti ſunt exitus: ecce iterum in arenam prodij, nihil aliud quàm vobis morem gerere cogitans. Ad rem igitur aggrediamur, vt mea inſantia Tulliana eloquentia miſta, & minus balba, & minus inepta videatur.

IN

IN TERTIAM LEctionem.

VEreor clarissimi viri, & vehementer medius fidius vereor, ne mecum Fortuna fallacissima, quod cum multis aleatoribus solet, agat: quibus semel atque iterum adeò aspirat & fauet, vt illi existimantes se ipsos cæcos, id est filios illius maximę reginæ, audacter semel in aleam exponant, quicquid vndiq; corradere potuerunt: ecce tibi fortunis omnibus priuati, Fortunam esse Fortunam sentiunt, eamq; grauissimè multis conuicijs proscindũt, tũc cùm in portu esse, imò verò ipsum portum occupare videtur. Vereor, inquam, ne mihi idem accidat, quod multis inscijs pellacię maris, & quo pacto mare ficus quærere soleat, & suis blanditijs allicere ad nauigationem: donec deprehẽsos in altissimis vndis obruat, aut saltem naufragos eijciat. Prudenter prisci Romani parta aliqua victoria pro re bene gesta & suis dijs immolabant, & supplicationes decernebant, vt ne quemadmodum multi dulci Fortuna ebrij solent, insolentiores & ferociores esse, successu fortè superbi facti, audacissimiq; periculorum fierent contemptores, & temerè incurrerent, vnde pedem referre nequirent: vt sæpe multos fœlicissimo rerum euentu insolescẽtes infeliciter ruere cernimus. Cùm vis con

ſilij expers mole ruat ſua. Homerus in quinto Odyſſeæ de ſuperbo:

Lætatus ventis pandebat vela ſecundis,

Ijdem Romani triumphatoribus ſub curru hominem ſentum, ſquallidum, pannis annisque obſitum, dicam illuuiem, & horrendum ſpectaculum adiungebant: deinde ſupra currum ſcurra erat, qui triumphatori ſubinde corripiens laciniam, ſæpe dicebat: Heus tu, reſpice de curru. ac ſi diceret, Viden tu hunc hominem miſerum atq; infelicẽ? caue ne inſoleſcas plus nimio hac tua victoria: quia vt humanitùs res mortalium ſe habent, tu à triumpho iſto & alijs ſimilis eſſe poſſes Qui quidem patres verè grauiſsimi, eoſdẽ triumphatores cum triumphaſſent, annulum æneum digito geſtare volebant, amuletum & ſymbolum quod è terra geniti eſſent, rubiginemque vt ferrum atque æs contrahere poſſent, & ſeipſos ne ſempiternos deos putarent, quamuis alioqui glorioſi eſſent, & vt ne φίλαυτοι alios dedignarentur. Duæ igitur res mihi maximæ à Fortuna inſidioſa vehementer timendæ ſunt: quarum duarum vtram minus velim, equidem non video: tamen in hanc ſententiam eo, vt minus graue mihi futurum eſſe exiſtimem, ab illa illudi: adeò vt ſi quid antea bis feciſſe viſa ſim, tertia hæc mea congreſsio me denigraret & auferret penitus (ſi quid ipſius erat) nomen gloriamue, quàm vitium arrogantiæ ſubſequi: ſed

sed vt sentio, quia præsaga mali mens, extra aleam huius dubij sum, in alteram verò periculi aleam apertè me incidisse sentio, sentio inquam. Cęterùm nisi quicquid erit, ego ad hanc duram prouinciam non vltrò vt Phaeton sum aggressa, sed iussa, & quidem quicquid ignominiæ est, vestris iussis morem gerens pati malo, quàm notam obstinatæ rusticitatis mihi inuri. nam vos scire ἐν μεγάλοις ἀρκεῖ, καὶ τὸ θέλημα μόνον haud me fugit, & iam vos humanissimos experta sum: tamen vt vobis dicebam, & ob meam innatam timiditatem, & ob exiguitatem mei ingenioli tota tremo horreoq́ue, iam Lugdunensem ad aram tanquam dictura sim. Vah, tandem sensi stolida, & vix nūc respicio, & quæ sit me circum copia lustro, non solùm hodierna concione, sed etiam duabus præteritis consternor & opprimor: similis cæco illi, qui dum cæcus erat per pontem strictum transibat, flumen horrendum, ingens celeri gradu intrepideq́; cæterùm reparata luce cùm non amplius cæcus, quà esset transgressus vidit, deterritus nunquam præterea pede pontem tangere voluit, cui prius ignoto sese committere audebat. Sed quicquid erit, nulla victima Deo vnquam magis quàm obedientia placuit, vt in sacrificio non sacrificato, nisi obedienti voluntate Abrahamus litauit. Ecce me aliquantulum tertiò recreatam, quia vt rudis statuarius, artisque imperitus, quam tamē profitetur, nactus Parij

marmoris partem aliquam, licet illius artificiũ exiguum ſit, nonnihil feciſſe videtur: quod ſi non opere, ſaltem materia quæ ſuperat. Inflatu cuiuſuis tibicinis Antiopa placebat auribus priſcis maximum in modum: placebat æquè Andromacha cultu ſuo: verùm peritus muſicus ſi vtranq; ederet, maiorem in modum afficiebantur & grauius, ſed prӕter Arbuſculam & Roſcium, ſi Cyclopa quis alius ſaltaſſet, illi nihil profuit crocus, vel panchæus odor, ſiuæ ſcenæ nitor, cum exploderetur multis eiectus ſibilis: tam magni refert materia, tá magni artifex, vt ni ſimul cõcurrant, deficiat alterum: quod ſi modò non deficiat, afficiat multò minus. Sũt tamen, ſunt aliquot cantilenæ adeò concinnè & numeroſè compoſitæ, vt à quouis tibiola ruſticoúe ſono editæ, iucundæ videantur. Ita pulchra, ita dulcia, & adeò ſuauia ſunt Tullij mei verba, vt quouis modo pronunciata, plurimũ ſuæ ingeneratæ maieſtatis prӕ ſe ferát. At vt res planius ita ſe habere conſtet, audite quæſo etiam à me edita quantam maximam maieſtatem ſeruent, & vt adhuc auguſtiſſimè renideant.

Laus

Laus Q. Mutij Scæuolæ.

ΟΤΙ μὲν τὴν πατρίδα στέργειν προσήκει, καὶ χαριστήρια τροφῶν αὐτῇ ἀποδιδόναι, πρόδηλόν γε πᾶσι, καὶ οὐδαμῶς ἀπόρρητον, ὅτι δὲ καὶ εἰκότως ᾄδονται παρὰ πάντων. ὅσοι ὑπὲρ αὐτῆς κινδύνους τε καὶ καμάτους ὑπομεῖναι ἐτόλμησαν, οὐδὲ τοῦτο ἔξαρνος ἄν τις εἴη. ἐμοὶ δὲ, κἂν τοῖς μάλιστα, λόγου καὶ ἐπαίνου ἄξιος δοκεῖ ὁ μούκιος, περὶ οὗ τὸ νῦν ἔχον ἔρχομαι λέξουσα. οὗτος γὰρ ῥωμαῖος ὢν τῶν εὐπατριδῶν καὶ ἐπιφανῶν, νεανίσκος δὲ, περὶ πλείστου ποιήσας σώζειν τὴν πατρίδα, πολλοὺς καὶ τῶν γερόντων ἀρετῇ καὶ ἀνδραγαθίᾳ ὑπερέβαλε. σιτοδείας γάρ ποτε ἰσχυρᾶς γινομένης ἐν τῇ πόλει, πορσέννας ὁ τῶν ἐτρούσκων βασιλεὺς πολέμιος τότε τῶν ῥωμαίων γινόμενος, βεβαίως ἤλπιζεν ὑποχείριον αὐτὴν ποιῆσαι. ὅ, τι ὁ μὲν μούκιος χαλεπῶς φέρων, διενόησεν ἅμα καὶ τὴν πόλιν τοῦ λιμοῦ καὶ τῆς πολιορκίας ἀπαλλάττειν, καὶ τῷ βασιλεῖ ὧν ἐπεποιήκει δικαίαν δίκην ἐπιθεῖναι. πρῶτον οὖν μηδενὸς συνειδότος, ἐπὶ τὰ τῶν πολεμίων στρατόπεδα ὁρμᾶσθαι ἔγνω. δεδιὼς δ᾽ ὅμως ὡς μὴ λαθούσης τῆς γερουσίας ἀποφεύγων ἀφεστηκέναι νομίζοιτο, ἐν συλλόγῳ τῆς γερουσίας οὔσης τὸ διανοούμενον αὐτῇ ἀνεκοίνωσε, τοιῶνδέ τινων λόγων ἀρξάμενος· ἐν οἵοις ἐσμὲν, καὶ ἐς ὅσον κίνδυνον, ὦ ἄνδρες ῥωμαῖοι, ἐλθεῖν μέλλει ἡ πόλις, ὁρᾶτε. ὁ γὰρ πορσέννας ἐς ἡμετέραν ἐρχόμενος, μεγίστων κακῶν αἴτιος ἡμῖν ὑπῆρχε, λιμοῦ τε ἅμα καὶ πολέμου. καὶ ὁ μὲν λιμὸς τῇ τῶν ἐπιτηδείων ἀπορίᾳ ἀδιάλυτος ἡμῖν ἐπετελέσθη· ὁ δὲ πόλεμος οὐκ ἀδιάλυτος. ἣν γὰρ ἐπὶ πολλοὺς ὀλίγοι

γοι τεταγμένοι ἴωμεν, περιπλεύσουσιν ἡμῶν οἱ πολέμιοι, καὶ πολλαπλασίους ὄντας ἐνδεξόμεθα. ἣν δ' αὖ τῷ πορσέννᾳ τὴν πόλιν παραδώσομεν, καὶ αὐτὸς τὴν πόλιν λαβὼν, ἡμῶν ἄρξεις, μηδέποτε τῆς δουλείας ἀπαλλάττεσθαι δυνησόμεθα. πᾶσι γὰρ τοῖς τυράννοις ἄσβεστός τις ἔμφυτός ἐστιν ἔρως πρὸς τὴν ἀρχήν. ἐάσομεν οὖν κινδυνεύεσθαι τὴν πατρίδα, τὸν βίον ἡμῶν τῆς ἐλευθερίας προκρίναντες; ἀλλὰ γενναίως ἀποθανεῖν μᾶλλον, ἢ μετ' αἰσχύνης βιῶναι, πρὸς ῥωμαίων ἔθους ἐστί. τὸ μὲν γὰρ τελευτῆσαι πάντων τὴν πεπρωμένην κατακρῖναι ἐπιστάμεθα. τὸ δὲ καλῶς ἀποθανεῖν ἴδιον τοῖς σπουδαίοις ἡ φύσις ἀπένειμεν. ἐγὼ δὲ τοὺς μὲν ἄλλους οὐδὲ λοιδορῶ, οὐδ' αἰτιῶμαι νῦν μέλλοντας. ἀπειρήκασι γὰρ οἱ πλεῖστοι βαδίζοντες, καὶ τρέχοντες, καὶ ὅπλα φέροντες: ἀλλὰ τὸ ἐμοὶ δοκοῦν κάλλιστον ἔσεσθαι δράσαντι, τοῦτο ἐξηγήσομαι. δεινῶς γὰρ, ὦ ἄνδρες, ἐπιθυμῶ ἐπικρυπτόμενος πορεύεσθαι ἐπὶ τοὺς πολεμίους, πειρασόμενος σὺν τοῖς θεοῖς ἀμύνεσθαι ἀδικοῦντα τὸν βασιλέα, ἢ αὐτὸν φονεύσας, ἢ ἄλλο τι δράσας γενναῖον τόλμημα, ὃ καὶ τῶν ὀψιγόνων τις εὖ εἴποι. ἀλλὰ καὶ τοῦτο καλῶς μὲν ἐξηργασμένον πᾶσιν ὑμῖν καὶ τῇ πατρίδι καλὸν ἔσται· κακῶς δὲ πεπραγμένον, οὐκ ἄλλῳ τινὶ πλὴν ἐμοὶ κακόν. χρὴ δ' ὅμως ὑμᾶς ἐς τὸ κοινὸν καταθέντας τοῦτο σκοπεῖν, καὶ συλλεγέντας βουλεύεσθαι. ἢν γὰρ τοῦτο καὶ ὑμεῖς ἐν καλῷ νομίζεται, πορεύομαι. τοιαδέ τινα λέξαντος, ἅπαντες τὴν βουλὴν ἐπῄνεσαν, αὐτόν τε ἀφήκεσαν. ὁ δ' ἀποδραμὼν, καὶ τὸ ξίφος ὑποκόλπιον φέρων ᾤχετο, ἀφικόμενος δὲ εἰς τὸ πεδίον, ἔνθα ἐστρατοπεδεύοντο οἱ ἐτρουσκοὶ, παρέστη τῷ βασιλικῷ βήματι, ὅπου τῇ στρατιᾷ τὸν μισθὸν ἐκποιοῦντά τινα ἑώρακε τῷ βασιλεῖ παρακαθιζόμενον ἐμφερῆ τῷ ἐκεί-

τε σχήματι, καὶ παμπλείστοις τῶν δορυφόρων, ὥσπερ καὶ αὐτὸν τὸν βασιλέα περικυκλωθέντα. ἦν δ' οὗτος ὁ τοῦ βασιλέως γραμματεύς. ἀπορῶν δ' ὁ μούκιος, εἰ οὗτος ἂν αὐτὸς ὁ βασιλεὺς εἴη, ἐρωτᾶν δ' ὅμως οὐ τολμῶν, ὡς οὐκ ἀκίνδυνον τοῦτο νομίζων ἔσεσθαι, οὐ μὴν οὐδ' ἄπρακτος ἐπαναχωρεῖν βουλόμενος, ὡς οὐ καλὸν τοῦτ' ἔσεσθαι ὑπολαμβάνων, τὸν μὲν βασιλέα εἶναι ᾠήθη, ἀντὶ δ' ἐκείνου τὸν γραμματέα κατέκτανεν. ἔπειτα δ' ἀναστραφεὶς, καὶ τὴν ἀπόδρασιν βουλόμενος, αἵματι στάζον τὸ ξίφος ἐν χεροῖν φέρων, ὡς οὐ τὶ μάρτυρα τοιούτου καὶ τοσούτου τολμήματος, συνθεούσης πανταχόθεν τῆς στρατιᾶς πρὸς τὴν βοήν τε καὶ κραυγὴν, ὑπὸ τῶν σωματοφυλάκων ὡς ἐπὶ θανάτου συνειλήφθη. ἀνηγμένος πρὸς τὸ βῆμα, ὅπου ὁ βασιλεὺς ἦν. ἀλλὰ καὶ τότε μήτε ὀχλιῶν μήτε παντοῖος γινόμενος, φοβῶν δὲ μᾶλλον ἢ φοβούμενος, τοιαῦτ' ἐπαῤῥησιάσατο. ἐγὼ μέντοι ὁ μούκιος ῥωμαῖος ὢν τυγχάνω, πολέμιος τῶν πολεμίων γινόμενος. καὶ πάλαι δὴ ἀκριβῶς ἐμαυτὸν πέπεικα, ὅπη ἐκ παντὸς τρόπου ὠφελητέα ἡ πατρὶς, ἄλλως τε, καὶ μάλιστα ὁπόταν ἐν πόνῳ καθεστηκυῖα κινδυνεύει. νῦν οὖν αὐτή τε τρυμμένην εἰς τὸ ἔσχατον κακοῦ, καὶ πεπολιορκισμένην παρὰ σοῦ ἑωρακὼς, δι' ὕβρο παρὰ τῶν ῥωμαίων αὐτεμόλησα, τήν τε ψυχὴν καὶ τὸν βίον τὸν ἐμὸν ἐν οὐδενὶ λόγῳ ποιούμενος, ἀλλὰ καὶ οὐδενὸς ἀπολειπόμενος πόνου, ἐφ' ᾧ τε σὲ τὸν ἀδικοῦντα κακῶς ἀντιποιεῖν. ἕτοιμοι γὰρ εἰσιν οἱ ῥωμαῖοι μήτ' ἀδικεῖν, μήτ' αὐτοὶ ἀδικεῖσθαι. ἀλλ' ἐπειδὴ σφαλεῖσα ἡ χεὶρ ἀπέτυχεν, οὐδὲν χαλεπαίνω τῆς ἀστοχίας δίκην δωσόμενος. προέπλεξεν γὰρ ἅμα καὶ πάχιν δεινὰ πρὸς ῥωμαίων τὸ πρὶν οὐ μείψονται δίσσοι καὶ ἄλλοι τῆς αὐτῆς γνώμης μετέχοντες. ὥς τε ἐπειδὴ πόλεμον μᾶλλον ἢ εἰρήνην ἄγειν, τὸ

ἐχθρὸς ῥωμαίων μᾶλλον ἢ φίλος καλεῖσθαι προύκρινας,
σκεπτέον ὅπως μὴ ἀπαρασκευαστέρῳ μαχοίμεθά σοι.
ἠπιστησάμεθα γὰρ, ὅτι οὔτε πλῆθός ἐστιν, οὔτε ἰσχὺς, ἡ ἐν τῷ
πολέμῳ τὰς νίκας ποιοῦσα, ἀλλ' ὁπότεροι ἂν ταῖς ψυ-
χαῖς ἐρρωμενέστεροι ἴωσιν ἐπὶ τοὺς πολεμίους, τούτους ὡς
ἐπὶ τὸ πολὺ οἱ πολέμιοι οὐ δέχονται, διὸ καὶ ἡμεῖς οὔτε λό-
χους ἢ φάλαγγας, οὔτε στρατιὰν προσάξομεν, ἀλλ' εἷς καθ'
ἑνὸς μαχήσῃ, οὔτ' ἐν πεδίῳ, ἀλλ' ἐντὸς τῆς σκηνῆς, καὶ
παρ' αὐτῷ τῷ βήματι, ἐν ᾧ καθήμενος τυγχάνεις, ὥ-
σπερ καὶ τὸ νῦν. τοιοῦτον σοὶ τὸν πόλεμον καταγγέλλει ἡ ῥω-
μαίων νεότης. ὁ δὲ βασιλεὺς βαρέως ἀχθόμενος φανερὸς
ἦν. καὶ ἐκπληχθεὶς τῷ κινδύνῳ, πῦρ ἀνακαίειν ἐκέλευ-
σεν. ὁ δὲ μούκιος πρὸς αὐτὸν στραφεὶς, ὦ βασιλεῦ εἶπεν, ἰδοὺ
ὡς καταφρονοῦσι τοῦ θανάτου, οἷς ἡ μὲν τιμὴ καὶ ἡ ἀρετὴ καὶ τὸ
κλέος προσφιλέστερα τοῦ σώματός ἐστιν. ἅμα τε τοῦτ', εἰ-
πὼν, τὴν δεξιὰν εἰς τὸ πῦρ αὐτομάτως καὶ προπετῶς
ἐνέβαλε, καὶ ὥσπερ ἔξω ἑαυτοῦ γινόμενος, ἢ καὶ πᾶσαν
τὴν αἴσθησιν ἀφηρημένος, τὴν χεῖρα κατέκαυσεν. ὁ δὲ
βασιλεὺς εἰσορῶν τοῦτο τὸ δυσχερὲς καὶ ἀθέατον θέαμα,
αὐτὸς μᾶλλον ἢ ὁ κεκακωμένος χαλεπαίνεσθαι ἐφάνη.
σβέννυσθαι μὲν τὸ πῦρ ἐκέλευσεν, αὐτὸς δὲ τὸν νεανίσκον
προσειπὼν· σὺ μὲν, ἔφη, ὦ νεανίσκε, ἄπιθι δὴ, εἰς σαυ-
τὸν μᾶλλον ἔτι, ἢ εἰς ἐμὲ δεινὰ τετολμηκώς. παραινέσαιμι
δ' ἄν σε πρὸς τὰ ὅμοια καὶ τὸ λοιπὸν τολμῆσαι, εἰ ἀντ'
ἐμῆς τῆς πατρίδος τοιαῦτα τολμήσειας. νῦν δ' ὅμως, ὅτι
σε κατανενόηκα ἄνδρα ἀγαθὸν καὶ φιλόπατριν εἶναι, ἐπὶ
τούτοις ἀφίημί σε. ὁ δὲ μούκιος, ἅτε ἀμειψόμενος τὸν βα-
σιλέα χάρισιν ἀξίαις, ἐμήνυσεν αὐτῷ τὴν ἐπιβουλήν.
ὁ δὲ βασιλεὺς ἀφεικὼς τὸν μούκιον, καὶ πάλιν τοῖς ῥω-

μαίοις διὰ φιλίας ἰέναι βουλόμενος ἔπεμψεν ἅμα πρέσβεις, δοῦναί τε καὶ λαβεῖν πίστεις αὐτοὺς κελεύων, εἰς τοσοῦτον ἐτάραξεν αὐτὸν ἐπικρεμάμενος παρὰ τῶν συμπνεόντων ὁ κίνδυνος. οὕτω γοῦν ὁ μὲν πόλεμος διελύθη. ὁ δὲ μούκιος, ἔπειτα ἀπὸ τῆς δεξιᾶς τῆς κεκολοβωμένης σκαιβόλας ἐπονομάσθη· ᾧ τινι καὶ τὸ κάλλιστον ἐδωρήθη παρὰ τῆς συγκλήτου, ἀγρὸς αὐτοῦ ἀπαντικρὺ τῆς πόλεως ὑπὲρ τὸν τύβριν κείμενος, ὅντινα καὶ εἰς τοὐπίσθεν λειμῶνα τοῦ μουκίου ἐπικαλεῖσθαι λέγουσι.

DE EODEM Q. MVTIO *Scæuola, Latinè.*

QVOD amari debeat patria, eiq; pro nutricatu gratia referri, omnibus perspicuum minimeq; abditum est. Quod item meritò celebrentur ab omnibus, quicunque pro ea pericula & labores suscipere sustinuerunt, ne hoc quidem quisquam negauerit. Mihi verò vel in primis commendatione & laude dignus videtur Mutius, de quo iam verba facere aggrediar. Hic Romanus quum esset claro illustriq; loco natus, isque adolescens, nihil sibi potius ducens quàm vt patriam seruaret, multos etiam senes virtute & fortitudine superauit. Cùm enim esset aliquando in vrbe frumenti cum summa caritate inopia, Porsenna Rex Etruscorum, qui tum Romanis hostis erat, expugnaturũ se eam certam spem habebat. Id Mutius ęgrè ferés, cogitauit

gitauit quo pacto & vrbem fame atque obsidio ne liberaret, & de rege dignas factis pœnas caperet. Igitur primò in hostium castra sua sponte penetrare constituit. Dein metuens si inscio Senatu faceret, transfuga iudicaretur, cùm Senatus conuenisset, institutum suum ei aperit, sic verba facere orsus: Quo in statu simus, Quirites, & in quod periculum ventura sit vrbs, videtis. Porsenna enim fines nostros ingressus, maxima nobis mala famem bellumq; inuexit. Et fames quidem nobis ob commeatus penuriam, implicabilis est: bellum verò pacatu haud facile. Nam si in multos pauci instructi vadimus, superabunt nos hostes, ipsosq; tanto plures non sustinebimus. Sin Porsennæ vrbem dediderimus, & ipse ea potitus in nos imperium sumpserit, nunquam seruitute liberari poterimus. Omnibus enim tyrannis inextincta quædam est cupido regnandi. Patiemur ergo periclitari patriam, vitam nostram libertati anteponentes? At generosè mori potius quàm turpiter viuere, Romanum est. Mori enim omnib. fatale esse scimus: at honestè mori, bonis natura proprium tribuit. Ego verò cęteros quidem nec vitupero nec culpo nunc cunctantes. Nã defessi sunt plerique vadendo & cursitando, & arma ferendo. Sed mihi quid factu honestissimum fore videatur, exponam. Vehementer cupio, viri, clam hostes adire, conaturus, dijs adiuuantibus, vlcisci Regem iniuriũ, aut occiso ipso,

so ipso, aut alio quopiam audaci facinore commisso, olim quod secula laudent. Atque hoc quidem si successerit, erit & vobis & patriæ bono: sin minus, mihi vni malo. Est autem vobis hoc communiter considerandum, & de eo in conuentu consultandum. Si enim vos hoc operæ precium esse censetis, vadam. Talia quũ ille dixisset, omnes consilium laudarunt, eumque dimiserunt. Ipse gladium sub veste gerens, cursu ire contendit. Postquã in campum peruenit, in quo castra habebant Etrusci, & prope regium tribunal constitit, vidit ibi quendam stipendium exercitui dantem, regi assidentem, pari ornatu, confertissimisq; satellitibus, sicut & ipsum regem stipatum. Is erat scriba regis. Hîc dubitans Mutius vtrum is ipse Rex esset, timensq; sciscitari, quod id periculo non vacare existimaret, & tamen re infecta reuerti nolens, quòd id parum honestum fore iudicaret, à rege aberrat, & scribam pro rege obtruncat. Deinde conuersus, & fugam parans, sanguine stillantem gladium manu ferens, qui talis tantique facinoris testis esset, concurrente vndiq; ad strepitum & clamorem exercitu, à satellitibus ad necem comprehenditur, & ad tribunal, vbi rex erat, retrahitur. Sed tunc quoque neq; pallescens, neque colorem mutans, sed metuendus magis quàm metuens, confidenter verba fecit in hunc modum: Mutius ego sum Romanus, qui hostibus hostem me præbui, ac mi-

hi iampridem certò persuasi omni modo luuandam esse patriam, præsertim si quando periculo premitur. Nunc igitur cùm eam extremo malo afflictam, & à te obsessam viderem, huc à Romanis peruasi, animam vitamq; meam nihili faciens, nullumq; laborē detrectans, dum tibi nocēti vicissim nocerem. Sunt enim parati Romani nec lædere nec lædi. Sed postquam lapsa manus aberrauit, erroris pœnas dare nihil grauabor: & facere enim & pati fortia Romanum est. Verùm sibi non deerunt & alij eiusdem animi homines. Itaque postquam bellum magis quàm pacem agere, & Romanorum hostis quàm amicus vocari maluisti, dispiciendum est ne te imparatiorē oppugnemus. Scimus enim nec multitudine nec robore in bello victoriam parari, sed vtri valentioribus animis in hostes vadunt, hos plerunq; hostes non sustinent. Proinde nos nec insidias aut acies, nec exercitum adducemus: sed vni tibi & cum singulis res erit, idque non in campo, sed intra tentorium, & apud ipsum in quo sedes tribunal, sicut & nunc fuit. Hoc tibi iuuētus Romana indicimus bellum. Hic Rex simul ira incensus conterritusq; periculo, ignē iubet incendi. At Mutius ad ipsum conuersus, O rex, inquit, vt sentias quàm cōtemnant mortem, quib. honos & virtus & gloria charior est corpore: simulq; hoc locutus, dexterā in ignē vltrò & incunctanter inijcit, ac tanquam ipse si

bi

bi ereptus, & ab omni ſenſu alienatus, manum comburit. At Rex tam dirum & infandum cernens ſpectaculũ, ipſe magis, quàm is cui illud mali acciderat, indignari viſus eſt. Itaq; ignem extingui iubet, & adoleſcentẽ alloquens: Tu verò, inquit, adoleſcẽs abi, in te magis quàm in me hoſtilia auſus. Iuberẽ mactè virtute eſſe, ſi pro mea patria iſta virtus ſtaret. Nunc quoniã te virum bonum & patriȩ amantẽ eſſe animaduerti, ſic te dimitto. Tum Mutius quaſi remunerans regis meritum, ei inſidias indicit. Et rex dimiſſo Mutio, & rurſus cùm Romanis pacem facere volens, legatos miſit qui fidẽ darent & acciperẽt. Vſq; adeò eum turbauit imminens à coniuratis periculum. Ita finitum bellum eſt, & Mutius à clade dextræ manus Scæuola cognominatus eſt: eique virtutis cauſa dono datus eſt à Senatu ager è regione Vrbis trans Tyberim ſitus, qui poſtea Mutia prata appellata fuiſſe tradunt.

PAMPHILVS EX IOANnis Boccacij Decamerone, Olympia Fuluia Morata interprete.

ARGVMENTVM.

Cappelletus quidam falſa confeſsione cuidam monacho viro bono ſic impoſuit, vt cum tota vita nequiſsimus fuiſſet nebulo, vita defunctus, in numero diuorum habitus ſit.

Decet, ſuauiſsimę matronæ, quaſcunque res agimus, eis rebus à mirifico ſanctoq; nomine illius, qui rerum omnium eſt author, initium dare. Quapropter quum ſint meæ partes, vti primus noſtros ſermones exordiar, ab aliquo maximo eiuſdem authoris opere initium capere cogito, quo moneamur, vt ſpem omnem noſtram in eum collocemus, eumque ſumma obſeruantia colamus. Primũ igitur omnium, ſatis conſtat, res humanas, fragiles caducaſque eſſe, omneſq; homines ea lege eſſe natos, vt omnibus telis fortunę propoſita ſit vita noſtra, neque poſſe recuſare, quominus ea, qua nati ſumus cõditione viuamus, neque nos eos caſus tã æquo animo ferre poſſe, quos nullo cõſilio vitare poſſumus, niſi pręclarè illius patris auxilium nos contra Fortunam

armaret, atque muniret. Quã opem nobis ferri haud exiſtimare debemus propter noſtra ſcilicet egregia facinora, ſed ex ſola Dei benignitate, precibus per Chriſtum impetrata. Cui nos, vtpote imbecillitatis noſtrę cõſcij, ſed filio dei precatore freti, de rebus, quas in rem noſtram eſſe ducimus, ſupplicamus. Quo magis in hoc etiam Deus amorem erga nos eximium prę ſe fert, quòd quum oculi mortalis acies, nullo pacto in arcana diuinæ mentis penetrare poſsit, ſimusque per nos indigni: ille tamen fidem & fragilitatem potius, quàm errorem aut cõmerita precantis reſpiciens, perinde ac ſi is in conſpectu eius verè purus dignusque eſſet, orãtes exaudit. Hac autẽ narratione quam explicare vobis decreui de Hypocrita quodam (quãtum nos quidem iudicare poſſumus: Dei enim iudicia nobis occulta ſunt) quantopere ſæpe fallamur, quamq; verum ſit, quod eruditum quendam dixiſſe ferunt, liquidò conſtabit. Multa, inquit, corpora veneratione digna habẽtur in terris, quorum animi apud inferos excruciantur. Muſciatus Gallus ex ditiſsimo maximoq; mercatore in Gallia eques factus, cùm iter haberet in Etruriam cum Carolo Senzaterra regis Gallię fratre ad Bonifacium pontificem accerſito, accinctꝰ iam ad iter, animo totus erat in negocijs, quæ magna quidẽ & ampla habebat, & (ſicuti pleraque ſunt mercatorum) oppidò intri-

cata, ad quæ extricanda multũ laboris sumebat. Hæc igitur negocia tandẽ alijs compluribus committens, cũ omnibus satis perspexisset, de hoc solùm in dubium venit, cuinam idoneo prouinciam traderet exigendi æs, quod in nominibus habebat à plerisque Burgundis debitũ. Causa verò dubitationis hæc erat, quòd acceperat Burgũdos homines esse iniquos, malè moratos, & fluxæ fidei. Quamobrem nemo quisquã satis impudens ei visus fuit, quem speraret rectè opponi posse istorum flagitijs. Tandem hac de re multa denique meditato in mẽtẽ venit Capperellus quidã à prato cognomen habens, qui Lutetiæ domũ eius frequentabat, quẽ quia statura paruus erat, atque elegans, ignorantibus Gallis, quid sibi vellet Capperelli nomen, & suspicantibus Cappellum, id est Corollam patrio sermone significare, quoniã paruus erat, vt diximus, nõ Cappellũ, sed Cappelletum vocabant, Cappelletiq; nomine notus fuit omnibus, adeoq; notior quàm Capperelli appellatione. Eius hæc erat vita. Scriba cùm esset, eum penè pudebat, si quæ suarũ tabularũ, quamuis pauca scriberet, nõ inueniretur falsa, imò falsas facere rogatus, nũquam recusabat: libentiusque gratis eas scribebat, quàm conductus quauis mercede, veras. Præterea testimõia falsa magna cum voluptate, seu vocatus, seu inuocatus vltrò citroque dabat. Cumq; eo tempore

pore iureiurando multa fides in Gallia haberetur, ipse paruipēdens periuria, lites innumeras peruincebat, quoties iureiurando suam fidem obstringere poscebatur. mirum in modū verò studebat, & obnixè conabatur inter amicos & propinquos & quosuis alios, mala, discordias, & offendicula serere, vnde quanto plus damni proficisci videbat, tantò plus voluptatis capiebat. ad cædē vel simile scelus incitatus nulla interposita mora obsequebatur, q̄n & prōptissimus esse tū ad vulnera, tum ad cædē sua manu edendā, Dei ac diuorum maximus contēptor, supra cæteros mortales iracūdus, & quidē minima de re: ad templa nunquā adire: Sacramēta sicut vilia, cōtumeliosis verbis incessere, cauponas verò & inhonestissima quæq; loca libenter inuisere, & frequēter in eis versari, à fœminis non secus atq; canis à baculo, abhorrere: auersa venere plusquam cuiquam credibile est, delectari: denique ad prædas & furta maximè procliuis esse; voluptuarius, impurus, gulæ seruus, & potator maximus, aleator, & falsarū tesserarum insignis magister: postremò vt rem in pauca conferam, omniū qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt, pessimus. Huiusmodi Cappelleti flagitijs longo tēpore pręsidio fuit potētia & authoritas Musciati, cuius gratia & præsidio nebulo iste, & à priuatis, & ab aulicis (quibus vtrisq; sæpissimè faciebat iniuriā) tutus erat.

Cùm venisset igitur Musciato istius Cappe relli seu Cappelleti in mentem, cuius sensum pulchrè callebat, talem censuit eum omnino esse, qualem nequitia Sequanorum, seu Burgundiorum postularet, & idcirco eo ad se accersito, verba in hunc modum fecit:

Haud te præterit, inquit, Cappellete mi, me hinc abiturũ esse, & cum inter cætera negotiũ cum Sequanis hominibus fraudulentis habeã, nescio cui prouinciã illam bona mea exigendi tradere queam, magis idoneo quàm tibi. Quapropter cùm tibi vacet (modò libeat) exorabo tibi auxilium ab aula, iustissimamque tibi eius quod exegeris partem donabo. Cappelletus iners & futilis, imperitusq;, intelligens eum abire in quo eius spes omnesque opes longo tempore sitę fuerant, sine vlla mora, & quasi coact⁹ egestate, absq; longiore deliberatione se libenter ea facturũ recepit. Quare cum hac de re inter ipsos conuentũ esset, suscepissetq; negotium Cappelletus, & regis literas cõmendatitias haberet, post abitum Musciati, profectus est ad Sequanos: vbi à nemine cognitus prçter naturam suam benignè humaniterq; æs alienum exigebat, quasi de industria ad extremum iras differens. Ita igitur se gerens, cùm ad duos fratres Florentinos applicuisset, qui ibi fœnerabãtur, eumq; causa Musciati obseruabant & colebant, euenit vt ægrotaret, ad quẽ ambo fratres

accerſunt illico medicos,& pueros ad miniſtrã dum omnia,quibus ad perditam valetudinem opus eſſet. Sed fruſtra quidẽ,nihil cùm auxilij poſſet adferri quod prodeſſet. Bonus enim ille vir & iam ætate confectus, & nimiũ ventri dedit⁹ (vt medicis videbatur) indies peius ſe habebat. Quam rem ambo fratres grauiter moleſteq; ferentes,quadam die propter cubiculum in quo decumbebat inter ſe, hoc cœperunt cõſilij: Quid inquiunt nobis hoc homine faciendum? Res eius peiore loco nõ poſſent eſſe,quã in quo nunc ſitę ſunt,extrudere eum domo noſtra,ita graui afflictum valetudine, magnæ nobis eſſet infamiæ, magnumq; imperitiæ argumentũ,quippe vidente populo, quòd eum ſemel exceperimus, operamq; dederimus vt curaretur,nunc verò nulla nobis ab eo orta iniuria tam repentè domo noſtra atq; adeò perdita valetudine laborantẽ eijci. At rurſus homo adeò ſceleſtus eſt, vt neq; ſcelera ſua cuiquã ſacerdoti fateri,neq; vllis vti ſacris velit: quo fiet, vt morientis ſine cõfeſsione vocali,nullo ſacello cadauer ſint dignaturi,imò ritu canis in foſſas abiecturi: quinetiã vt maximè confiteatur, tot flagitia ipſius tantaq; ſunt, & tam horrẽda, vt idipſum futurum ſit: præterea neque monachus neq; ſacerdos vllus inuenietur,qui talem velit aut poſsit abſoluere,atque ita non abſolutus,etiã ſic eijcietur in foſſas. Quod quidem ſi

euenerit, populus huius ciuitatis (apud quem tum ipsi ob negociationem alioqui malè audimus, tum quæ eius est petulantia, bona nostra prædæ sunt) confestim tumultuabitur contra nos, clamitabuntq; indignissimè factum, & canes nos vocabunt Lõgobardos, ab omnibus fanis & sacris exclusos, neque amplius ferre nos volent, & ad ædes nostras concurrent, & fortè non solùm bona nostra diripient, verumetiam vitam eripient: denique vtcunque iste vita defungatur, actũ est de nobis. Cappelletus qui, vt diximus, prope locum illũ decumbebat, vbi tale consiliũ inibant, auditis omnibus quæ de se erãt inter se collocuti, fratres ambos ad se accersit, orationemq; huiusmodi habuit: Nolo vobis vlla de re in suspicionẽ venire, aut vereri, ne mea causa quidquã detrimenti sitis accepturi: equidẽ omnia quæ de me locuti estis intellexi, & certò scio, ita futurum, vt dicitis, si res vt dixistis, eueniret, sed secus res geretur, ac vos opinamini. Ego tot alia, dũ vixi, scelera admisi, vt etiãsi iã moriẽs aliquid sceleris amplius addã, non magni referat. Quapropter date operam, vt quàm sanctissimum & maximè egregiũ monachũ ad me (si quis modò est vobis) huc euocetis, reliqua sinite esse mihi curæ. Nã res in eum modum componã meas, vt bene se habituræ sint, & vos sitis conquieturi. Mox fratres, quanquam haud magnopere ei fidem habe-
berent,

berent,ad collegium nihilominus quoddam adiêre,indeq; accersiuêre sanctum quendam ac sapientem virum, Theologiæ magistrum, magni apud omnes ciues nominis, grauẽ, & ipsa senectute venerabilem. Qui cùm in cubiculũ Cappelleti vbi ille iacebat,venisset,eiq; assedisset,primũ cœpit eum aliquot verbis, vt fit,cõsolari,mox in hunc modum interrogare.

CONFESSIO, IN QVA colloquuntur Monachus & Cappelletus.

MON. Sæpe ne,fili mi,ad Confesſionem accedis? CAP. Singulis hebdomadis, vt cũ minimum semel,plerunque verò sæpius. Verumtamẽ ex quo ægrotaui, abhinc iam ferè dies octo,tanta fuit molestia ex valetudine,vt nequiuerim. MON. Bene factum, & ita faciendum erit deinceps. Cæterũ cùm tam frequenter cõfitearis, parũ laboris cùm audiendo tum interrogando capiã. CAP. Nequaquam, mi pater, hoc in animum inducas tuum, siquidem nunquam adeò obiter confessus sum, quin semper percupiuerim (saltẽ in genere) omnia mea delicta, quorũ mihi venit in mentem, recensere, ab eo die quo natus sum vsque ad eam horam. Quamobrẽ obsecro,vt ita sigillatim me interroges, perinde acsi nunquã confessus fuissem,

nec rationem habeto vllam valetudinis meæ. Malim enim longè carnem meam offendere, quàm illi parcendo, facere animæ iacturã, quã suo precioso sanguine Christus seruator meus redemit. Verba hæc mirum in modum placuêre sancto viro, & magnum argumentum bonæ mẽtis esse visa sunt. Collaudata Cappelleti cõsuetudine, sic percontari orsus est. MON. Agè fili mi, an vnquam fœminis oblectatus es? CA. Hei mi pater, pudor est in hac parte verũ dicere, siquidem vereor ne peccem glorię cupiditate. MON. Quin animo virili dicito. nã verum fatendo, neq; hic neq; alibi peccatur. CAP. Postea quàm præstas culpam, dicam, ita corpore sum casto, vt ab incunabulis. MON. O te felicẽ apud Deum, qui tam rectè te gesseris, & ita te gerens, tantò plus promeruisti, quantò maiorem, si voluisses potestatem habebas secus faciendi, quam quidem potestatem non habemus nos, aut alij qui Monachorum præscriptis adstringuntur. Sed quid de vitio crapulæ? CAP. Heu me miserum, vt mihi me hoc dilectũ tam sæpe admisisse grauiter dolet, quippe cùm præter alia quadragesimæ ieiunia, & quæ reliquo anni tempore à religiosis hominib. obseruantur, tribus è septem diebus saltem vesci solo pane & aqua solerẽ, aquam illam tanto cum appetitu bibebam, vt nihil suprà (pręsertim labore aliquo, seu orando seu peregrinãdo defatigatus)

tus) minimeq; rarò delicias illas herbaceas, cuiusmodi mulieres ruri parare solēt, desideraui: præterea cibo quocunque impensiùs delectabar, quàm decebat hominē religionis causa iejunantem. MON. Fili mi, peccata hæc humana sunt, admodumque leuia, quapropter nolim te grauius ob hæc animo angi: nemo est, cui post longam inediá aut labores, cibus ac potus non sit suauior. CAP. Ah suadere noli: sat enim scio quę pro Dei cultu suscipiuntur, sincerè & ex animo geri oportere, quisquis autem aliter agit, hunc peccare. MON. Assentior his quę dicis & perplaces mihi, qui hæc tá intelligas probè, & in animo tuo tecū perpendas. Sed rumor est, te auaritia ardere, quod vitiū multo maximū est. Auaritia enim, fidem, probitatē, cæterasq; artes bonas subuertit: præterea autē, quasi venenis malis imbuta, corpus animumq; virilem effœminat, semper infinita insatiabilisq; est, neq; copia neq; inopia minuitur. CAP. Isthæc tibi fortasse incidit suspicio, quia in his ædibus dego, & cum istiusmodi ingenijs conflictor: mihi hercle nihil est rei cum fœneratorib. istis: imò eos admonendi hortandiq; gratia huc concessi, vt à turpi hoc quęstu animos eorū abducerem: & successisset, ni mihi hoc morbi euenisset. Sed scito patrem meum mihi satis amplas reliquisse facultates, quàrū dimidiū ferè mox ab eius morte egenis erogaui, quod autem ani

mum ad mercaturam adieci,id eo feci,vt & me ac meos & pauperes Christianos inde alerē. In his quæstum aliquē concupiui:qui quantuluſcunq;, ſemper eius dimidio egētes impertiui, alteram partem in meos vſus impendi,& hinc, ꝓpitijs fatis negotia mea in optimo ſtatu ſemper fuêre. MON. Rectè. Cæterùm ſæpe ne iraſceris? CAP. Hac equidē in parte plus nimio cōſcius mihi ſum, quis enim paſsim tot ſcelera quotidie vidēs admitti, ſe reprimeret? Nuſquā iuxta Dei legē viuitur, nemo Deo, aut eius iudicium veretur: itaq; talia vidēdo ſic offenſus fui, vt cum morte depaciſci potius concupiuerim, quàm viuens videre homines adoleſcētulos, omni genere flagitiorū conſpurcari, iurare ac peierare, perpotare, omnia deniq; ſacra negligere, & Deum ac res diuinas mundo poſt habere. MON. Euge fili mi, hæc nō eſt iniuſta ira, neq; ob eam tibi vllam pœnam irrogare auſim, ni caſu aliquo te ira ad edendā cædem, aut ad cōuicia, aut eiuſmodi aliud ſcel9 impulerit. CAP. Hem pater, quo pacto pietas tua ferre poteſt vt iſta dicas? Ego ſi quid iſtorūm vnquā in mentem mihi incidiſſet, crede mihi, nunquam Deū toleraturū fuiſſe credo. Hæc ſunt flagitia facinoroſorū & ſceleratorum hominum, qualibus ego, ſi quis fortè occurrit, perpetuò optare mentem meliorem ſoleo. MON. Age fili mi, ita te Deus amet, verum fatere, an periurio ali

quem

quem defraudasti? Anne alicuius famã læsisti aut res inuito domino intercepisti? CAP. Nũquam alterius cuiusquam famæ detraxi, quàm cuiusdã potatoris olim vicini mei, qui quoties plus nimio potus erat, quo iure, quaq; iniuria vxorem suam nihil commeritam pugnis cædebat: huius ego insolentiã semel ad cognatos vxoris detuli, misertus illius miseræ. MO. Dic sodes, neminémne fefellisti, vt mos est mercatoribus, lucri gratia? CAP. Hui, fefelli equidem: sed nescio profectò quémnã: cùm quispiam ad numerasset argentũ, quod mihi debebat de pãno quem vendiderã, id numeratum reposui in arca mea: deinde vno post mense, terũcios quatuor superesse amplius quã debebatur, animaduerti, quos, cũ non amplius illum viderem, & cùm circiter annum adseruassem, vt redderem, dedi tandem cuidam mendico. MON. Istuc non factũ malè, imò ita decuit te facere. Quàre fili mi, si nihil vnquã grauius admisisti, nihilúe aliud habes quòd dicas, nõ video quid supersit aut obstet, quin te absoluam. CAP. Vnum superest quod præterij. MON. Quidnã id est? CAP. Memini me die sabato quodam à vespe ris, iussisse puerũ meum ædes verrere, non habita ratione feriarũ, vt par erat. MON. Leuia isthæc sunt, fili mi. CAP. Quid leuia? quasi dies Dominica non sit sũma veneratione digna, cũ ea die Seruator noster à morte surrexerit. MO.

Nunquid verò restat amplius? CAP. Imô etiã. nam in templo, quod domus Dei est, aliquãdo imprudens in terram expui. MON. Ha ha hæ. CAP. Irrides? MON. Quid ni, cum nihil ista sint: an non vides nos qui religiosi vocamur, in templis excreare quotidie? CAP. Sanè verò indignum facinus, quem enim locum maior mũdicies decet, quàm eũ in quo sacra Deo fiunt? MON. Quid est quod lacrimas? CAP. Etiam præterea mihi aliquid peccati restat, quod nũquam confiteri ausus fui, adeò me vehementer illius pudet pigetq́;, & quoties mihi in mentẽ venit (vt nunc cernis) lacrimę cadũt, & sępe vereor, nunquam fore, vt Deus det mihi veniam. MON. Apage fili mi, quid narras? non te horũ verborũ pudet? si omnia scelera & flagitia, quę vnquã ab omnibus hominibus cõmittuntur, commissaúe fuerunt, aut cõmittentur, quoad mundus durabit, ab vno homine commissa essent, & eorum illũ pœniteret, vt te, tanta est dei misericordia & benignitas, vt pœnitenti taliũ scelerum nunquam sit veniam negaturus: quare dic audacter. CAP. Ha ha me miserũ, meum hoc nimis graue flagitiũ est, nisi tuæ preces subueniant, vix credo veniam daturũ. MON. Ne time, meam tibi obstringo fidem, Deũ me pro te comprecaturum. CAP. Heu me miserum. MON. Pergis lacrimare, nec quicquam dicis? bono animo es, quid taces? quid suspiras? CA.

Postea-

Posteaquá hoc te mea causa facturum polliceris, pater, dicá. Scito itaq; cùm essem puer, me aliquando detestatũ fuisse matrem meá. MO. Quid hoc, adeóne graue tibi videtur? homines quotidie Deũ diuosq; detestantur, & facilè eis ignoscitur, siquidé eos detestationis pœnitet, & tu non credis Deum in hoc leuiori crimine tibi veniam daturum? CAP. Væ misero mihi. MON. Lacrimas mitte, ac bono es animo, neque dubita, quin etiam si de eorũ grege esses, qui Dominum nostrum cruci affixerunt, ignosceretur tibi tantopere doléti ac pœnitéti. CA. Hem matrem meam, quę me totis nouem mensibus in aluo habuit, & quę me puerũ tátillum centies in manibus gestauit suis. Heu nimium est, & si Deũ non precaberis pro me, actum est de me. Monachus videns nihil Cappelleto esse reliquum quod diceret, illum absoluendũ censuit. Impositis igitur manibus illi bene ominatus, hominemq; verè sanctũ iudicans, absoluit. Neq; enim dubitabat, quin quę dixisset vera essent omnia. Quis enim de vita periclitans mentiretur? aut quis morienti fidem non haberet? Peractis autem absolutionis ceremonijs, hæc verba subiecit. MO. Heus mi Cappellete, Deo adiuuante propediè conualesces: at si forté secus eueniret, & Deus sacrá hanc, & optimè cõparatam animam tuam hinc ad se euocaret, estne cordi tibi Cappellete mi, vt corpus tuum se

peliatur penes nos? CAP. Maximè, imò nolim esse alibi, cùm certò cōdixeris, te pro me Deū precaturū, & cùm præterea semper præcipuè in sectam vestrā vltrò propensus fuerim. Quare obsecro, cùm primùm domū reuersus fueris, cura, elabora, perfice vt ad me corpus Christi deferatur. id enim (licet eo indignissimus) tuo permissu suscipere decreui. Deinde similiter postremā sanctamq; vnctionem, vt licet vixerim vt Ethnicus, saltē vt Christianus diē extremū obeā. MON. Perplacet, curabo sedulò.

Hactenus confessio.

INterim dū hæc gerebantur, duo illi fratres abdiderant se post tabulata, quæ Cappelleti cubiculū diuidebant ab altero cubiculo vicino: ibi exaudientes intelligentesq; nullo negocio, quicquid monacho narrabat, sæpeq; tāta illos ridendi libido cepit, cùm præclara ista facinora audirent, quæ recēsebat, vt risu propemodum disrumperentur. Nonnunquam verò inter se susurrabant quidnā hominis esset hic, quem neque senecta neq; perdita valetudo, neque mortis imminentis metus, neq; Dei timor (iudicio cuius mox sistēdus esset) à flagitijs subinde nouis perpetrandis auellere possent, aut cōmouere, vt aliter mori studeret, quā vixisset. Attamen audito consideratoq; pacto, quo eum in

in templum sepultum iri senserant, nihil de cæteris soliciti fuêre. Paulo pòst Cappelletus accepto sacræ cōmunionis symbolo, & cum præter modum morbus ingrauesceret, mox etiam extrema delibutus vnctione, vesperi statim eodem die, quo tam sanctè scilicet confessus erat, excessit è viuis. Mox duo fratres, quos suprà diximus, funus ei honorificū instruxére, accersitis religiosis qui ex more apud cadauer ea nocte excubias agerēt, & postridie manè omnia quæ ad pompam funebrem opus essent, appararent. Bonus verò ille monachus qui cōfitentem eum audierat, intelligens eum vita defunctū esse, è vestigio monasterij præsidem adijt. eiusque iussu ad datum signum conuenientibus ac concurrentibus vndiq; monachis, palàm significauit omnibus, Capelletum virum fuisse sanctissimū, vt ex eius confessione comperisset: speransque Deum in eo multa signa editurum, persuasit vt illud corpus summa cum ceremonia & religione exciperent. Hanc ergo in rem tum præses, quem dixi, tum alij ad vnum omnes vno ore consentiunt. Nec mora vesperi illuc vbi Cappelleti cadauer iacebat, frequentissimi conuolantes, excubias solennes; & insignes peregerunt. Postridie autem manè omnes stolis & pallijs amicti, librosq; manibus gestantes, & crucibus præeuntibus, nænias canentes ad efferendum cadauer processere, & magno cum plausu ceremo-

nijsq; receperunt in templum, sequente ferè omni ciuitatis populo, tam virorum quàm mulierum. Quo tandem deposito in æde sacra, sanctus ille monachus, qui ei à confessione fuerat, concionem ascendit, ac multa de eo, deque eius vita & abstinentia, castitate, simplicitate, innocentia, sanctitate, miris modis prædicare cœpit, narrans inter alia, quod & quàm exiguũ peccatum, Cappelletus præcipuũ, & quantis cum lachrimis confessus esset, & quanto conatu vix tandem persuaderi sibi passus esset, Deũ id non vindicaturum. Atque hinc interposita digressione ad populum, qui auscultabat: At vos, inquit, execrabiles, propter quàm friuola, & propter quas quisquilias Deum matremq; eius, & omnem aulam cœlestem detestamini. præterea multa alia de eius fide atque innocentia testatus, breuiter tali concione (cui habita integrè fides fuit ab auditoribus, & tota vicinia) sic eum in animos & affectus omniũ, qui illic aderant, insinuauit, vt statim sacris peractis, confertissima turba ad pedes manusq; eius osculandas irruerint, pręque nimio studio vestiméta eius vndiquaq; discerpserint, cũ se felicem putaret quisq; vestis eius particulam nactus esset, adeò vt eum toto die in templo oportuerit relinqui, vt ab omnib. spectaretur & consalutaretur. Sequente verò nocte in arca marmorea honorificè in quodam sacello conditus fuit. Quo loci postridie vulgus longa serie cœ-

rie cœpit eum accensis cereolis, vt diuum venerari, ac nuncupatis votis, cereas imagines suspendere, pro sua quisque religione. Postremò adeò creuit celebritas, opinioq; sanctitatis eius & cultus, vt propemodū nullus esset, qui aliqua ægritudine affligeretur, qui diuis alijs quàm huic vota faceret, vocatusq; est passim Diuus Cappelletus. Prædicant etiam Deum multa signa per eum edidisse, & edere quotidie apud eos, qui hunc religiosè colunt. Sic igitur vixit, & sic vita defunctus est Cappelletus Pratensis, & sic inter diuos relatus est, vt audiuistis, quem haud inficias eo, posse beatitudine frui apud superos: nam vtcumque vita eius impia scelerataque fuerit, potuit tamen eum in extrema morte adeò scelerum suorum pœnitere, vt fortasse Deus misertus sit illius, & in regnum suum, & numerum beatorum receperit. At quoniam non constat nobis, ego iudicans ex manifestis, aio, istum potius esse apud inferos, & cum Satana malè mulctari, quàm apud superos versari. Quare nos vt gratia dei in præsentibus calamitatibus & in hac tam hilari sodalitate incolumes seruemur, laudantes nomen eius, à quo fecimus nostri sermonis initium, & eundem reueriti in ærumnis nostris, nos ei commendemus nihil prorsus diffisi, nos exauditum iri. Hæc vbi Pamphilus dixisset, tacuit.

NEIPHILE.

EX IOANNIS BOCCATII Decamerone, Olympia Morata interprete.

ARGVMENTVM.

Abrahamus Iudæus à Giannoto Ciuigno ad Christi suscipiendam fidem extimulatus, dicit se prius velle Romam proficisci, & Antistitum mores perspicere. Vbi perspecta eorum vita turpissima, Lutetiam reuertitur, fitq; Christianus.

Qvemadmodum ego, venustissimæ matronæ, aliquando patrem meum narrantem audiui: Mercator quidam Parisijs fuit, cui Giannoto Ciuigno nomen fuit, vir bonus, integer & rectus, qui magna & ampla negocia in pannis habebat. Huic cũ opulentissimo Iudęo qui Abrahamꝰ appellabatur, arcta quędã necessitudo erat, qui & ipse, mercator non infimus, sed singulari æquitate, fideq; pręter cæteros habebatur. Cuius virtutes cum Giannotus admiraretur, cœpit valde secum angi, tam præclarum virum, tanto ingenio tantaque humanitate præditum, religionis errore perditum iri. Itaq; amicè eum orare cœpit, erro-

ores Iudaicæ superstitionis relinqueret, seq́; ad Christianam veritatem conuerteret, quam ipse cernere poterat: vt sanctā & bonam, indies augeri ac dilatari: suam verò diminui ac paulatim aboleri. Ac tametsi nullā se prçter suam, Iudçus bonam esse, credere affirmaret, in qua & se natum esse diceret, & mori velle asseueraret, nec vlla ratione ab ea posse diuelli, nihilominus Giannotus diebus aliquot pòst, eadem inculcare non destitit: eiq́; crassa minerua, vt bonam partem mercatores solent, ostendere nostram Iudaica religione meliorem esse. Ac quanquā Iudæus in sua esset exercitatissimus, tamen siue amicitia quæ ei cum Giannoto erat motus: siue verbis à Spiritu sancto homini idiotæ dictatis Iudço cœperunt nonnihil placere Giannoti demostrationes: persistebat nihilosecius in suo proposito, nec ab eo se vsquam flectere sinebat. Verùm vt ille in sua pertinacia manebat: sic Giannotus eum vrgere non cessabat, adeò, vt Iudçus, continua impulsione victus, diceret: Quandoquidem, Giannote tantopere vt fiam Christianus, vrges, tibi in eo statui morem gerere: ea tamen conditione, vt primùm Romam proficiscar, ibiq́; illū videam, quem Dei vicariū in terris esse dicis: eius suorumq́; fratrum purpuratorum vitam moresq́; considerē: qui si mihi tales videbuntur, vt cùm ex tuis verbis, tum illorū moribus intelligere possim vestram religionē & fidem, nostra asse

meliorem,vt tu mihi demonſtrare ſtuduiſti,faciam vt tibi modò recepi: ſin ſecus Iudæus vt ſum,eſſe perſeuerabo. Hoc vbi Giannotus audiuit, vltra modum indoluit:ac ſecum oleum, inquit, atque operam perdidi, quam præclarè me collocaſſe exiſtimabam, cùm hunc crederem mea opera eſſe mutatum. Nam ſi Romanam curiam attigerit, ac ſacerdotũ ſceleratam & impuram viderit vitam,nedum è Iudæo fiet Chriſtianus:ſed ſi Chriſtian9 eſſet, fieret haud dubiè Iudæus.Itaque ad Abrahamum conuerſus:heus tu,inquit,amabo te,quorſum tantum laborem tantamq; itineris impenſam ſuſcipere cogitas? neſcis homini locupleti,cuiuſmodi tu es,terra mariq́ue omnia eſſe periculis referta? Non credis hic homines inueniri poſſe, à quibus Chriſtianis ſacris initiêre? Quod ſi quis ſcrupulus, in hac quam tibi oſtendo religione,animum angit, vbi maiores viros,ſapientiores homines, peritiores magiſtros quàm hic inuenias,à quibus quæ voles & petes, poſſis cognoſcere? Quæ cum ita ſint, iſta tua profectio, vt mihi quidẽ videtur,ſuperuacanea erit. Cogita te illic eoſdem ſacerdotes põtificéſque inuenturũ,quales hic videre potuiſti,tantoq; meliores,quantò ſunt primo ac ſummo ꝓpiores. Quare ſi me audies,iſtum laborem in aliud tempus reſeruabis,vel in annum illum ſecularem,quo ſcelerum omnium venia impunitaſq; proponitur, me tuum fortaſsis comitem

habitu

habiturus. Cui Iudæus, equidem ſic eſſe arbitror, inquit, verùm vt multa in vnũ conferam, omnino ſtatui, aut eò proficiſci, aut in mea ſen tentia perpetuò permanere. Hic Giannotus, cùm hominem obfirmatum in ſua ſententia cerneret, tametſi ſecum reputabat, Romana cu ria perſpecta, nunquam futurũ Chriſtianum: tamen cùm in eo nullam ſe iacturam facturum cogitaret, vltra nihil eſſe contẽdendum ratus, Bonis, inquit, auſpicijs pergito. Iudæus igitur equo conſcenſo, Romam magnis itineribus contendit: quò cùm perueniſſet, à ſuis Iudæis acceptus honorificè fuit, atque ibi aliquandiu commoratus, nec cuiquam ſuum conſilium aperiens, cautè cœpit Pontificis maximi, purpu ratorũ, aliorumq; ſacerdotum atq; aulicorum mores, ſtudia factaq; ſpeculari. Itaq; cùm ipſe per ſe, vt pote vir cumprimis prudens & cautus, tum per alios edoctus, eos à maximo ad minimum reperit, omnes peni turpiter deditos eſſe, veneriq; promiſcuæ ſine fræno, ſine pudore facere: adeò vt ſumma eſſet meretricum & cinædorum ad quiduis impetrandum gratia. Eoſdẽ prętereà vniuerſos, ganeones, po tatores, ebrioſos, vẽtriq; veluti pecora, & luxui magis, quàm rationi atque modeſtiæ obedientes, apertè cognouit. Cumq; propius eos inſpe xiſſet, adeò omnes auaros, pecuniæq; cupidos vidit, vt pariter humanũ ſanguinem, imò Chri ſtianum resq; diuinas quæcunq; illæ tandem

essent, siue ad sacrificium siue ad beneficium pertinentes, auro venderent, emerentq; , nundinationes in eis maiores exercerent, plures conciliatores haberent, quàm Lutetiæ aut Venetijs, purpuræ, aliarumúe quarumcunq; mercium (omitto sacrarũ rerum nundinationem) quam præclari isti Simones, procurationem vocant ingluuiem, refectionem : luxũ, elegantiam : libidinem, cœlibatum : quasi Deus, non dicam vocum potestatem, sed fœdissimorum sensa animorum non perspiciat: aut hominum more, verborum varietate sibi patiatur illudi. Quæ quidẽ omnia, cum innumeris alijs, quæ prętereunda duco, cùm Iudęo, vt pote homini sobrio & modesto, vehementer displicerent, seq; plus satis vidisse existimaret, Lutetiá Parisiorum reuerti statuit: quod & fecit. Giannotus autem vbi eum reuertisse cognouit, nihil minus sperans quàm eum futurũ Christianum, ad eum venit: qui cùm se mutuò magna cum lætitia consalutassent, Iudęus aliquot dies quieti dedit. Post cùm iterum conuenissent, quęsiuit Giannotus quid de sancto Patre, quid de purpuratis eius, quos Cardinales vocant, quid item de cæteris aulicis sentiret. Cui extemplò Iudæus malè, inquit: quos Deus omnes: sed nolo malè precari. Hoc autẽ tibi confirmo me illic, si quidẽ benè perspexi, nullam sanctitatem, nullá religionẽ, nulla benefacta, nullum honestæ vitæ documentum, aut aliud bonum

bonum in tota illa natione sacerdotũ vidisse: sed libidinem, auaritiam, gulæ & ventris studium & id genus alia, quin etiam multò fœdiora (si fœdiora in aliquo esse possunt) mihi visus in tanto omnium plausu & gratia, videre, vt eam potius omnium furiarum, & scelerum, & flagitiorum officinam, quàm rerũm diuinarum sacrarium, aut domicilium appellare possis. Ac mihi quidem cuncta diligenter rimanti, vester ille præclarus pastor, atq; vnà eum sequenres reliqui, videntur omni diligentia, studio & arte id vnum procurare, vt religionem Christianam è mundo tollant ac prorsus extinguant: qui sacrosanctæ religionis firmamentũ & columen (vt videri volunt) esse deberent. Cùm igitur videam tot tantisq; machinis, vel ab ipsis custodibus ad casum impelli, consistere tamen & vigere, eam nostra potentiorem firmioremq; fateri cogor. Quæ cùm ita sint, q̃ primùm rigidus & durus, ad tuas rationes & suasiones perstabã, nec fieri Christianus volebã, his permotus quæ ipsie vidi, iam apertè profiteor nulla re me abduci posse, quin Christianæ Reipublicę ciuis annumerer. In templum igitur tandem concedamus, atq; ibi sacrosanctæ religionis ritu me initiari curato. Hic Giannotus, qui contrariam penitus ex Romana profectione catastrophon expectabat, vbi eum sic loqui audiuit, se omnium fortunatissimum existimauit.

Atque vnà cum eo ad Marię virginis fanum, vt bis Pariſiorum celeberrimum profectus, à ſacerdotibus ibidem poſtulauit, Abrahamum è Iudæo iam ad Chriſtum conuerſum, Chriſto myſticis aquis ablutum initiarent. Quod cùm & ipſe ſuo ore poſtulaſſet, ſolita ceremonia perfecerunt: quem Giannotus ſacro è fonte ſublatum, Ioannem nominauit: pòſt eum in fide perfectius erudiendum magnis ac doctis viris commendauit: cuius arcana ille breui aſſecutus, bonus & doctus Chriſtianus, vitæq; probatæ vir euaſit.

DIALOGVS.

Lauinia Ruuerenſis Vrſina, & Olympia Morata colloquuntur.

LAVINIA. Semper ne libros euolues Olympia, nec vllum remittes tempus? relaxandus erat nonnunquã animus: deinde ad hæc te ſtudia referres: tum enim animus, cùm ſe collegit atq; recreauit, celerius arripit quod docetur. OLYMP. Sunt iſta vera Lauinia, ſed ego illi aſſentior, qui omne tempꝰ amitti dicebat, quod in ſtudijs nõ conſumeres, nec vnquam mihi illud excidit πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνου, & iam mihi peccare videor, ſi tempus quod mihi à Deo datur (nam deus nobis hęc otia fecit) in his ſtudijs ac literis non

conſu-

consumam, presertim cum omnia alia solatia me deficiant, quibus desideriū lenire posſim, quod capio è meo ſponſo abſente. LAV. Facilius tu id quidē poteris, quàm ille Laertes agro colendo, Studia enim diuina dico ſunt agri ſaluberrimi, & maximè fertiles, è quibus amici Dei lætos & vberes & immortales ferunt fructus: alia verò humanarum literarum voluptati ſunt his, qui ſenſum nōdum habent animi oculorum vera cernentium, vt cœlum ſuſpicere & cœleſtia contemplari poſsint: itaq; ex his floſculis quoſdā celeriter decidentes carpunt. OLYMP. Vtinam neq; ego in hoc ſummo errore, & in hac maximarum rerum ignoratione verſata aliquando fuiſſem. Ego enim quæ me ipſam doctiſsimam arbitrabar, quia omnium artium bonarum ſcriptores tales & doctores legebam, & in eorum ſcriptis, tanquam in luto volutabar, tunc cùm ad cœlum laudibus ab omnib. efferebar, me omnis eruditionis expertem atq; ignaram eſſe comperi. Interdū enim in eum errorē rapiebar, vt omnia caſu fieri putarem, neq; Deū crederē curare mortalia quenquā. Tanta animo meo offuſa erat caligo, quæ iam à Deo diſcuti cœpit, & aliqua mihi eius ſingularis & diuinę ſapientię lux oborta eſt, & in me ipſa periculum feci, illius ſapientia omnes res humanas geri. Tantū enim mei deſertæ & abiectæ (vt noſti) patrocinių ſuſcepit, vt eūm patrem & pupillorum patronū eſſe, reipſa ſim

experta, nec vlli parentes, mihi crede, ea indulgentia sunt in liberos suos, qua Deus in me fuit: ah vix tandem sensi stolida. LAV. Tamen increbuerat apud multos, te commemorabili pietate & virtute præditam esse. OLYMP. Audieras, & fama fuit: sed si homines attenderent quæ de principibus & eorum familiaribus dicuntur, non tam magna fuisset eorum opinio de me. Adulatores enim, quia ad principes affectant viam, non modò principibus adulari solent, sed etiam eorum familiaribus, quos apud illos gratiores esse putant. Tu testimonium dare poteris, quàm abhorrens fuerim à re Christiana. LAV. In memoria habeo: sed tamen si non omnia vera fuerunt, quæ prædicabant, non tamen hanc falsam de te opinionem accepimus, te literis Græcis & Latinis eruditam esse. OLYMP. Fama veris falsa quædam semper solet adiungere, quo eius testimonio fides tribuatur. Ego (licet enim verũ dicere) nunquam laborem fugi, neq; in maximis occupationibus intermisi studia doctrinæ: sed me non tam præclara eruditione & doctrina esse, facilè qui mea scripta leget, intelligere poterit. LAV. Audiui de tuis præceptoribus, quátum laboris & operæ in his consumpseris: & mea quidem sententia sapienter fecisti, si quantum cæteris ad capillum componendum & se ornandum, quantum ad alias voluptates, & ad ipsam animi requiẽ & corporis conceditur

tur temporis, tantum tibi tute ad hæc ſtudia recolenda ſumpſiſti. Hoc autem mihi maximã admirationem mouet, quòd cùm eſſes puella, tamen neq; hortatu mulierculamm, neq; virorum impulſis (qui clamitabant, alia munera obeunda tibi fore, neq; virũ tibi inueniri poſſe, qui te doctam quàm ditem mallet) vnquã à tua ſentẽtia diſceſſeris. OLYMP. Ego ſanècùm etiam atq; etiam quàm diligenter conſiderarẽ, nullã aliam cauſam reperire potui, quàm Θεοῦ μετὰ παισὶν ἔμεινε me his ſtudijs operam dediſſe. Ille mihi ingenium & hanc mentem dedit, vt ſtudio diſcendi adeò incenſa fuerim, vt nemo me ab his deterrere potuerit. Nam ille omnipotens eſt omnium oratorum optimus, qui nulla dicẽdi arte mentes noſtras, quò vult, impellit: vnde vult deducit: quare hæc omnia eius nutu atq; conſilio geſta ſunt. neq; verò quidquã temerè aut imprudenter facit. Hæc fortaſſe illi gloriæ erunt, & mihi emolumento. LAV. Eſt vt dicis, mea Olympia, illius nutu & arbitrio omnia geri: nec meliorem cauſam hac inuenire poteris, nec amplius ego aliam quæram. Tantùm te hortabor, vt in vita humana diuina ſtudia colas. ſi enim ex illis aliquid voluptatis cepiſti, in quibus certè nulla ſolida vtilitas, delectatioq; eſt niſi puerilis, hæc gaudio te delibutam reddent, cui nulla vnquam ægritudo intercedit. Horum enim ſtudiorum voluptates propriæ ſunt. Quare ſi me au-

dies, illa ſtudia diuinis tanquam ancillas pediſſequasq́; adiunges. Οἴδαμεν γὰρ ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθὸν, quod nobis vt eueniat, Deum comprecabimur. Et ego homo ſum ex argilla quidem & luto fictus, quem mater aluo menſes decem continuit, ſatu conceptuq́; generatum, & in hanc lucem ſuſceptus, eundem ſpiritu aerem duxi, eadem me mater omnium terra excepit, vocē lacrimas profundens miſi, deuinctus faſcijs fui, multa cura & ſolicitudine educatus: nullus enim alium rex habuit ortum. idem omnium hominum ortus & obitus. Quapropter in deſiderio fui, illius quæ mihi imploranti data eſt ſapientia, quam expetiui magis quàm regna & imperia, diuitias contempſi, præ ipſa nullas illi gemmas pares iudicaui, venæ omnes argenti & auri præ ipſa, pauxillū arenæ, ſordes ac lutum ſunt: ipſam magis quàm integram valetudinem, vel corporis pulchritudinem adamaui: ipſam mihi lucem afferre in animū induxi meum: quoniam lumen illius nunquam extingui poteſt: ſuppeditauit mihi omnium rerū abundantiam & copiá: maiore lætitia ſum affectus, ſapientia duce & auſpice ſapientia, quàm cæteri omnes: primùm verò ignorabam, horum omnium ipſam procreatricem & parentē eſſe. hanc nullo dolo malo adeptus ſum, eius præſtantiá alijs impartio, copioſè & abundáter de ea loquor: eſt enim ingens theſaurus, quem qui habēt, ad

amici

amicitiam Dei ſe conferunt: dono dedit gratum animum ipſe dux & corrector ſapientum: omnia in manu illius ſunt, nos ſermonesque noſtri prudentiam, vbi vult locat: omnes qui cuiq; artificio præſunt, eam quam habent prudentiam eius munere adepti ſunt: ipſe mihi certam rerum omnium dedit cognitionem, vt fabricam tanti operis, qua conſtructus ab ipſo, atq; ædificatus mundus ſit, elementorumq; vim cognoſcerem, & vt aſtra ſolſtitiali ſe & brumali reuocatione conuertant, annuas frigorũ & calorum varietates, flexiones, conuerſiones que annorum, & quæ ſiderum ſit collocatio, naturam animantium, & in feris animorum impetus, ventorũ vim cognoui, & hominem perfectione rationis excellere, plantarum genera, radicum vim, rerum deniq; occultarum & latentium, earumq; quę ſunt in promptu cognitionem cepi: omnium enim effectrix ſapientia me inſtituit & erudiuit, cuius ſpiritus diuinus, ſanctus, cœleſtis, intelligens, vnigena, acutus, eloquens, multiplex, mobilis, nõ contaminatus, manifeſtus, inuiolatus, bonum expetens, expeditus, beneficus, human9, ſtabilis, ſecurus, omnipotẽs, omnes virtutes in ſe habẽs, perſpicax, omnes omnium reconditarũ abſtruſarumq; rerum intelligentias concipiens, intelligentia per omnia mũdana permeãs: eſt enim quouis motu concitatior, nõ vaſtator, ſapiẽtia eſt potentiæ Dei, liquor dilucid9, gloriæ omni

potentis nullam impuritatem in se suscipiens, splendor sempiternæ lucis, speculum nullis maculis aspersum, in quo Dei efficacitas & imago bonitatis illius cernitur, & cum sola sit, omnium rerum præpotens est, omnia renouat. Hæc semper in suo statu manens, ac per secula omnia in puras animas sese insinuans, Dei sanctoque spiritu animos illorum incitans, Dei amicos vatesq; facit, vt futura præsentiant: siquidem nihil gratum Deo est, quod cum sapientia commercium non habet: nam ipsa luce solis clarior, & priusquam sidera cœlo infixa essent, fuit: luciq; comparata prior reperietur: illi enim nox officit, huic malitia nec obsistere nec officere potest. Tanta verò magnitudine, vt cuncta compleat: omnia gubernat & moderatur: magnos vsus hominibus afferens. Hanc à prima adolescentia deperiui, illius pulchritudinem adamaui, in matrimonium ducere concupiui. suam verò hæc nobilitatem illustrauit, quòd penitus se in consuetudinē Dei immerserit, cui vinculo amoris arctissimo copulata est. Scientiam enim ipsius in se habet, ipsam de operibus suis iudicem sumpsit. Quod si diuitię expetuntur ad vsus vitæ necessarios, vbi maiores diuitiæ, quàm in sapientia omnium effectrice positæ sunt? Si quis iusticiā colet, in huius actionib. virtutes omnes reperiuntur, prudentia, iustitia, tēperantia, virtutibus omnib. ornat, quib. nihil vtilius hominū generi à Deo datum

datum eſt. Si quis verò rerum omnium ſcientiam conſequi velit, hæc præterita nouit, futura prouidet, ſophiſmata, prognoſtica, & ænigmata intelligit. Iungere igitur conſuetudinem & familiaritatem cum ipſa, in animum induxi meum, ſciens hanc mihi recta conſilia daturã admoniturámq; me in aliqua cogitatione curáq; verſantem: ob ipſam gloriam apud populos conſequar, apud ſenes iuuenis in honore ero, acer in iudicio exercendo, admirationem potentibus mouebo, me conticente cæteris ſilentiũ erit: in me aliquid loquẽtem omnium ora atq; oculi erunt conuerſi: me declamitante ora intenti tenebunt: ipſa æternitatem immortalitatẽq; donabit: memoriam mei excipient omnes anni conſequentes: reſpub. geram: exteræ nationes ſe imperio ac poteſtati meæ ſubijcient: tyrannis truculentis me audientib. terrorem inijciam: bonus perhibebor, in bello fortis: domi cum illa me delectabo. eius conſuetudo iucundiſsima hilaritatis plena ac lætitiæ eſt: eos qui ipſa familiariter vtuntur, ægritudine leuat. Hæc mecum reputans & in animo cogitans, quòd qui cùm ipſa neceſsitudinem & cognationẽ habent, æterni ſunt, quodque in eius amicitia mira ineſt ſuauitas & delectatio, & quos vult, omnium rerum affluentib. copijs ditat, quòd prudentia cũ eloquentia iũxerit, quãquam præclara res ſit, ſermonẽ cum ipſa cõferre: experiebar, & tentabã omnia, quò

eam consequerer. eram verò ingeniosus puer bona indole præditus, non me corporis voluptatibus dedidi, vidensq; quòd non aliter eam consecuturus essem, nisi illã mihi daret Deus, & hoc erat singularis sapientiæ, nosse cuius esset hoc donum, in colloquium Dei perueni, eum precatus sum ex animo hæc dicens: Deus rex, fons & caput misericordiæ, qui maioribus nostris misericordiam tribuisti, qui omnia Christo tua sapientia fabricatus es, hominemque finxisti: vt terrenorum commodorum in eo omnis esset dominatus, & mundum sanctimonia & iustitia administraret & regeret, incorrupteq; iudicaret: da mihi tui regni sociam sapientiam, & me ad tuum numerum adscribe, quoniam tibi seruitutem seruire debeo, cùm sim ancillæ tuæ filius, homo mortali conditione generatus, cui exiguum vitæ curriculum circumscripsisti: non enim tantum habeo prudentiæ vt leges ferre, & iudicia exercere possim: si quis etiam perfectus & absolutus videatur, si tuam non habuerit sapientiam, certè in numero sapientum non est habendus: tu mihi regnum detulisti populi tui, tu me arbitrum statuisti, tu me tibi templũ exædificare, & illud in monte tuo sancto dedicare, & aram in ea vrbe quam incolis dedicare iussisti, imitantem exemplar tabernaculi à principio à te collocati, quod ad imitandum nobis tu sapientiaq; tua proposuisti, quæ tibi in omnibus operibus

conscia

conſcia eſt, quæ cùm mundum hunc ædificares, præſens erat, leges & inſtituta tua cognoſcens, fac vt è cœlis tuis ſanctis tuæ magnitudinis ſede delabatur, vt illam mearum actionum, ſententiarum, voluntatum, rerum denique omnium ſociam comitemq; habeam, quo tibi quid gratum ſit teneam: illam enim nihil fugit, ipſa erit mihi rectè viuendi dux, meq; ſua ſapientia tuebitur & conſeruabit: tunc ſi quid faciam, id gratum aduerſum te erit, populum tuum integrè iudicabo, patrio imperio dignus ero: quis enim præter ipſam cognouit quæ voluntas, quod tuum ſit conſilium? Imbecillior eſt enim natura humana, quàm ſupera atque cœleſtia cogitare poſsit, & animæ acies obtuſior: dum ſumus enim in his incluſi compagibus corporis, animus multa cogitans deprimitur, & quaſi demergitur in terram, & vix quæ ante pedes ſunt videmus, nec oculis quidem cernimus quæ videmus, cœleſtia autem quàm procul ſunt à noſtra cogitatione, niſi tuam dederis ſapientiam, & tuus ſpiritus huc ſedibus æthereis veniat, tunc homines in viam redeunt, & tibi morem gerunt. Tua enim ſapientia ſani facti ſunt omnes, qui à principio tecum in gratia fuerunt.

SECVNDVS DIALOGVS.

Theophila & Philotima colloquuntur.

THEOPH. Omnibus telis diaboli propoſita eſt hæc vita noſtra ita, vt quocunq; te animo & cogitatione conuertas, ſemper quod doleat inuenias, pijs hominibus præſertim, qui non tantùm ſuis, ſed etiam aliorum incommodis anguntur. Ita ego cum ſatagam rerum mearum, tamen ad cæteras meas miſerias accedit dolor, quem è rebus aduerſis huius meæ amicæ capio, propterea accedo vt eam ego conſoler conſolatione egentem. PHIL. Viſa ſum Theophilæ noſtræ vocem audire: ipſa eſt, optato aduenis: tanto enim afficior dolore, vt apud me non ſim, qui fortaſſe tua præſentia & colloquio mitigari poterit. Conſideamus hic, vt commodius inter nos colloqui poſsimus. Primùm non eſt neceſſe, vt cauſam mei doloris tibi explicem: nam iam dudum, cùm tanta tecum mihi neceſsitudo interceſſerit, neq; te mihi familiarior vlla fœmina ſit, omnia mea occulta agud te exprompſi, & quantum doloris capere ſoleam ex mariti crebra abitione, multi boniq; ſciunt, quo etiam in præſentia afficior: rurſus enim à me diſceſsit, me deſeruit, nullā mei abſentis rationē habet, mihi hic ſoli malè eſt, cū illi ſit bene, his

curis

curis & alijs similibus conficior: nam cùm essem adhuc puella, nihil vehementius cupiebam, quàm mihi virum contingere, cuius cum moribus & natura congruerem, cuius conspectu semper frui liceret, nullamq; in hac vita felicitatem maiorem existimaui, quàm habere virũ tui amantissimum, qui cum ætatem degeres: & hanc ob causam præcipuè nupsi, vt mihi cum illo bene esset: quòd cùm aliter cecidisse videam ac optabam, eo maiorem accipio dolorem, quo maiorem felicitatem fore meam in animum induxeram. TH. Cùm & monere & moneri proprium sit veræ & Christianæ amicitiæ, & alterum liberè facere non asperè, alterũ patienter accipere non repugnãter, eo à me audacius es admonenda, quo charior. PHIL. Loquere liberè quid velis, scio istuc esse æquũ, imò debemus vicissim nos admonere: fuge suspicari me ægrè laturam. THEOP. Primùm igitur si tu, vt par erat, diligenter libros Veteris & Noui Testamenti legisses, aliam de rebus humanis ex istis fontibus opinionem imbibisses, omnia aliter euenire multò intellexisses, ac nos cogitamus. Nam, vt ille ait: Cor hominis de via sua deliberat, Dominus verò promouet gressus eius. Itaq; omnia Deo credere & cõmittere didicisses, exemplisq; sanctorũ multa mala subeunda esse, neq; vnquã te vacuam fore ab omnib. molestijs si nupsisses, existimasses: cùm multa mala aduenisse sanctis etiã mulieribus

legiſſes, quæ non vt tu, quo iucundè viuerent nupſerant, ſed vt Deo in hoc vitæ ſtatu inſeruirent, ſuis viris morem gerentes, liberos, aut ſi non illos quos Deus ipſis commiſiſſet, ſanctè pieque educantes, Chriſti religione & diuinis literis imbuentes. Quapropter non eſt mirandum ſi tibi non omnia proſperè euenerint, prę ſertim cùm Deus non fuerit finis ille à te propoſitus ad quem referenda, & cuius cauſa omnia facienda erant. Denique ſi rem recta reputabimus via, tantam eſſe etiam in illis, quorum ſanctitas præ cęteris elucet, & multitudinem & ingratitudinem intelligemus, omnes ærumnæ, quas in hac vita perpeti ſolemus, non maius ſint ſupplicium, quàm ſi pater filio omnia ſcelera & flagitia admittenti aliquando infringeret colaphum: non igitur tam grauiter ferre debes, ſi quam ex incommodis vitę moleſtiam capias, cùm in omni anteacta tua vita Deum, & eius diuinum verbũ contempſeris, omnia alia illi præponens, neq; tua ſalus, neq; tuorum, qui tuæ fidei commiſsi ſunt, tibi curę vnquam fuerit, tua nobilitate nixa, & tuorum potentia freta fueris, maioremq; in iſtis quàm in Deo ſpẽ poſueris, de tuis diuitijs plus quàm de Deo gloriata, neq; vnquã gratias egeris pro tot & tãtis in te beneficijs collatis: & q̃d opus eſt verbis? lege diligenter decalogũ eius explanatione adhibita, in eoq; tanquam in ſpeculo vitam tuam inſpice, & te omnibus vitijs cumulatiſsi-

latiſsimam eſſe perſpicies. PHIL. Diffiteri non poſſum, mę longè minorem culpa pendere pœnam, imò nullam, ſi mea peccata conſidero, ſed video multas alias meliore cõditione, quæ certè non vacant culpa & turpius quàm ego viuunt. THEOP. Scio eas te felices arbitrari, quibus maiorem licentiam & libertatem viuendi dant, quæ in ocio viuunt, veſtitu nimiọ indulgent, curribus auratis vehuntur, vt Ferrariæ ſolẽt mulieres, & in alijs Italiæ vrbibus, quę nõ ſuis maritis ornantur, ſed vt & alijs placeant, quas niſi pœniteat facti, Deo meritas debitasq; pœnas perſoluent: has tu beatas exiſtimas, & imitari velles? PHIL. Sanè in eo quòd ita comuntur & moliuntur, vt alijs formoſæ videantur imitari nolim: nam vt noſti, hoc ſemper ſummè ſtudui, vt à viro meo amarer, eo vno contenta: ſed hoc mihi dolet, eas multis rebus quibus ego careo, abundare, quib. ego potius nata ex tanta familia affluere deberem, vt ſunt illa quę modò enumerabas: neq; à marito tantam viuendi licentiã concesſam habere velim: ſed interdum ire deambulatũ mei colligendi cauſa, curribus & equis inuecta pro mea dignitate, bene comitata, habere lectos pulcherrimè ſtratos, belluata tapetia, menſam conquiſitiſsimis cibis extructã, vt fœminas mei ſimiles nonnunquam inuitare poſſem ad prandiũ, vel ad cœnam: pecuniã pro manu habere, vt alijs largè donare poſſem. THEOPH. Dum iſta

enumerabas,mearum ineptiarum mihi in mẽtem veniebat: nam in eodem ego quoque hæsitaui luto,& adhuc,nisi me Deus, quæ sua est misericordia,extraxisset,hæsitarem. Quid cedò stultius aut absurdius esse diceres, quàm si videres mulierem preciosa veste multis gemmis auroque incedere, facie verò tota cœno oblitam? PHIL. Non solùm id ineptum absurdumq; dicerem, sed etiam eam insanire. THE. Meritò, quia quod ornari maximè debuerat, neglexit.ita non minus nos ipsas delirare existimemus,cùm animum,quo nobis nihil præstantius neque diuinius à Deo datum est, omnibus flagitijs inquinatissimum esse sinimus, quæ multò peius in cœlo olent quàm cœnum, quorum teterrimum odorem Deus ferre non potest: interim verò corpus animi carcerẽ studiosissimè diligentissimeque curamus,currus habere optamus, quibus hic in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui invehamur, at currum quo in cœlum, quò via longissima est vectæ ascendamus, hoc est fidem habere nõ optamus.habitare laxè & magnificè volumus: at in cœlesti regno,quo nihil splẽdidius & magnificentius esse potest,habitandi nullo afficimur desiderio, cùm tamen hic commorandi Deus diuersoriũ nobis, non habitãdi dederit. corpus bene vestimus,& nudi quod ad animũ attinet incedimus:mensam habere extructam cupimus, at Dei verbo nullo tenemur desiderio,

rio, quod eſt vnum animorum ſuauiſsimus paſtus. Incredibilis eſt hominum peruerſitas: poteſne iam diiudicare non tantam eſſe earum felicitatem, quas tu beatas exiſtimabas, & te feliciorem illis eſſe? PHIL. Prorſus de illis ſi cœleſtia illa bona non habent, ita eſſe vt dicis mihi perſuaſum eſt: ſed fuerunt tamen nonnullæ ſanctæ & religioſæ mulieres, quæ iſta corporis bona habuerunt, egregia forma & dites fuerunt, in altiſsimoque dignitatis gradu à Deo collocatæ. Quemadmodum Heſteram in matrimoniũ duxit tantus rex: item Abigael, quæ regi Dauidi nupſit: hæ nihilominus pietatem coluerunt, etiamſi opib. & honoribus floruerunt. THEO. Deus alijs alia munera donat, & aliud alij onus imponit, & de eius iudicio nefas eſt iudicare: certò ſcimus eum nihil temerè facere, ſed omnia quæ ex vſu nobis ſint. Si igitur in rem noſtrã eſſet iſta habere, mihi crede, largè effuſeque donaret, qui ſeipſum quo nihil maius eſt, dedit. Quòd ſi nõ credis tibi obfuturum quod illis non nocuit, adeò ægrè iſtis cares, adeò tibi admirabilia videntur ea, quæ ipſæ pro nihilo putarunt? Cum igitur harum rerum tantum te teneat deſiderium, non eſt dubium quin, ſi ea haberes, rebus diuinis anteponeres, neque quo pacto cœleſtia cõſequi poſſes cogitares. eſſes enim quod optabas cõſecuta. Reginę Heſterę longè alia mens erat: tantum enim abeſt vt ipſa tale regnum appetiue-

rit,vt cùm Deum precaretur,illum ipſum teſtẽ adhiberet,coram quo mentiri non licet,ſe longiſsimè ab hoc vitę ſtatu abhorrere,vtrunq; ſe dixiſſe tota vita teſtificata fuit, cùm neq; diuitiæ,neq; honores, neq; regis amor eam à Deo abſtrahere potuerint,imò prę populi ſui ſalutę omnium bonorum illorum, & capitis etiam periculum neglexiſſe eam conſtat. Cùm enim Rex, Amanis ſceleratiſsimi impulſu, diem ad perdendos Iudęos ſtatuiſſet,iamq; dies ille triſtiſsimus illuxiſſet, Mardochęus & de ſua ſuorumq; ſalute ſolicitus ad reginam adijt,eam orans & obſecrans, obteſtatur vti populũ ſuum à morte eripere vellet:neq; verò hoc aliter fieri poterat, niſi precibus regem placando,quem vltrò adire nemini fas erat: fuit enim hoc moris illis regibus,vt ſi quis vltro ad regem veniſſet,ei omnino moriendum eſſet. Regina tum ſeipſam in diſcrimen pro populo ſuo obiecit, regemq; adijt:an non credis maiori dolore fuiſſe illi, iſta poſsidere, cũ impijs in aula procul à populo Dei viuenti, quàm tibi eiſdem carere? qui autem eo animo ſunt,illis nec diuitiæ nec alia huiuſmodi bona vllum damnum aut malum dant: expetentib. verò ea exitio ſunt, vt reginæ Vaſti, quæ dulci fortuna ebria, adeò inſolẽs facta fuit,vt viro ſuo Aſſuero tanto regi parere noluerit: quippe res ſecundæ ſapientũ etiam animos fatigãt, nedum qui impij ſunt ſę inſolenter efferrẽt:propterea Deus ſuos ne pereant

reant istis rebus priuat, aut si largitur alijs, illos animi doloribus afficit. Nam si Hestera tantos animi dolores non sustinuisset, hæ res tantum, quantum alijs afferre solent, voluptatis attulissent, & sine vlla dubitatione Dei oblita fuisset: erat enim caro, vt de populo Israelitico legimus, Pinguis factus est dilectus meus, & recalcitrauit. Abigaelem verò Dauidem cùm in tantis malis versatum fuisse constet, multa perpessam existimare debemus. si tu tantum splendorem & speciem vitæ illarum intueris, laborem autem & solicitudinem non respicis, & quoties animum ad tuas ærumnas refers, semper tibi ante oculos illas proponis, quibus res sunt secundæ, aut esse videntur, quòd faciendum non erat: sed ante oculos ponendi erãt miseri, afflicti, ærumnosi, canosi, calamitosi in hac vita, quorũ numerus maximus est. Omitto iam Christum ipsum Dei filium omnipotentis, qui maiores & acerbiores hausit dolores, quàm vllus alius post hominum memoriam: prætereo sanctos, tu illorum historias lege diligenter, & considera, an non maiores quàm nos calamitates acceperint, cùm nobis multò meliores fuerint. Multorum etiam qui viuunt hac tempestate exempla possem proponere: sed de vna tantùm fœmina primaria & eius viro præclarissimo Duce Saxoniæ mentionem faciã. Quantos illos dolores esse censes tanto tempore seiunctos esse? cùm summus mutuus

que sit amor, neque ille nunc vt tuus in magno honore est: sed abest captiuus, omnibus bonis priuatus; omnibus ornamentis amissis, contẽptus, abiectus, in potestate hostis, tanta autem pietate & probitate, vt nesciam, an quicquam simile sit in terris (de principibus loquor) cuius viri tanta est constantia, vt nullam vnquam desperationis vocem ab eo missam fuisse, Cæsari fauens Hispanus quidam scriptis mandauit. Horum calamitas, si tamen calamitas dicẽda est (nam illius carcerem, ignominiamque, aliorum omnibus triumphis victorijsq; antefero) maior quàm tua est: nullus enim dolor maior quàm ijs, quos amamus, charosque habemus, cùm malè esse intelligimus aut videmus, præsertim illis qui quondam floruerunt, vt hi principatum maximum obtinuerunt, honoribus, opibus, gratia, amicis maximè floruerunt, iam abiecti neglectique sunt. Quid de alijs dicam, qui quotidie, vt nosti, propter Christum iniurijs, ignominia, exilio afficiuntur, trucidantur, cõburuntur? huc tu animo perspice, & te non tam miseram esse vt existimas videbis, imò felicissimam: nam à Deo tanquam filia tractaris: quem enim diligit, hunc castigat. Quę maior felicitas esse potest, quàm Dei esse filiam, cum Christo beatissimam æuo sempiterno frui, & illius regni sociam esse? PHIL. Vera quidẽ prædicas, sed adeò infirma sum, vt meum onus grauissimũ mihi videatur. Itaque

adhuc

adhuc illarum rerum quas dicebam, desideriũ me tenet, & hoc onere, si fieri potest, leuari velim: sed quid opus factu sit non video. THE. Leuius fit patientia, quicquid corrigere non potes. nullum aliud tibi melius consilium dare possum, quàm si aduersa patienter ferre non potes, vt ad eum te conferas, qui omnes oneratos & laborantes recreaturus ad se vocat. mentiri non potest: ipse te confirmabit, & Spiritum sanctum vti pollicitus est dabit, quo cœlestia illa bona gustare poteris, quæ sine vlla dubitatione omnem tuum dolorem mitigabunt, & sitim istarum rerum explebunt: non enim sitiet vnquam, qui inde biberit. facilè æternorum bonorum spe te sustentabis, quæ licet iam cerni non posint, tamen certiora sunt quàm ista caduca & fugacia, quæ ante oculos sunt: facilimè parua tuæ vitæ incommoda illorum compensatione leues. PHIL. Tibi pauca videntur, tu si hic sis aliter sentias. THE. Ego iam de me ipsa non loquor. sciunt qui nobiscum familiariter viuunt, an sim extra telorum iactum, sed quiuis homo pius iudicare facilè potest, an beatè viuere posit, qui Deo inseruire cupiat, an diabolus eum tranquillè & placidè traducere vitam patiatur, imò obnixè omnia faciet, quo eum funditùs perdat: iam hæc, iam alia, si hæc non succedat, alia aggredietur via: iá morbo, iá ignominia afficiens, iam ad paupertatem redigens, iam in odiũ vel charissimorũ inducens,

dissensionemq; inter coiunctissimos commouens, vt interim nihil dicam de animi cruciamentis, quæ interdum multò grauiora sunt quàm carnificum tormenta : & quis piorum mala, ærumnas, pericula, quæ subeunda sunt, enumerare possit? Nullus est qui modò in Christo piè viuere velit, qui non acerbissimos dolores miseriasq; perferat, & suam crucem quotidie ferat, tu tantùm oculos in tua mala conijcis. PHIL. Natura sic comparatum est, vt magis ea percipiamus atq; sentiamus, quæ nobisipsis aut prospera, aut aduersa eueniunt, quàm illa quæ cæteris, quæ quasi longo interuallo videmus, aliter de illis ac de nobis iudicamus. Meum me premit onus, quòd si in rem meam esset, mihi alleuari velim: sed si taliter fieri non potest, malim quas hæc vita molestias habet ferre, & Christi regnum possidere, quàm in altera vita sempiternam pœnam sustinere. THE. Sapis si ita sentis: nam omnia magna tolerabilia esse debent si breuia sunt, & quid breuius hac vita? Quot nostra memoria principes & clarissimi viri interierunt? quorum nomina idem tumulus, qui corpora eorum contexit, ita obruit, vt nunquam extitisse videantur, ita vt verissimum illud verbu sit vulgò quod dici solet, Homo bulla: & Petrus hanc vitę breuitatem quàm congruenter vaporem esse dixit. Quare longũ illud tempus magis nos mouere debet, quàm hoc exiguũ : & iam tempus est, vt

de illa perpetua, non de hac exigua vita cogitemus, nunquam hîc felix esse poteris: nihil habebis tentatis rebus omnibus, in quo acquiescas nisi in Deo. mors est obeunda, quę quotidie imminet, & propter vitæ breuitatem nunquam longè abesse potest: cætera omnia fluũt, labuntur, nec diu esse vno & eodem statu possunt. PHIL. Verum dicis, & tuum consilium exequi cogito, Deumq; à quo omnia bona manant, imò qui summum bonum, summa felicitas est, quærere cupio: sed ne mihi propter maxima peccata aditus ad eum obstructus sit vereor, peccatorum enim teterrimũ odorem illũ ferre non posse modò dicebas. THE. Omitte timorem: verum est quidem quod dicebam, sed nosti etiam odorem tetrum, omnem suam vim fractam & debilitatam habere, cùm suauis odoris maior copia adest: ita nullus odor peccatorum tam teter esse potest, cuius vis non frangatur & debilitetur, & repellatur à suauissimo odore, qui è morte Christi affluit, quem solũ Deus odorari potest. Quære igitur Christum, ne dubites, eum inuenies in libris Veteris & Noui Testamenti: nec enim alibi inueniri potest, eum precare, non erit inanis tuus labor: qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. quorsum tot vberrima & maxima promissa essent in Sacris libris, nisi Deus ea seruare vellet? & ideo omnib. generatim promittit, ne qs ea sibi facta dubitare possit, imò fidei cogni

tionem capere desideres, certò scito te hoc assecuturam. hæc enim vis inueniri in nostra viciosissima natura non potest, sed est Spiritus sancti actio, qui à Deo nullam repulsam ferre potest. Quapropter tibi Deum hanc mentem dedisse, perspectú mihi est, teq; si hæc feceris, in dies tranquilliore animo fore. PHIL. Cur tam citò abire vis? mane adhuc paulisper hic. THEO. Oportet me domum reuerti, vt quæ illic sunt curem: nam vbi materfamiliás abest, citius quod non facto est vsus fit, quàm quod facto est opus: propediem te inuisam. PHIL. Gratissimum mihi feceris.

EPISTOLARVM OLYMPIAE LIBER. primus.

FVLV. PEREGRINVS MORATVS, Olympiæ filiæ S. D.

ETſi non ignoro, nihil difficilius, atque adeò tã difficile eſſe, quàm loqũi, nedum docere de optima pronunciatione ſeparatim, ſine actione: tamen quia tibi quicquam negare non poſſum, nec debeo, cùm mihi ſis filia, & cupida non ſolùm ornatè dicendi, ſed bellem ſermonem exprimẽdi, nonnulla breuiter attingam: & primùm, Pronunciationem non tantùm obtinere primas, ſecundas, tertiasq; partes dicendi, vt de actione Demoſthenes, ſed multò nobiliorem eſſe, & maiori maieſtate: quæ quidem actio, ſi quidem non habet totum ſuum ornamentum in pronunciatione, per alia haud multum renidet: quanquam ipſe Tullius conatus ſit oſtendere, actionem & pronunciationem idem eſſe. Qui dicit, Vti debet labris vt habenis vocis, modò eam ſupprimens, modò tollens, & priuſquam exeat à palati cõcauitate, adiungere nitorem canoremq; hiatu oris, modò cõpreſſo, mo

dò aliquantulum laxiore: ſed ne vnquam imitetur Arrium Catullianum, & in primis labra non diſtorqueat, viſus nuces dentibus infringere, aut ambabus buccis loqui. Matrona priuſquam à ſuo ſecreto gynæcio exeat, conſulit ſpeculum, & ſuam magis intimam ancillam, quo vultu, qua fronte prodeat: ita vox faciat: ſi aſpera ſiue nimium canora ſit, ſe temperet oppoſitis repagulis ac obicibus dentium & labrorum: ſi nimium exilis, bonis lateribus, quoad eius fieri poteſt, inanimet: ſi nimium arguta & tinnula, ſe offuſcet compactis labris, ne ſubplantet verba ſeſquipedalia & ampulloſa nimis tenero palato, ita vt pulmo animæ grauiter anhelet, vt multi cucullati bombalibombaces (vt interim ſic illudamus) ſtentores, trachali, lari, thraſones, magniloqui inclamare ſolent. ſtudeat vt ſermo facundus ſit, id eſt fatu iucundus. Demoſthenes laborauit vt pronunciaret Rho, ſine ſtridulo ſibilo. Theophraſtus ſermonis dulcedine bene articulati ſuffectus fuit ab ipſo Ariſtotele ſuę Academię. Thucydides pronunciator ſincerus, etiam grandis fuit. Nil aliud eſt regina flexianima Pitho, ſuauitas Periclis, apes Platonis, catenę herculis, lyrę Orphei ac Amphionis, dulcedo Neſtoris, & Chriſti ipſius venuſtas, quàm comitas, dulcis, blāda, feſtiua, mollis dicēdi nō affectata neq; elaborata, verùm bellè & facetè, & callidè, & ſurdè concinnata. Mutare autem ſonum, nō ſolùm in omni

mni sententia iuxta illius sensum: cæterùm, etiam in singulis verbis eloquentissimi est. Vt aliquando spiritum extendere, nunquam tamen laboriosè siue singultim, aliquando totas habenas relaxare verborum cursui, maximi oratoris est, vt insurgere, exclamare & implorare iuxta sensum: deniq; mimeticè dicere, sed non vt simia, est potissima pars dicendi & ars, vt rei mirificè subseruiat oratio in voce, nedũ sensu, & quæ neq; doceri potest, neq; aliunde mutuari, nisi quatenus orator suam naturam adiuuat, audiens alios qui suauiter dicere videantur: & contrà qui ineptè dicant. Pronunciatio tanti est, vt Theophrastus excanduerit se ex illa cognosci hospitem à vetula, qui tamen ab Aristotele præceptore suo à dicendi suauitate, sic est dictus, cùm autore Laertio, antea Tyrtamus vocaretur: & vt Græci ipsi malint nihil Græcè scire, quàm non bellè pronunciare de sua illa Æmilia, de Chrysostomo. Non parum multi Græcè sciunt, verùm ita non multi suauiter ac bellè pronunciant, quod passim videre licet. Quòd si Græcè scire, in hac re præcipua non consisteret, etiam ego græcissarem. Vnde laus est fabularum? (vt nunc de oratoribus dulcissimis nihil dicamus) nimirum à pronunciatione: neq; vt tibicines solẽt spiritu ac lingua & digitis modò elatis, modò compactis suas cantilenas adiuuare: & citharœdi, neruorum extẽsione, illorumq; relaxatione varia-

re & concinnare suos modulos concentusq;. Intuitus, inquam, oculorum nostrorum & assèuerantium obtutus, nihil non facit in actione: quemadmodum nunc humiles, nunc altæ incentiones tibiolarum & lituorum oratoribus, comœdis, militibus, temperant motus, gestus ferociam & linguæ cornicinum vibrationibus suis adiuuant suas Antiopas & Andromachas. Flexibilitates in gutture cantorũ, mirabilissima auicula luscinia dulcissimis varijsq; modulatibus suis, vna, si quis, docere potis est pronunciationem. Quæ cœli est harmonia per se librata, eadem & oris spiritu adiuta & suffulta. Quid si ipsum audiuissetis, inquit ille. Vnde id, viua vox magis afficit? Quid est? Poetam non audio in nugis? & theatra tota exclamant, si in peccato fuit vna syllaba aut breuior aut longior? nisi vt sciamus ad optimè pronunciandum, opus esse syllabarum callere dimensionem, & eius consociam orthographiã? imò verò etiam musices regulas certas? & illud, Loqui nescio, at tacere non possum? Roscius quid nõ potuit articularis & loquentibus motibus, dum verba membris improprijs exprimeret? Quid non potuerunt Syrenes? (nunc de verbis loquor) sensit Vlysses in se, quantum dicendi lenocinia aliorum afficerent & efficerent. Aues non in gloriæ volatu gesticulantur, ac si voce articulata ducantur? Virgilius, Cæsar, Brutus, Tullius, in pronunciatione mirificentissimi.

tiſsimi. Pallas, Mercurius, nouem Muſæ, nouus ordo cœli, numerus fidium, Apollo Muſarum moderator, Echo reparabilis, nónne ſignificant multiplicem concinnitudinem vocis, harmoniæq; humanæ? Quid valet orator, niſi in peroratione relinquat aculeum? Phœmius cantor varietate vocis morbis medebatur. Quis non audit libenter & auritus ſuauiter dicentem? Auriculas dimittit Cerberus, Ixionis ſteteruntque rotæ dulci voce audita. Quòd ſi nos audimus fortè auem verbulum humanum reddere, Di boni, quàm ſtupemus? quantum oblectamur? Summa, loqui ſuauiter adiuuat multo magis rem, qua de agitur, quàm omne mundum, veſtis, aurum matronas. Neque plus gratiæ, venuſtatis ac ſplendoris cœlo adiungit ſol ipſe, quàm ſuauis vox iucunditatis, quàm moderata pronunciatio. Equidem nulla vnquam maiori voluptate me titillari ſentio, quàm cùm quem audio bellè, ſcitè, eleganter, iucundeq; ſermocinantem, maximè ſi latina dicantur. Non iniuria, inquit ille, ſi legis, cátas: ſi cantas, malè cantas. Neq; fruſtra Quintilianus nos admonuiſſet, de modo pueros docédi pronunciare, niſi hoc vidiſſet, quanti ſit. Quòd Auguſtus Phonaſco operam daret, qui pronunciabat dulci, & quodam proprio ſono oris, doctus vocem intorquere, remittere, lenire & exaſperare, nos admonet, quantæ maximæ excellentiæ ſit ſuauis pronunciatio. Vox

Iulæa, & ἄπωδος, non vocis asperitatem significat, potius quandam moderationem & euitationem plateasmi, iotacismi, labdacismi, & huiusmodi ineptiarum, nihil insuauius est, absurdiusúe nimia expresʃione verborum, vt qui dicere volens, Maiestas Cæsarea gaudet vos aduenisse incolumes, non sine auditorum risu dicebat, Magestas Cæfffarea caffdet fos fenisse in coglumes: & nimium exquisitè pronunciare m,n,z. aperto rictu & hiulcè, vt sanctis magnꝰ, ita vt diuidantur primæ syllabæ iniucundè & nimis crasʃè, vt cornicula, cùm pluuiam plena voce vocat improba. Laudauit M. Tullius qui sua dulcisʃima pronunciatione quædam verba molliebant, alioqui asperrima, quęsita dedita opera, vt mollisʃimè & dulcisʃimè, sine strepitu & fragore, qualem sylua ardens reddere solet, & collisione vocalium, leniter ac leuiter effluerent: & qui suas periodos sistebant, aut terminabant, vt nulla impresʃio, neq; nimia expresʃio audiretur: quale est, Erat arx, Rex Xerses exercitum suum ad eam expugnandam ductabat. hîc non audiuisses asperitatẽ vllam crabronum susurrantium ex frequenti litera x. & nulla litera canina sonabat in illo versu:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu,

Et adeò aliarum literarum volubilitatem constabilissent, vt illam iucundisʃimam facerent: quale est:

O tite tute tāti tibi tanta tyranne tulisti.

Græci

Græci Latiniq; idcirco accentibus vtuntur, vt illis apicibus & lineolis, dicendis vox ſeipſam moderetur, vt cantor tibiæq; inflator certis no tis. Cornelia docuit Gracchos dicere nulla ſtri biligine ac hæſitatione, ſed grauitate. Infantia nihil aliud eſt quàm pronunciatio ſine lege. Hodie in Italia certas ciuitates habemus, quæ nullo modo pronunciare poſſunt certas literas, vt vani Ligures, proinde ac oriundi ab Ere trienſibus. Aliæ inuertunt certas in incertas, vt Bononiéſes ezerit, virzinis, rezina, zero, zente, & ſimilia, pro g, z pronunciantes. Nec me latet, qui de vitio pronunciationis confuſiſsimè ſcripſerint, duo illi alioqui magni ſcriptores, Eraſmus & Rhodiginus, vt non dubitem affirmare, vtrumq; ineptè feciſſe: quia bonus medicus non ſolùm deſcribit, & curat cauſas infirmitatum, verùm docet etiam quo pacto in poſterum illis occurri poſsit præſenti remedio. Debuiſſent non ſolùm oſtendere, quod nemo neſcit, ſed docere quo pacto quis bellè, iucundè, dulciſsimè vocem ederet: vocem inquam informatricem ſenſuum animi, & creatricem nunciorum humanæ intelligentiæ, quæ ſi vt Legati non ſolenniſsimè prodeat, Dominus ſit ignominiæ. Equidem mutus eſſe malim, quàm ruſticè, quàm inarticulatè, quàm ingratè loqui. Cura valetudinem tuam. Ferrariæ vij. Calend. Iul.

M. D. XL.

OLYMPIA MORATA Chiliano Sinapio S. D.

ET si multa soleo, mi Chiliane, domestico præconio testes co ligere, tamen quia collectam à me exigis, non committam, vt si refugerim, causam tibi dem aliquã posthac non scribendi. Tuæ itaque literæ mihi gratissimæ fuêre, quum quia ex ipsis beneuolentiam tuam erga me facilè perspexi, tum quia ma vehementer ad studia politioris humanitatis hortari visus sis: quod quidem mirificam mihi attulit voluptatem. nam istis studijs nihil hominum generi à Deo immortale datum esse melius neque præstantius, semper in animum induxi meum: præsertim cùm animus noster, qui nobis ex sempiternis illis ignibus (licet enim mihi quoque apud te philosophari) quæ sydera & stellæ vocantur, à Deo optimo maximo dat⁹ est, nulla re magis, quàm literarum scientiam excolatur, cumq; nulla re alia cæteris animantibus præstemus. Cùm tantum igitur literę inter cęteras res humanas excellant, quæ quæso me muliercularum fusa & acus (vt tu ais) à mansuetioribus Musis auocare poterunt? ego enim illarum magis tanquã Vlysses Syreneis scopulis aures clausi meas. Quid? colus & fusa valebũt ad persuadendũ mihi

mihi hoc quo non loquuntur? an fortasse illa vilissima munera per se illecebras aliquas præ se ferunt? Sed adeò ab illarum sententia animus meus abhorret, quæ me omissa hypera', vt aiunt, pedem sectari volunt, vt eas in præsentia missas facere decreuerim: ac tibi ad id quod caput fuit in tua epistola, respondero, simulque scribendi finem fecero. De alumnis igitur tuis, quid promoueant in literis, te iuxta tritum dicendi morem admonitum volo, προβάτων οὐδὲν ὄφελος, ἐὰν ὁ ποιμὴν ἀπῇ. Quare nulla est quæ tuum aduentum valde non desideret, in primisq; ego. Vale.

ΟΛΥΜΠΙΑ Η ΜΩΡΑΤΗ ΧΙΛΙΑΝΩΙ ΤΩΙ ΣΙΝΗΠΙΩ εὐπράττειν.

ΕΣ ὅσον ἐρᾶν ἕκαστον χρὴ τοῦ ἑαυτοῦ διδασκάλου, δεδηλωκέναι μοὶ δοκεῖ, ὡς διὰ παραδείγματος ἀλέξανδρος ἐκεῖνος, ὁ μέγας ἐπίκλην, ὅς οὕτω δι' αἰδοῦς ἦγε τὸν ἑαυτοῦ, ὥστε φάναι οὐχ ἔλαττον αὐτῷ ἢ τῷ πατρὶ ὑπόχρεως εἶναι. παρὰ γὰρ τοῦ πατρὸς εἰληφέναι τὴν τοῦ ζῆν ἀρχὴν, παρὰ διδασκάλου δὲ τοῦ εὖ. ἐγὼ δὲ τοῦ μὲν ἀλεξάνδρου ὡς πρὸς τὸ ἐρᾶν οὐδὲν ἴσως ἀπολείπομαι, δεινὸν δ' ἔχω. ὅτι οὐχ οἵα τε εἰμὶ τὴν χάριν ἀποδιδόναι τὴν αὐτὴν ἥνπερ ἐκεῖνος. θαυμαστῶς γὰρ ὡς διάκειμαι τοσαύ

τὴ καὶ τὴν ἀρχὴν ἑαυτῆς καὶ τὸ τέλος ἔχει. καὶ ὥσπερ ὀλυμπιάσιν οὐχ οἱ κάλλιστοι καὶ ἰσχυρότατοι στεφανοῦνται, ἀλλ' οἱ ἀγωνιζόμενοι. τούτων γὰρ τινὲς νικῶσιν· οὕτω καὶ τῶν ἐν τῷ βίῳ καλῶν κἀγαθῶν οἱ πράττοντες ὀρθῶς, ἐπήβολοι γίνονται, οἷον ὁ μούκιος ἐκεῖνος ὁ καλὸς, ὃς ὑπὲρ τῆς πατρίδος τοσοῦτον τὸν πόνον ἐπονήσατο, οὗ σοι πέμπω τὴν ἱστορίαν, ἣν ἔναγχος συνέγραψα. σὺ γὰρ ἐμοὶ πρῶτος προσέβαλες ἄξιος δώρου τοιοῦδε, ὃς πολυμαθείᾳ τοὺς πλείστους τῶν νῦν ὄντων εἰς τοσοῦτον ὑπερακοντίζεις, ὥστε σὲ μόνον εἶναι, περὶ οὗ ἄν τις ἀλόγως τὸ ὁμηρικὸν ἐκεῖνο εἴποι, οἷος πέπνυται, τοὶ δὲ σκίαι ἀΐσσουσι. ἐννοήσασα γοῦν ὅτι πάντως τὰ τοῖς θεοῖς ἱδρυόμενα καί τοι οὐδενὸς ἄξια, ὅμως περὶ πλείστου ποιοῦνται, ἐβουλόμην κἀγὼ μᾶλλόν σοι ἢ ἄλλῳ τινὶ ταῦτα προσφωνεῖσθαι, ἵνα τινὸς ἄξια δοκοῖ δόσις ὀλίγη τε φίλη τε. εὐτύχει, καὶ τὸν κρεμηρὸν ἠυκόμων σκύλακα μουσῶν, ὡς ἀπ' ἐμοῦ προσείπε. ἐκ φερραρίας.

OLYMPIA F. MORATA CHIliano Sinapio S. P. D.

QVantum suum quisq; magistrum a nare debeat, mihi exemplo suo ostendisse videtur Alexander ille cognomento Magnus, qui suum vsque adeò diligebat, vt se diceret, non minus ei quàm patri debere. A patre enim viuendi, à magistro bene viuendi initium sumpsisse. Ego verò quòd ad amorem quidem attinet, Alexandro fortasse non cessero: sed quòd grat am itidem vt ille, magistro referre non possum, hoc verò ęgrè fero. Mirificè enim afficior,

dum tui tanti in me beneficij recordor, quæ à te primùm Græcæ huius linguæ elemẽta principiumq; sumpserim. quod in omnibus non solùm totius dimidium est, vt pleriq; existimant, verumetiam plus dimidio, vt Aristoteli videtur. Itaque metuo ne quis mihi dictum illud obijciat Agesilai, Odio dignum esse, nõ si quis affectus inimicitia vlciscitur, sed quis beneficio accepto ingratum se præbet. Verumtamen ingrati me animi arguere nemo, vt opinor, poterit, si in eruditione pro virili proficere studuero. Videtur enim nec ingratus nec improbus esse discipulus, si magistri mores & virtutem disciplinamq; pro virili conatur imitari. Magister quoque virtutem promittens, non pecuniam aut opes exigit à virtutis cupido, sed maximi quæstus hoco ducit, bonum & frugi reddidisse auditorem, vnde ipse non diuitias, sed diuitijs preciosiorem gloriam decusque consequatur: quæ solus animantium homo cupiens, cæteris antecellere videtur. Igitur ego cætera omnia, quæ vulgò bona vocantur, nihili faciens, solamque virtutem suspiciens, solam hanc animi proprium & nunquam amittendũ bonum iudico: & cæteris quidem omnibus incertam ancipitemque fortunam moderari, virtutem verò diuinam esse, diuinoque fato nobis venire, ideoq; omnes ea præditos rectè viuere, recteq; omnia agere. Neque enim in ſcientia, sed in exercitatione atq; actione & ini

tium

tium virtutis eſt & finis. Ac quemadmodum ludis Olympicis non formoſiſsimi & valentiſſimi quique, ſed qui certant, coronantur: quippe quorum aliqui vincant: ſic & bonorum huius vitæ compotes fiunt, qui rectè viuunt, ſicuti Mutius ille vir præſtans, qui pro patria tantum laborem pertulit. Cuius ego tibi hiſtoriam mitto, quam nuper conſcripſi. Tu enim mihi primus occurriſti tali munere dignus, qui eruditione pleroſque noſtri temporis homines eouſque antecellis, vt ſolus is ſis, de quo Homericũ illud meritò dici queat:

Ille ſapit ſolus, reliqui metantur vt vmbræ.

Igitur quum cogitarem quæ dijs cõſecrantur, quamuis nullius ſint precij, tamen ab omnib. plurimi fieri: volui ego quoq; hiſce te potius quàm alium quemquam affari, vt alicuius precij eſſe videatur donũ acceptumq; exiguum. Vale, & Cremerum, qui eſt Muſarum dulcis alumnus, meo nomine ſaluta. Ferrariæ.

OLYMPIA MORATA IOanni Sinapio S. P. D.

ETSI opportunitatẽ operæ tuæ in omnib. rebus deſidero, tamẽ nõ tam mea, quàm tua cauſa doleo te non valere, idq; moleſtiſſimum eſt mihi: ſed ſpero te dili-

gentia adhibita, etiam firmiorem fore, modò fac id quod humanitatis tuæ eſt, ne quid al ud cures hoc tempore, niſi vt quàm commo l ſsimè conualeſcas: ſicut rogo atq; oro dominum meum vt valeas. Nam ego omnẽ ſpem tui curandi, diligenter in eo habeo, nunc nihil te impedit, quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri à te iudi abo. Vale mi domine Sinapi. Vale, Vale & ſalue. Domina Logeria tibi ſalutem dicit. Vale.

OLYMPIA MORATA IOanni Sinapio medico, S. D.

SI vales, eſt quòd gaudeam: ſin nec dum ſatis, doleo. Verùm tu mi Sinapi, noli imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur ſe tenere medicinæ ſcientiam, ſe ipſi curare non poſſunt. Valetudinem tuam cura diligenter.

IOAN-

IOANNES SINAPIVS Olympiæ ſuæ dulciſsimæ, S. P. D.

TIBI bene eſſe, & mea, vt medici opera nihil amplius opus eſſe, vehementer gaudeo. De reditu res omnis tibi ac patri tuo in manu eſt, vt & quomodo, & vbi velis, huc reuertaris. Illuſtriſsima princeps noſtra mihi hac de re quærendi reſpondit, aduentum tuum ſibi gratiſsimum fore, quacumque via venires. Si verò nulla tibi redeundi via compendioſior eſſet, ſe miſſuram ad te lecticam, in qua nuper auecta fuiſti. Tu cum patre delibera, quid vel magis idoneum ac commodum, vel gratius tibi eſſe exiſtimes. Bene vale. Saluta parentem vtrunq; meo nomine, quàm poteſ officioſiſsimè.

CÆL. CALCAGNINVS Olympiadi Moratæ S.

QVid ego ſimulé me tuas literas optaſſe? quarum ſuauitatem nondum attigeram. Vix enim quenquam deſiderium inceſsit eius rei, cuius guſtum nōdum ſit aſſecutus. At poſtquam tuam illam epiſtolam, quam te puto dictantibus Muſis excepiſſe, ad me dediſti: ingenuè fateor me

nunc demum tuarum literarum desiderio labo rare: non sanè vt mihi materia taxandi præbeatur. Neque enim vel ipse Momus in ijs qu c. quam offendat, quod acu o oculo posit perstringere, quanto ego mi us? qui & ngenio tuo faueo, & candorem vnum maximè omnium familiariter colo. Quare tu quidem aut ipsi tibi, aut certè mihi insignem iniuriá fecisti, quum me eum esse existimasti, qui in aliena scripta censuram exerceam: aut ea abs te scribi veri a es, quæ stylo confodi, aut transuerso calamo induci mereantur. Quòd si hæc suspicio te malè habet, parum profectò tua, bona videris agnoscere, neq; meminisse delicias istas Musarum p'anè tibi esse vernaculas, quas cum ipso propè lacte nutricis hauseris, eundemque tibi & corp ris parentem & animi formatorem diuina quasi virgula obtigisse. Iure igitur tibi virgo ornatissima & gratulor, & te hortor, vt tuos istos profectus nauiter promoueas, eosq; quotidie meliores auctioresq; facias: vt nostra quoque secula intelligant, magni numinis beneficentiam non cessare, neque bonarum artium studia fœminis abiudicasse: multoque minus naturam effœtam esse, vt nonnulli suæ patrocinantes desidiæ arbitrati sunt, quæ nostra etiam ætate Aspasias & Diotimas non posit excitare, si modò cura & diligentia adhibeatur. Cuius rei facilè fidem feceris, si constanter in cœpta studia incumbas, & pro colo calamum,

pro

pro lino libros, pro acu ſtylum exerceas. quod vt commodius facere poſsis, tuaq; laus indies fiat illuſtrior: en quàm opportunè Fortuna te in aulam regiam optimæ ac præſtantiſsimæ Ducis Ireneæ, & in comitatum Annæ principis prouexit, cuius diuina indoles ipſam pollicetur parentum felicitati non minus ſplendoris, quàm acceperit, eſſe additura m. tu verò cùm recta parentum inſtituta, pudicitiam ſcilicet, modeſtiam, bonarum diſciplinarum rudimenta domo attuleris, iſthic quoque adnitere, vt ſapientiam, morum elegantiam, animi magnitudinem, rerum denique humilium deſpicientiam conſequare. Bene vale.

CAELIVS CALCAGNINVS Olympiadi Moratæ S. D.

Defenſionem, quam pro Cicerone nuper elaboraſti, legi ſumma cum voluptate: tum quòd abs te proficiſceretur, cuius ſtudijs iam pridem plurimùm faueo: tum quòd in ea mirum in modum Veneres & Gratias paternas expreſſeris. Acceſsit hæc quoq; priuatim cõmendatio, quòd eam mihi munus eſſe voluiſti, idque adeò gratum & iucundum, vt in interiorẽ bibliothecam receptũ ſit à me,

& inter sanctiores thesauros collocatum. Gratulor igitur isti festissimo ingenio tuo, pleno leporis, pleno eruditionis: cuius mihi certissimum testimonium dedit felix illa & prædiues verborum supellex, & argumentorum copia, quam in illam admirabili artificio congessisti, vt omnes oratorias lecythos propemodum reieuisse videaris. Auget admirationem, quòd cum cæteris virginibus ille mos sit peculiaris, vt vernos flosculos hinc atq; inde decerpant, vnde sibi versicolorem coronam intexant: tu non iam flosculos illos qui suis horis expirant ac breui commoriuntur, sed planè immortales amaranthos ex fœcundis Musarum viretis legisti, quibus ceu tessellis vermiculatis totam orationem adornares atque interspergeres. Quibus ea est etiam prærogatiua propè diuinitùs data, vt nunquam flaccescant, sed ætatis beneficio fruantur, & quotidie magis reuirescant. Musas iratas habeam, ni mihi hoc certũ ac persuasum est, Ciceronem si ad eius manes tam excultæ defensionis fama peruasit, gratias vltro acturum, atque adeò habiturum syllographis & calumniatoribus illis suis qui tibi elucubrandi bellissimam istam orationem occasionem dedêre. Quum igitur aduersarios Ciceronis sis tam graui stylo persecuta, cum tãto studio Ciceronis partes defenderis, vide, ac tecum cogita, quantã de te expectationem concitaris, quantis deniq; te prędibus obstrinxeris:

xeris: vt iam tibi non liceat mutare sacramentum neque militiam, cui semel religiosè nomẽ dedisti, abiurare. Te itaque in castris Ciceronis assiduam ac frequentem esse oportet, donec iusta stipendia confeceris, atq; ad primos ordines perueneris: idq; eo libentius ac accuratius facere debes, vt Annæ principis lectissimæ, in cuius regio comitatu adscripta es, plenius fauorem promerearis, eiusque studia imiteris: quæ quum omnes summas virtutes in hac tenera ætatula amplexetur, tum maximè Græca & Latina studia, & ipsam in primis eloquentiam, tanquam puellares iocos suas delicias putat. Bene vale.

OLYMPIA MORATA DOctori Andreę Grunthlero sponso suo S.

VAlde doleo te à me discedere, & tam diu abfuturũ, nihil mihi neque molestius, neque grauius accidere potuisset: licet enim te nõ videam, tamen non tot solicitor curis, quot cùm abes: nam semper timeo, ne aut cecideris, aut alseris, aut perfregeris aliquid. Et quando non timui grauiora pericula veris? Nosti illud:

Res est solliciti plena timoris amor.

Quod si me hanc solicitudinẽ, qua semper te

abſente crucior, omittere voles, facies,ſi commodè fieri poterit,vt intelligam quid agas,quî valeas : nam tibi ſanctè adiuro,te mihi nec charius nec iucundius eſſe quicquam, quod te etiam perſpicere ſcio. Si enim aliter ſtaret ſententia,non te celarem, vt antea apertè me tui odium cepiſſe ſignificabam. Velim mi ſponſe, tecum eſſem : tunc intelligeres planius,quanta eſſet magnitudo amoris erga te mei. Incredibile memoratu eſt,quàm efflictim te deperеam : nihil tã aſperũ, neq; tam difficile eſt,quod non cupidiſsimè ſim factura, dum tibi gratificer:quare non eſt mirandum, ſi hæc mora eſt mihi moleſta, quoniam odit verus amor, nec patitur moras. Quiduis aliud tua cauſa quàm hoc facilius ferrem : proinde te obſecro,perq́; tuam fidem te obteſtor,vt manibus pedibusq́; obnixè omnia facias, vt hac æſtate (vt pollicetis) ſimus vnà in patria. Si æquè me amas vt ego te,facies, ſat ſcio. Sed ne ſim tibi moleſta, de hoc non loquar amplius, neq; quicquid de hac re attigi,feci vt te increparem, ſed vt te tui officij admonerem, etſi ſatagis harum rerum. De veſtibus, petere illas non decet : nam nuper Princeps per quandam mulierem nunciauit mihi,non eſſe verum, quod nobiliſsimi Camilli vxor quicquam de ſalutanda filia illi dixiſſet:attamen quia filia hoc vellet, ſe id permittere factum, illã verò petijſſe mihi vnam veſtem quam non prius ſe daturã, quàm ipſa redijſſet, dixit.

dixit. Hæc reſpondiſſe arbitror, vt viderem illam nihil mea cauſa facere, ſed illius: & vt (ſed tacere melius eſt quod omnes vident) Lyſippę ſatisfaceret, quam ſecum tunc fuiſſe credo. Vt vt hæc ſint, illas me habituram vix credo. Vale.

OLYMPIA MORATA EXcellentiſsimo medico Ioanni Sinapio S. D.

HOC tuum tam diuturnum ſilentuim, plus quàm Pythagoreū, me admirari, ſuſpicari, timere facit. Admiror enim cùm adeò ſanctè adiuraſſes, te neminem prætermiſſurum, qui in Italiam proficiſceretur, cui ad nos literas nō dares: ne gry quidem ad nos, præſertim cùm quatuor iam epiſtolas ad te ſcripſerim, & ad vxorem tuam: ſuſpicor te omnium amicorum oblitum eſſe non aliter ac ſi per obliuionis campum iter habuiſſes. Non parum verò timeo, ne quid vos in itinere impedierit. ſaltem quî valeretis omnes ſcripſiſſes, quod ſcire iam tanto tempore auemus, vt nihil interim dicam, quàm miserèque cupiamus certiores fieri, quid egeris apud Regem de noſtro negotio. Nihil enim certi de rebus noſtris ſtatuere poſſumus, ni prius quid ille reſponderit intellexerimus. Quapropter ſi nos omni cura, ſo

licitudine, metu liberatos velis, te vehementer etiam atq; etiam rogo, vt negocium nostrum ita suscipias, & tractes apud regem & Fuggerũ, illisque nos ita commendes, vt tuam commendationem non fuisse vulgarem mox intelligamus, & quamprimùm quid actum sit fac vt sciamus; qua re nihil mihi gratius facere poteris. Commendo tibi perquàm diligenter mea carmina. Bene vale, & me ama. Salutem dicito meo nomine vxori, nepoti, fratri, & filiolæ. Vos verò salutat Domina Lauinia. Ferrariæ tertio Calend. Iunij. 1548.

OLYMPIA MORATA IOanni Sinapio S. D.

LOngiorem Epistolam paucis antè diebus ad te scripsi, ita vt nihil opus esse existimem, vt de meis rebus cantilenam eandem toties canam. Nosti quid te agere mea causa in Germania cupiam: non me tibi commendabo amplius, neq; mea carmina vt ad Regem & ad Fuggerum afferas, admonebo. Scio enim omnia tibi curæ esse. Bene vale. Salutem plurimam dicito meis verbis vxori, filiolæ & Hosualdo, quos & te vnà salute plurima impertit D. Lauinia. Ferrariæ, pridie Id. April. 1548.

OLYM-

OLYMPIA MORATA IOanni Sinapio S. D.

TEoro, mi doctiſsime Sinapi, vt quamprimum haſce literas Andreæ Grunthlero meo viro reddas, vt quid agam ſcire poſsit. Nihil habeo in præſentia quod ad te ſcribam. Commendo tibi noſtra negocia, remitte ad me quamprimum meum virum. Bene vale. Saluta vxorem & filiolam, D. Chilianum & Hoſualdum meo nomine. Tibi, vxori & filiolæ D. Liuinia ſalutem plurimam dicit. Ferrariæ, Calendis Iunij.

OLYMPIA MORATA D. Ioanni Sinapio viro doctiſsimo S. P. D.

QVI mihi eſt vita charior, eum vt ne tecum retineas plus vno menſe, & ad me ſuam ſponſam quamprimum remittas, etiã atq; etiam rogo, ne ego miſera dolore tabeſcam. Ille enim apud Terentium tam iniquo patiebatur animo ſibi manendum eſſe ſine illa biduum: At mihi cùm duos menſes ſine illo manendum ſit, quid animi mihi miſeræ fore credis? οἵδε ποθεῦντες ἐν ἄματι γηράσκουσι. Quare ſi

me multis curis liberare voles, eum ad me quamprimum remittas. Et si illi tua opera opus erit, eam confestim impendas, αἱ ταχέαι χάριτες γλυκυρωτέραι. Bene vale. Salutem plurimam dicito fratri tuo D. Chiliano. Ferrariæ 14. Calend. Iunij, 1549.

OLYMPIA MORATA IOanni Sinapio S. P. D.

CVM in Germaniam venissemus pridie Idus Iunij, sperabamus nos quamprimum isthuc ad vos venturos: sed nos diutius quàm putabamus retinuit, & adhuc retinere cogitat, nobilissimus vir Georgius Hermannus. Cùm hanc ob causam nihil hactenus literarum ad te dedi; tum etiam quia te, cum principe tuo Augustam Vindelicorum venturum aiebat. Postea verò quàm te videndi nos omnis spes frustrata est, te de nostro aduentu certiorem facere volui, vt nos saluos aduenisse gaudere posses. Vale: in Kauffbeuren apud Vindelicos 8. Calend. Septemb. Anno 1548.

LAVINIA RVVERENSIS Vrsina Olympiæ Moratæ S. P. D.

Accepi literas tuas, ex quibus intellexi, virum tuum saluum aduenisse, qua de re mea Olympia tibi maximè gratulor. Quod scribis nunc tibi mea opera opus esse, vt socerum & socrum meam rogem, vt ad principem scribant, eumque rogent, vt præstare velit, quæ illis se facturum promisit: scias velim nihil esse quod tua causa non facerem, nec aliter fieri amicitia nostra pateretur. Itaq; cum primùm ad me scripsisti, illũ quam maximè rogaui, vt quod cupis efficeret: qui respondit se libentissimè hoc facturum, sed tunc per otium sibi non licere, propter maxima negocia, quæ nec respirare quidem illum sinebant: nunc verò cùm illis aliquantulum expeditus sit, egi vt ad principem scriberet, & illi res tuas diligentissimè commendaret, & etiam Ferdinando, apud quem sciebam, plus ponderis eius literas, quàm meas habituras. Quapropter (Deo fauente) spero omnia tibi ex animi tui sententia successura. de me sic habeto, res meas indies desperatiores esse. Reliquum est, vt te orem, vt te ad nos cum viro tuo conferas, hic mansuri donec abibitis, quod omnibus erit gratum, mihi verò gratissimum. Sed

ne his insulsissimis literis te molestia afficiam, finem faciam scribendi, quas patrio sermone scripsissem, nisi scirem te libentius Latinè scripta legere: nec vereor ne harum inconcinnitatem irrideas, cùm scias, me nullam stylo operam dare. Bene vale, & doctissimo viro tuo meo nomine salutem dic. Parmæ die 2. Nouembris.

OLYMPIA MORATA LAUINIÆ Ruuerensi S. D.

MAgnam ex tuis literis cepi voluptatem, quod vt optará, quid ageres, & vbi esses cognoui. Siquidem solicita eram ne prius te Romam conferres, quàm me certiorem faceres, vt quò literas mitterem, nescirem. Itaq; quod me hac cura liberasti, gratias ago, ingentes verò quòd mihi in adiuuando Phannio studium tuum & operam polliceris. Id mihi, ne mentiar, tam gratum fuit, quàm quod gratissimum: nam spem mihi nonnullam afferre videtur hæc tua profectio, cùm sciam quátum Romæ tua authoritas valeat. Præterea venit mihi etiá in mentem, te isthinc discedēte aliquid opis illi afferre posse: nam tibi discessuræ non dubium est quin dux omne suum studium polliceatur. eum igitur rogare poteris, vt si quid tua causa facere velit, vt illū absoluat, qui omni

vacat

vacat culpa, pro graui peccato hoc supplicij satis esse deberet. Tu in hac re, quid optimum factu sit, pro tua prudentia considerabis, & haud ignara mali miseris succurrere disces, præsertim miseris & calamitosis non suapte culpa, sed Christi causa: cùm te non fugiat quicquid officij & beneficij in istos contuleris, id te Christum in se contulisse existimaturum. Plura de hac re non scribam, cùm non sim nescia, illius salutem tibi æquè ac mihi magnæ curæ esse: tantùm te hortor, vt ne maleuolentissimis hominum obtestationibus, magnitudinem animi tui inflectas in his, quæ ad Christi puram religionem pertinent. De meis autem rebus, quid noui ad te scribam nihil habeo. sumus adhuc apud illum Hermanum, sed in alio oppido, quod iter vnius diei ab Augusta Vindelicorum abest, vbi & dolorem, quem è morte mei consobrini cepi, & tui desiderium literis nostris lenire conor. Est enim mihi nunc summum otium, vt cùm maximè refero me sæpe ad diuina studia, quod & tibi faciendũ censeo, maioremq; ex eis indies voluptatẽ capio. Tibi verò gratulor, quòd Romã sis itura, lubẽtius te illuc fore, quàm isthic existimamus, & tuorum præsentiam, solicitudines tuas, quæ te cruciant, alleuaturã non dubito, quò si Cherubinam fœminam optimã tecum adduces, eam tibi magnopere commendo. meã matrem, sorores, meosq; omnes tibi commendatissimos

eſſe cupio. Ego neminem prętermittam, quem Romam iturum ſciam, cui ad te literas non dem, idem te facturam confido. Vir meus, qui cùm ſæpe de te ſermonem habeo, & qui te plurimi facit, tibi gratias agit, quòd illi in tuis literis ſalutem adſcripſeris. Idem tibi plurimam ſalutem impertit. Vale.

OLYMPIA MORATA NObiliſsimæ Magdalenæ Vrſinæ, S. P. D.

ETſi graui erā dolore affecta morte mei conſobrini, tamen cùm eſſet ad me allatum de veſtra profectione, facere non potui, quin prius iſthuc ad vos ſcriberem: nō quòd eſſet vlla res, quam aut veſtra ſcire intereſſet, aut mea ſcribere, ſed vt exploratum haberetis, me veſtri memoriam ſumma cum beneuolentia tenere. Valete, & parentibus meis verbis ſalutem nunciate.

Vale.

OLYM-

O. M. GREGORIO GYraldo, S. P. D.

SAlui in Germaniá peruenimus, vbi prolixè accepti ſumus à Georgio Hermanno regis conſiliario, apud quem dies complures commorabimur: eum enim ægrum curat vir meus. Ego verò hic libentiſsimè ſum, totum diem me cum Muſis delecto: nullis enim negotijs alijs ab illis abducor, ſæpiſsimè refero me ad diuina ſtudia, maiorem ex iſtis, quàm ex illis, & fructum & voluptatem capiens. De viro meo bene exiſtimatur. res noſtræ bono loco ſunt, & meliore prope diem ξὺν Θεῷ fore videntur. Hæc te ſcire volui, quem ſcio nobis cupere, & noſtra gaudia gaudere. Vale.

OLYMPIA FVLVIA MOrata, Cælio S. C. S. P. D.

CVM multis ac maximis fluctibus iactata, me in Germaniam, tanquam in portum contuliſſem, nihil mihi antiquius fuit, cùm te iſthic eſſe ex Georgio Thrace viro optimo, Platauij intellexiſſem, quàm vt ad te noſtri ſtudioſiſsimum ſcriberem, teq; de rebus noſtris tanquam familiariſsimum, certiorem

rem facerem. Cùm enim patri meo, dum in vita manebat, amicissimus fueris, hanc me tueri amicitiam debere existimaui, ἐπείπερ γὰρ τοὺς παῖδας ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν. Scito igitur abhinc biennium patrem meum multis exantlatis laboribus, singulari in Deum fide, ex hac turba & colluuione discessisse: me verò post mortem illius (vt sapientius à Græcis συμφορὰν, quàm à Latinis calamitatem, appellare iudices) statim ab ijs, à quibus minimè debui, desertam, indignisq; acceptam modis fuisse: neq; hoc mihi separatim à meis sororibus accidit, sed hos fructus omnes retulimus: nimirum pro labore & officio, tulimus odium. Quanto verò fuerim dolore affecta, tu existimare potes. Nullus erat qui nos respiceret, & nos res eodem tempore circumuallabant, vnde emergi nunquam posse videbatur. Sed ille optimus pupillorum pater, nō me diutius in hisce malis, quàm biennium reliquit: qui amorem mei in quodam Germano, philosophiæ & medicinæ artibus excellēti, Andrea Grunthlero (nam hoc illi est nomē) excitauit, qui nullo principis odio, nullis meis miserijs deduci potuit, quin me in matrimonium duceret. Hic igitur me in Germaniam duxit, vbi aliquot dies apud Vindelicos, cum Georgio Hermanno, Regis consiliario fuimus, quem vir meus ęgrotum curauit: hinc breui in patriam mei viri, quæ in Francia Orientali sita

est,

est, ituri sumus, & tibi menses aliquot cum affinibus & amicis cõsumemus. Quanta autem vir meus sit probitate, quàm literis Græcis & Latinis eruditus, malo te ex alijs quàm ex meis literis cognoscere. Hoc tantùm te scire volo, si cum principe mea summa mihi gratia fuisset, si me ditasset, non potuisse me in meliorem statum collocari, quàm in quo misera & spoliata sum à Deo collocata. Doctus est, nõ infimo loco natus, cui etiam pater aliquid patrimonij reliquit. Tantus verò est eius amor in me, vt nihil suprà pósit esse. Eandem opem Deum me is sororibus laturum confido: eas Ferrariæ apud matrem reliqui, tres enim habeo, & eas nubiles: fraterculum annos octo natum huc mecum adduxi, quem literis Græcis & Latinis, quantum in me est, erudire conor. Hæc omnia ad te scribere volui, non vt nostris malis laborares, sed vt nobis gratuleris. fautor enim nobis Deus in nostris ærumnis extitit, imò omnia hæc mihi contigisse lætor: ego enim si diutius in aula hæsissem, actum de me ac de mea salute fuisset. Nunquam enim, dum ibi fui, quicquam altum, aut diuinũ sapere potui, neque libros vtriusq; Testamenti legere. Sed posteaquam quæ nos tueri debuerat, maleuolentia & obtrectationibus quorundam improborum à nostra familia alienata fuit, non me tam miro desiderio hęc breuia, fugacia & caduca affecerunt: sed Deus cupiditatem meã incendit

habitandi in illa cœlesti domo, in qua iucundius est dieculam vnam commorari, quàm annis mille in istis principum aulis. & ita me ad diuina studia retuli. Cuius rei testimonium sunt carmina, quæ superiore anno feci, quæ subscripta eò ad te mitto, vt videas ocium mihi tot calamitatibus oppressæ, literis operam dandi Deum præstitisse: qui me etiam huic viro nuptum dedit, qui magnopere hisce meis studijs delectatur. Atq; hæc de rebus nostris. Quid verò tu agas, quid vxor & liberi, cùm aliquid ocij nactus eris, familiarisimè ad me perscribas velim. Vale. Augustæ, Nonis Octobris.

CAELIVS S. C. XYSTO Betuleio S. P. D.

DE Olympia nostra scribis te certiorem fieri cupere, quòd plerique fictum nomen arbitrentur. Faciam quod petis perquàm libenter & breuiter: quanquam vel Georgius Hermannus, quęnam sit, testari potuisset. Olympia igitur patrem habuit Fuluium Moratum Mantuanum, virum doctrina & probitate præstantem, cum quo mihi hospitium antiquum & amicitia fuit. Is & in clarisimis Italiæ ciuitatibus publico docendi munere functus est, & Alfonsi Ferrariensium Ducis filios,

Hercu-

Herculis fratres duos, literis ac bonis artibus instituit ac perpoliuit. Cùm autẽ hanc Olympiam haberet ingenio summo præditam, omnibus literis, quibus ad humanitatem homines informari solent, domi erudiuit: quę breui tantum profecit, vt admirationi nostris hominibus esset. Itaque cùm Anna, Herculis Estensis Ferrariensiũ Principis filia ijsdem literis à Ioanne Sinapio viro summo institueretur, vt haberet qui cum honesta ęmulatione certaret: visum matri est (quam summi honoris gratia nomino) vt Olympia in aulam, in qua aliquot annos magna cum laude fuit, aduocaretur. Ibi audiuimus nos eam ita Latinè declamantem, Gręcè loquentem, Ciceronis Paradoxa explicantem, ad quæstiones respondentem, vt cùm veterum puellarum quauis, quæ quidem ingẽnij laude excelluerit, conferri posse videretur. Dum ita pergeret, incidit in letalem morbum Fuluius pater: cui vt ministraret, relicta aulà domum se contulit filia. Mortuo patre, quòd esset natu maxima, & matrem admodum valetudinariam haberet, rem familiarem administrare cœpit, & fratres sororesque honestè educare. Erat autem Ferrariæ eo tempore Andreas Grunthlerus, iuuenis Græcę & Latinę linguę bene doctus, qui medicos audiebat, vbi etiam lauream medicam assecutus est. Is Olympiæ eruditionem singularem, moresque castissimos admiratus, eam (quæ vicissim nihil in

nomine præter ingenij dotes admiraretur) vxorem delegit, sibiq; pulchro connubio copulauit. Ab hoc igitur in Germaniam (est enim Germanus ipse, qui Italiam tam erudita puella spoliauit) ducebatur tum, cùm apud Georgium Hermanum Regis Rom. consiliarium Augustæ vterque fuit. Quamobrem non est quòd de Sapphico carmine, Græcè conscripto, quo Dei summi celebrat laudes, addubites. Veræ enim Olympiæ opus est, quod quidem nobis quibus à teneris nota est, quiq; alia eius monumenta & vidimus & habemus, mirum non videtur. Est enim literis & disciplinis tum Gręcis tum Latinis, supra quàm quis credere possit, exculta, & scientia religionis illustrata. Hæc de Olympia. Reliqua tu ab optimo & egregiè docto viro Georgio Hermano accipies. Vale. Basileæ, octauo Calend. Ianuar.

C. S. CVRIO OLYMPIÆ Fuluiæ Moratæ S. D.

Literas tuas nonis Octobris superiore anno Augustę scriptas cùm accepissem, iam tu Augusta in viri tui patriam profecta fueras. Id autem resciui, quòd cùm tibi respondissem, inuenta nō es: nec quisquam tunc dicere potuit oppidi aut vrbis tuæ nomen, nisi quòd

quòd proximis nundinis cùm me per Isingrinium Basiliensem Typographum Iohannes Sinapius iussisset salutari, tui quoque ijsdem literis mentionem iniecit: ex quo intelligere potui illum, vbi nam ageres, probè tenere. Quare cùm rursum idem Isingrinius ad nundinas proficisceretur, ad te scribere constitui, & literas ad Sinapium mittere, qui ad te perferendas curet: id quod non dubito eum, cùm mea, tum etiam tua causa libenter esse facturum. Primùm igitur ego tibi gratias immortales, Olympia, mulierũ decus & ornamentum singulare, de eo quod post tot annos, tam remotis terrarum interuallis, nostri tamen non es oblita, & paternas amicitias hære[di]arias tibi esse volueris. In eo enim declarasti, quanti patris tui iudicium in amicis deligendis: quanti quoque amicos, ac me præsertim facias. Quam obrem ho[c] tibi persuadeas velim, neminē pluris me quàm patrem tuum, dum viueret, fecisse, cu[i]us cùm tu honestissimas artes, & quod omnium maximum est, pietatē imiteris, caue putes vllam esse inter mortales, vna vxore & filiabus exceptis, quam pluris faciam, quàm te, quam magis amem & colā, quàm te vnā. Itaq; tibi virum istũ tuum præstantissimũ gratulor, atque ita gratulor, ac si vni ex filiab. meis contigisset: simulq; Deo optimo maximo gratias ago, qui tui misertus, ætatis florem tuę virginalemq; p[ud]orem ex istis, siue ollis, siue aulis eri-

puit,atq; in auream libertatem asseruit. Hymnum siue oden Græcè elaboratam, valde probo:in eam enim Dauidis Psalmum xlv. coniecisti. Vtinam plures hoc modo tractares, Pindarum Græcis non inuideremus. Perge igitur mea Olympia,quò te iamdudum tua Musa vocat.Laurum sacram tuo diuino capiti impone: de sacratiore enim fonte spiritum poeticum, quàm Pindar9,aut Sappho illa,hausisti. Quòd si iam, quod non dubito, aliquid noui peperisti,siue ex capite,siue ex castissima aluo,fac me vt sciam, vt tibi nouas gratulationes scribam, & tecum ista læticia fruar. Velim autem, Olympia charissima,mihi sæpius scriberes:quòd si feceris, scito te mihi rem gratiorẽ facere nullam posse. Delector enim summoperè tuarum elegantia, sanctitate, suauitateq; literarum. Et vt scias quàm tui sim studiosus, mitto ad te exemplum literarum, quas ad Xystum Betuleium, virum doctissimum, & mihi amicissimum scripsi paulò post, quàm Augusta discesseras. Vale,Olympia charissima,cum doctissimo atq; optimo viro tuo: cum quo te Deus in placida pace tueatur & foueat. Quòd si contingeret vos in Italiam redire, hac iter vt faciatis rogo: vt præsentes amplexari, &veterem amicitiam coniunctis dextris renouare valeamus. S. D. vxor mea cum liberis omnibus. Iterum valete, par felicissimum & sanctissimum. Basileæ Nonis Septembris.

OLYM-

OLYMPIA MORATA
Cælio S. Curioni
S. P. D.

GRatiſsimæ mihi tuę literę fuerũt, ex quibus intellexi tam longum & temporis & locorum interuallum nihil de tua erga nos beneuolentia detraxiſſe. tales nimirum Chriſtianorum amicitiæ eſſe ſolent. Grates igitur ago Deo meo, qui me tali dignatur honore, vt à ſuis amer. Impios enim quantumuis ſint potentes, dites, nobiles, vel etiam eruditi, non magnifacio, ſiue me oderint, ſiue amare videantur. Quapropter etiam tuum de meis carminibus iudicium gratiſsimũ mihi fuit. Nam te cùm maximi faciam, ſi aliud id eſſe intellexiſſem, ab hoc ſcribendi ſtudio me deterruiſſes: nunc autem cùm à pijs hominibus illud, præſertim verò à te non improbari videam, quantum in me erit, in hoc elaborabo. Quòd autem nos rogas, vt ſi quando in Italiam redeamus, iter iſthac faciamus, ego nos eò vnquam profecturos affirmare non poſſem. non enim hoc animo huc venimus, vt iterum Italiam petamus: nam te non fugit, quàm ſit periculoſum illic Chriſtianum ſe profiteri, vbi poteſtatem habet tantam Antichriſtus: qui iam, vt audio, in ſanctos ita bacchatur, & ita ſæuire incipit, vt ludum iocumque dicas

alterum illum fuisse, præ vt huius rabies quæ dat: in omnes enim Italiæ vrbes suos Corycæos misit, neq; vt ille alter, ullis precibus flecti potest. Superiore enim anno, nescio an tu audieris, Fannium quendam pium virum, constantissimæ fidei, cùm in carcere ferè biennium fuisset (nunquam enim neq; metu mortis, neq; coniugis vel liberorum amore à veritate discedere voluit) suffocari, deinde corpus cremari, nec hoc contentus, ossa in Padum proijci iussit. Quare, licet meorum maximo desiderio tenear, tamen in vltimas terras proficisci mallem, quàm eò redire vbi ille tantopere sæuiendi potestatem habet. Si verò hinc nobis discedendum esset, nusquam aliò libentius, quàm ad vos proficisci velim. Viderer enim mihi apud meos esse, si vobiscum vitam agere contingeret. Quamobrem si istic vel ægros curando, vel publicè legendo, suo munere fungi posset vir meus, libenter, vel mea causa acciperet conditionem. Si hoc fieri posset, nihil mihi iucundius accideret. Essem etiam Italiæ propinquior, ita vt sæpius ad meam charissimá matrem, sororesq; meas, quæ mihi ante oculos noctes diesq; versantur, scribere, & ab illis literas accipere vicissim possem: quod hîc perdifficile est: accepi tamẽ hoc mense, satis longo interuallo. Et quia scio te nobis omnia cupere, mea interesse videtur, vt de illis te certiorẽ faciá. Seruiebant meę sorores vna Helenæ Rangonę Bentiuolæ;

nolæ: altera eius filiæ quæ Mediolani nupta est, quam cùm ad te scripsi, Ferrariam venisse arbitrabar: sed cùm se dare in viam cogeretur, & omnia parata essent, adolescens quidam, vnicus patris filius, satis locuples hoc audiens, eam abire non est passus, sed nullam petens dotem, in matrimonium duxit: quæ mense Maio hoc anno Ferrariam matrem inuisit vnà cum suo sponso, & apud eam dies aliquot commorata est: alteram Romam secum adduxit Lauinia Ruuerensis Camilli Vrsini nurus, qua ego nullam doctiorem in Italia noui, & quod omnium maximum est, pia est. Ita Deus mirificè cum sanctis suis agit: quemadmodum etiam superiore anno, cum Vuircenburgi apud Sinapium essemus, in maximo periculo nobis præsto fuit. nam fraterculus meus, quem mecum habeo, è fenestra sanè excelsa supra saxa decidit. eum omnino moriturum putabamus: aut si viueret, ἀδυνατώτατον Sinapio & meo viro esse videbatur, eum non in epilepsiam incidere. Sed non plus mali habuit, quàm si in molli humo cecidisset: & locus est adeò excelsus, vt adhuc meus animus meminisse horreat. Verùm de hoc tanto Dei præsidio ad matrem scribere non sum ausa. Non enim adduci posset, vt eum, nisi videret, viuere crederet. Hæc habui quæ de meis tibi scriberem. Hoc vnum autem te rogare velim, vt si librum illum de Instituendis liberis à te compositum habes,

qualem in ædibus Sinapij legi, ad me mittas, vbi commodum erit. Cupio enim diligenter legi à mea sorore, quæ Mediolani est. Si tuum etiam illum Ecstaticum dialogum Latinè scriptum haberes, nos & aliquot viri boni qui hîc sunt, legeremus. Habes epistolam satis verbosam, non enim vereor, ne te scribendo expleam: præsertim cùm intellexerim, in hoc genere te studium meum non aspernari. Sed tamē cùm vnum adiecero, finem faciam. Necesse enim arbitror tibi respondere ad id, quod ex me quæris, An aliquid pepererim. Hos fœtus quos eodem die, & eadem hora qua tuas literas accepi, edidi, ad te mitto: hæc scilicet carmina, hîc adscripta. Dialogum etiā Latinum quem nuper composui, cùm descripsero, ad te mittam. Nullos alios fœtus edidi, nec edendi hactenus mihi spes est. Te verò doctissime Cæli, rogo, vt quid agat vxor, quot habeas istic liberos, quid discant, ad me diligenter perscribas. Omnia enim tua mihi maximæ sunt curæ. Cùm autem ad me literas dabis, ad Sinapium nostrum Virceburgum mittes. hoc oppidum à Virceburgo tantùm iter vnius diei abest. Vale. Maritus meus vobis omnibus S. P. D.

Suinfordij, Calend. Octob, vespere festinans.

OLYM.

OLYMPIA MORATA Lauiniæ Ruuerensi Vrsinæ S. P. D.

EPistolam satis longam ad te hac æstate dederam, cui cuiusdã docti ac pij viri dialogum adiunxeram, an acceperis, nescio: perrarò enim literæ hisce turbulentissimis temporibus redduntur, quibus omnia bello ardere videntur. Sumus præterea longissimo locorum interuallo, vt antea ad te scripseram, disiunctæ. Quare mea Lauinia, si minus meas accipis, quemadmodum neque ego à te præter vnas, posteaquam hîc sumus, accepi, noli putare id aut negligentia mea fieri, aut tui obliuione. si haberem cui darem, neminem prætermitterem: ad meam quoq; matrem, de qua semper solicita sum, quotidie si fieri posset, scriberem: tantùm enim abest, vt vestri oblita sim, vt mihi quidem quotidie augescat magis de vobis ægritudo. Et sanè nisi hoc solatium mihi Germania daret, quòd eos Theologiæ libros habere licet, quibus istic carendum fuisset, desiderium meorum ferre non possem, præsertim tui, quæ mihi semper in medullis hæres, tuiq; semper in meis precibus mentionem facio. Magnæ mihi curæ est tua salus, semperq; vereor, ne dies noctesque solliciteris, vt soles, & te curis conficias. Propterea licet occu

pationibus maximis diſtinear, relictis tamē omnibus hunc dialogum tua cauſa componere volui, vt ſaltem dum legeres, animum à tuis moleſtijs abduceres. Suſpicor enim, cùm bellum ſit in Gallia, virum tuum abs te diſceſsiſſe, & te tuo more cruciari: ideo in dialogo aliqua quæ tibi conuenirent, & ſi nō omnia, interſperſi, vt videbis. Mitto etiam D. Martini ſcripta quædam, quæ cùm legerem, valde me delectarunt, vt te quoq; afficere & recreare poſsint. Incumbe per Deum in hæc ſtudia, implora vt te vera religione illuſtret, non feres repulſam. An credis Deum mentiri? quorſum tot promiſſa omnibus ſuam opem implorantibus feciſſet, niſi ea ſeruare vellet? omnes miſeros ad ſe inuitat & allectat, neminem excipit. Quamobrem depone illum veterem errorem, quo hactenus ductæ fuimus, cùm putaremus, priuſquam eum inuocaremus, ſcire oportere, an ab æterno tempore nos elegiſſet, quin potius, vt ipſe iubet, prius ab illius miſericordia imploremus: & cùm hoc fecerimus, nos in numero electorum eſſe certò ſciamus. Ceſſatum vſque adhuc eſt, nunc porrò expergiſcere, & conſidera iam, non quæ tecum colloquatur, ſed qualia, & cuius ſint hæc dicta.

Vale. Suinphurdij.

OLYM-

OLYMPIA MORATA LAuiniæ Ruuerensi Vrsinæ S. D.

Valde dolui me eo tempore accepisse tuas literas, quo respondere non potui: non enim ignoras, quàm difficile sit hybernis temporibus reperire cui literas demus. ad malum hoc etiam accedit, quod iam maiore locorum interuallo disiunctæ simus, quàm eramus superiore æstate. nam cùm tu Romam veneris, nos verò Suinphurdium in patriam mei viri, propter Hispanos, quos cùm Imperator huc misisset hybernandi causa, senatus in patriam accersiuit maritum meum, vt eius opera vteretur. His igitur de causis statim vt optabam, tuis suauissimis literis respondere non potui, quæ me partim molestia, partim lætitia affecerunt. Facere enim nó potui, quin Phannij viri magna pietate præditi, morte nó commouerer, licet postea eius magna constantia meum dolorem leniret. Lætata verò fui, quòd sororem meam tecum adduxisti, eoque maiorem cepi ex parte lætitiam, quia improuisum inopinatumque hoc accidit. certè affirmare non possum, vtrum plus doloris acceperim ex iniurijs, quibus affectæ fuerunt, an voluptatis ex Dei præsidio, qui tunc, cum maxima esset consilij inopia, cùm de nobis actum esse putaremus, nobis præstò fuit, atque ex æru-

mnis extraxit, quod ab eo fieri non ſolùm in Italia experta ſum, ſed etiam in Germania ſæpiſsimè. noſti enim diabolum nobis vbique inſidias tendere, è quibus niſi Deus nos eriperet, ne vnum quidem diem viueremus. Quare illi gratias ago immortales, quòd nos reſpiciat, teque, quia in hoc opera tua vti voluit, valde amo, meq; tibi eo magis debere exiſtimo, quòd vltro antequam rogata eſſes, hoc beneficium mihi dediſti. Gratia namq; cùm fieri properat, gratia grata magis. Vale Suinphurdij.

OLYMPIA MORATA ANtonio Hermano S. D.

ARca noſtra cum libris huc aduecta eſt. Maximas tibi gratias ago, quòd in hac re tuum erga nos ſtudium declaraſti. Vtinam etiam aliquando referre poſſemus. Has literas Patauium mittimus, fac quęſo, cum tuo commodo fieri poterit, vt illas Laurentius noſter, vir cum primis pius, accipiat. Vale.

OLYM.

OLYMPIA MORATA Laurentio Schleenri S. P. D.

NOS tandem libros noſtros accepimus: quare gratias tibi agimus ingentes, quòd hoc ſtudioſè diligenterque curaſti. Auicennæ liber nō erat in arca: ſi quid autem tibi debetur, fac nos certiores, & pecuniam tibi curabimus. Nos adhuc in patria commoramur, neque nobis propter hæc bella hinc diſcedēdi fuit poteſtàs. Ad te perlatū eſſe credo, Ducem Saxoniæ liberatum fuiſſe, & ſuam priſtinam dignitatem obtinuiſſe, ἀλλὰ ταῦτα μὲν δὴ ταύτῃ. Vnum autem à te ſummopere contendere volo, vt de rebus Italiæ ad nos ſcribas quamprimum ſi vacabit, præſertim de ingrata mea patria Ferraria. Mēſis hic agitur decimus quartus, cùm nihil de matre mea audiui, & cū ſæpe ad ipſam & ad affines amicosq; omnes perſcripſerim, tamen nemo mihi reſcribit. Quamobrem ſtatui has, quas tuis adiunctas vides, ad te mittere, vt tu illas ad matrem perferendas cures, & diſpicias, quanam ratione poſsit, vt quid agant, intelligam. Hoc mihi gratius facere nihil poteris, quod vt facias te etiam atq; etiam oro, perque tuam pietatem obteſtor.

Vale. Suinphurdij.

OLYMPIA MORATA Hermano Filio S. D.

SCripfit ad nos perhumaniter parens tuus, conditionemq; nobis talem obtulit, qualem libenter acciperemus: sed incurrimus in quandam difficultatem, quæ non nunquam nobis impedimento fore videtur: quod cùm à te expediri posse arbitrarer, id quale esset meis literis tibi significandum putaui, quo nobis in hac re opem tuam feras. Haud te clam esse existimo, nos sub Christo merere, eiusque militiæ sacramento ita obligatos esse, vt ab eo si discesserimus, pœnas daturi sempiternas simus. Nam talis & tantus est Imperator, vt non solùm vitæ necisq; in suos milites potestatem habeat, sed & eos æternis supplicijs mulctare possit; nec patitur quemquam suorum vtraq; sedere sella. Quare hoc nobis maximæ curæ esse debet, ne metu hostium scutum abijciamus, neque nos temerè periculis offeramus. nam in eum peccaremus. Hoc igitur timens, te etiam atq; etiam vehementer rogo, vt nos tuis literis & tuorum amicorum qui Linceam vrbẽ incolant, certiores facere velis, an Antichristus ibi ita sæuiat, vt ad aures nostras fama peruenit; an animaduertant in eos qui Missę eorum non intersunt, & pura religione Deũ colunt. Nam sic stat sententia nos per-

uersam

uersam ac impiam religionom colere nolle, & nos Christianos profiteri. Quòd si vt solent in alijs locis, Corycęi Antichristi nos obseruarēt, & cogere vellent interesse suis sacris, eò omnino nobis accedendum non esset: nam vt iam dicebam, in Deum peccaremus. Hoc tu nobis effectum dare posses, hoc est, nos admonere, quòd vt facias, te rogo atq; obsecro. Vale.

OLYMPIA MORATA DOctori Valentino Carchesio S. P. D.

MAGNA molestia affecti sumus, quòd eo tempore venisti in Germaniam, quo quidem tempore nos videre non potuisti. nos adhuc animo suspenso & solicito scire auemus, quid rerum in Italia geratur, præsertim quid mei agant: nā ex illa epistola adeò exiguè scripta, nihil ferè eorū intellexi, quę ex tè cognoscere potuissem, fuissemusq; tibi de hoc tuo honore corā gratulati: quod cùm non licuit, per literas id agere decreui. Nos itaq;, mi Valentine, tibi gratulamur, optamusq; vt hæc res tibi prosperè eueniat. Has literas apertas ad tè mitto propter hęc suspiciosissima tempora, quas vt matri reddas, oro, & nos ei valere dicas, atq; verbum vnum caue de istis maximis cala-

mitatibus, quod illam cura & ſolicitudine afficere poſsit. Deus nos tuetur & conſeruat: hactenus præſtò fuit, vt dubium non ſit eum poſthac etiam ſuam opem & auxilium nobis eſſe laturum. Plura ſcribemus, ſi tempus ita feret, & ad te miſiſſem Pſalmum, quem nuper verſibus Græcis mandaui. Salutem noſtris verbis heræ tuæ nuncia. & alijs ſi qui ſunt, qui nobis cupiant. Vale. Suinphurdij.

OLYMPIA MORATA Georgio Hermano Regis Conſiliario S. D.

Eas literas, quas ad te ſuperioribus diebus aurig; noſtro dedimus, accepiſſe puto, quibus & de noſtra valetudine, & itinere noſtro vobis ſignificauim9. Nos adhuc Vuirceburgi apud Sinapium ſumus: hinc enim non diſcedemus, quo ad nobis noſtræ ſarcinulæ, quæ adhuc Bambergæ ſunt, aduehantur. Si quæris quid agam, literis me abdo, & ſæpe legens totum produco diem: maiorem leuationem non reperio. Vir meus ſimiliter ſuis ſtudijs ſe delectat. fraterculus autem meus vt experiundo ſciremus, Deum angelis mandaſſe vt tollant manibus filios ſuos, ne cùm cadant offendant ad lapidem, de feneſtra excelſo loco in terram ſuper horrida ſaxa

paucis

paucis antè diebus decidit, ſed illi nihilo plus fuit mali; quàm ſi humi cecidiſſet. nihil perfregit, nihil ſe confecit mali. Valet atque viuit, non ſine magna omnium noſtri admiratione. eſt enim incredibile & præter naturam, ex tam graui caſu nihil mali ad eum deueniſſe: ita Deus qui mortuos etiam ab inferis excitare poteſt, ſuos incolumes tueri & conſeruare ſolet, cui nos omnes commendo & trado. Vale. Virceburgi.

OLYMPIA MORATA Thomæ Lucio S.

ETSI valde doleo me tibi tam ſæpe meis literis moleſtiam exhibere, tamen cùm tua pietas mihi in mentē venit, facere non poſſum, quin ea à te petam, quæ fides, pietasque poſtulat. Scis autem quantum matri debeā, cùm quia mater eſt, & in me omnia matris officia contulit, tum etiam quia mulier eſt pia, & viro orbata. Nam non es ignarus quanto ſtudio nobis Deus viduas commendet: pietate igitur adducta, ad illam aliquot nummos aureos mitto: te rogo, vt illi in manus literas tradas, ne pecunia amittatur: hoc beneficium non ipſi, ſed Chriſto dabis. Cæterùm quòd ex viro meo cognoſcere cupis, de rerum Germanarum ſtatu, cùm ipſe ſcribendi

ſpatium non habeat, pro illo tibi reſpondebo. Nihil adhuc in Germania certi eſt: Imperator quidem eſt Auguſtæ, & pleriq; omnes alij Germaniæ principes, ſed quid ibi agere velint, nullus ſcit. dixit quidem Tridenti comitia ſe inſtituere velle; interim vt omnes, ſui interregni de religione leges ſeruent; quibus nemo adhuc parere coactus eſt: ſed vt antea omnes ſuo arbitratu viuunt. Quòd autem te iandiu nihil de Sinapio intellexiſſe ſeribis, nobis adhuc eum videre non contigit; quia Auguſtam eſt ſecutus ſuum Epiſcopum: ſed ex eius literis eum eſſe Herbipoli, & valere intelleximus. Hæc habui, quæ ad te ſcriberem. Vale.

OLYMPIA MORATA VAlentino Carcheſio S.

QVid noui in præſentia ad te ſcribam non habeo: non enim meâ intereſſe puto de bellis, quæ Germaniæ impendent ſcribere, nunciabunt alij, multa rumor etiam perferet: ego niſi quæ certa ſint, à me ſcribi oportere non exiſtimo. Quare in proximis literis, quas ad te ſcripſi, niſi certum exploratumque mihi fuiſſet, concionatorem noſtrum eſſe virum bonum, nunquam eum laudaſſem. Vnde verò coniecturam faciam, eum eſſe talem, niſi ex illo Lydio lapide, quo homines probari,

bari, Prophetarum Apostolorumq; scripta prodiderunt? hoc est, ἐκ τῶν δύω γενῶν, quales ille perpessus est, & adhuc perpessurum, si res tempusq; postulabit, apparet. Nulli enim in his periculosis temporibus blanditur, & inuehitur in eos, vt concionatorem decet: quibus si adularetur, facilius rem familiarem augeret. æqualem ac parem verbis vitam agit. Nonnulli præterea alij viri boni hîc sunt, ἀναγεγεννημένοι ἐκ σπορᾶς ἀφθάρτου διὰ λόγου ζῶντος Θεοῦ, quorum causa hîc libenter sumus, lubentissimeq; tibi istas ollas Ægyptiacas concedimus. sed de his hactenus. Gratissimum mihi fuit, quòd meæ matris literas ad me miseris: ex tuis literis verò scire cupio, quid agat eruditissimus noster Lilius Gregorius, εἰ ἔτι που ζώει καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο, cui nostris verbis salutem nuncies te rogo, nec non doctissimo iuueni Iosepho Brixensi, qui apud Chauanum diuersatur. Scribe sæpe quid tu agas, quid istic agatur, in primisq; sacros libros diligenter peruolue. Caue ἔργον πάρεργον ποιήσῃς Heræ tuæ Agnesæ, architriclinoq; salutem dic. Sed heus tu, in aurem dicito, nequis sibi ab Olympiæ nomine metuat, etiam alios, quos amo, nisi illos meo nomine audito posse exhorrescere vererer. Vale.

OLYMPIA MORATA Antonio Hermanno F. S. P. D.

Clarisſime vir, quanta diligentia negocia noſtra curaueris, ex proximis tuis literis intelleximus, tantumque vobis nos debere exiſtimamus, quantum perſoluere difficile. Quare ſtudium veſtrum veſtraque beneuolentia facit, vt quotieſcumque nobis veſtra opera opus ſit, ea vti non dubitemus. Itaque ſummè à te contendere volui, vt ſemel duntaxat, ad Milichium, vbi commodum erit, ſcribere ne graueris, vt ille quaſcunque literas à nobis acceperit, eas reddi curet. ſi ſemel hoc illi ſignificaueris, facilius ad meos literas dare, & illorũ accipere potero: nihil verò mihi iucundius in extera natione, quàm de rebus meorum certior fieri, & de noſtris illos certiores facere. hoc ſi feceris, de tuis erga nos officijs mihi gratiſsimum erit. Si tibi graues ſumus, tuæ humanitati attribuito. Vale.

Suinphurdij.

OLYM-

OLYMPIA MORATA GEorgio Hermano Regis Ferdinandi Consiliario S. D.

NON quòd tui vlla me ceperit obliuio, raras meas literas accipis, sed quia nulla res fuit hactenus, de qua ad te à me scribi oportere existimauerim: nunc verò cùm scire cupias, an in animo habeam eò me conferre, vbi Deus optimus maximus nobis conditionem offerre velle videtur, ego breui quid sentio dicam. Cùm me Deus, illi verò, quo mihi in hac vita nihil charius est, connubio stabili iunxerit, cumq; per Alpium iuga secuta sim, posthac etiam inhospitalem Caucasum, vel Occidentis vsque ad vltimum sinum forti sequerer pectore. quòd cùm illi sit cordi eò proficisci, & mihi gratum est: decet enim me ad eius voluntatem conformare. à quo honestè dissentire non possum. Omne solum forti patria est, modò illic nos Christianos apertè profiteri liceat, & sacris Pontificum non vti, remigio veloque festinabimus. Vnum interim te rogare velim, vt nos de hac re certiores facere velis, nosque si eò proficisci contingat, si quos illic pios & doctos nosti, illis commendes, tibi pro hoc beneficio si minus ad referendam gratiam satisfacere poterimus, ad habendam certè satis sumus facturi. Vale Suinphurdj.

OLYMPIA MORATA MIchaeli Vebero adolescenti S. P. D.

CVM matrem tuam ob summam pietatem plurimùm amemus, facere non possumus, quin eius gaudia solidè gaudeamus. Quare magnam lætitiam & voluptatem cepimus ex tuis literis ad virum meum datis, cùm quia pietatis tuę specimen dederant, tum etiam quia indicium fecerunt, quid in literis profeceris, de hocque tanto bono, matri tuæ sum gratulata, quòd sic animum ad studia literarum applicaueris, neque (quod vulgus adolescentium solet) discum, quàm philosophum audire malueris. Magnum est tibi (mihi crede) munus à Deo datum, si te huius seculi malis morib. quorum iam licet maximam metere messem, vt illę ait, corrumpi non sinis, istuc Deo acceptum referas, si τῆς λεωφόρου μὴ βαδίζεις. Quapropter mihi gaudeo, tibi gratulor, optoq; vt hæc opinio quam de tę habeo, in dies magis magisq; duplicetur, quo matrem tuam graudio delibutam, & nos tui studiosos ex amicis amicissimos reddas, in primisq; ne in Deum qui te in hanc mentem impulit, & tibi ingenium dedit, impiè ingratus. οὐ γὰρ ἀπόβλητά γε Θεοδέρικυδέα δῶρα. Quod autem adeò solicitus es, ne hæc tristia tempora te à tuo cursu

ſu reuocent, nihil eſt quòd ſic animo angaris, non multum damni facies in hoc: nam non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri: poteris librum aliquem tuo Marte legere, dum cares præceptore: nec enim omnia à præceptoribus traduntur, ſed ipſi tanquam digitum ad ontes intendunt. Si mihi auſcultabis, librum aliquem diligenter leges, quem tibi vtilem fore putabis: (nam mihi tuorum ſtudiorum ratio nota non eſt) eum peruolutabis, ac in eo vno elaborabis, quandoquidem præſtat vnum aliquid inſigniter agere, quàm multa mediocriter, vt ait Plinius ille Iunior. Hoc ſi facies, matrem tuam de hoc ſolicitam valde leuabis. Sed ne currentem incitare videar, hîc modum faciam, ſi te prius hortata fuero, vt omni animi impetu totoq; pectore ad ſtudia ſacrarum literarum incumbas, quæ ſola te, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non, edocebunt, teque meliorem reddent, ac in iſtis ærumnis ſua te conſolatione ſuſtentabũt. Bono animo eſto, Deus te non deſeret, qui ſuos etiam in ſummis periculis verſantes, tueri ac conſeruare ſolet, vt ille ait: Dominare in medio inimicorum tuorum. Plura ex ijſdem fontibus haurire poteris. nos tibi vti debemus in quibuſcunque rebus poterimus operam noſtram & ſtudium nauabimus. Vir meus te plurima impertit ſalute: qui tuis literis, ſi ei ocium fuiſſet, reſpondiſſet, pro quo tibi ego reſpondi. Vale. Chriſtus te

tueatur. Suinphurdiæ duodecimo Calendas Decembris. 1552.

OLYMPIA MORATA Ioanni Sinapio S. P. D.

VIR meus proximè ad te literas dedit, & tua filiola ſimul, quas omnes an acceperis, ignoramus. Ego has ad Antonium Hermannum, vt vides, mitto, quo meas literas Patauium ad Laurentium perferendas curet. In animum enim induxi, cum tanto temporis interuallo nihil literarum acceperim, ab eo expiſcari quænam cauſa ſit, quæ huic rei tantam producere moram poſsit. Tua filiola valet, & quotidie aliq̃d addiſcit, εἰ δὲ σμικρὸν ἐπὶ σμικρὸν καταθεῖο, noſti reliqua. De conditione illa ſi quid compertũ habes, fac nos quamprimum quæſo certiores: nam Senatum noſtrum multum in hac re nos iuuare poſſe audiuimus, facturumq́; confidimus. Vir meus te plurima impertit ſalute, & vxorem tuam, quam etiam meis verbis ſaluere iube. Vale Suinphurdij decimo octauo Calend. Febr. 1553.

OLYM.

OLYMPIA MORATA præclariss. D. Lauiniæ Ruuerensi Vrsinæ in Christo Iesu S. P. D.

Ætata sum vehementer mihi in tantis nostris ærumnis occasionem ad te scribendi oblatam fuisse, quo te tanquam mihi amicissimam, & omnium mulierum charissimam (matrem excipio) de rebus nostris certiorem facerem, vt non tam nostram vicem doleres, quàm de præsidio Dei nobis gratulareris. Scito enim nostram salutem iam longo tempore in summo discrimine versatam fuisse, & adhuc versari, nosq; multis periculis vndique cinctos fuisse. Nam & à maximo exercitu duorum Episcoporum Vircebur. & Bamber. & à copijs ducis Electoris Mauritij, ducisque Brunsuicensis, & Norimbergensium præterea obsessi fuimus, propter Marchionis Brandeburgensis exercitum, quem ille in hac vrbe collocauerat. Sed Deus ita nos texit & tutatus est, vt nullus (prorsus incredile dictu) à tormentis illis, quæ dies noctesque maximo cum impetu iactata fuêre, interfectus fuerit, illorum impetum à nobis propulsauit & propulit, qui etiam in omnibus malis, & damnis quæ bellum dare solet, præstò adhuc nobis est, nobisque in hac annonæ caritate,

quæ maxima eſt, quæ ad victũ neceſſaria ſunt, benignè adhuc prębet. multos etiam ferè ab inferis excitauit:nam contagione militum, quibus vrbs refertiſsima eſt, morbus adeò grauis penè omnes ciues inuaſit, vt etiam mentis dolore ferè dimidia pars ciuium mortua ſit. Affectus fuit etiam tali morbo, mei amantiſsimus maritus, & ita grauiter ac periculosè ægrotauit, vt illius vitæ ſpes nulla oſtenderetur. Verùm ille qui ſolet ad inferos deducere, maximis & continuis Eccleſiæ precibus ac meis illum reduxit, mei miſertus, quæ tantum dolorem ferre non potuiſſem. In omnibus verò malis iſtis, vnico ſolatio vſi fuimus, Verbo Dei, quo nos ſuſtentauimus, & propter illud nunquam ad ollas Ægyptiacas reſpexi, ſed mortem hîc oppetere malebam, quâm alibi omnibus mundi voluptatibus frui. Et quanquam nondum liberati ſumus hiſce malis, tamen quia ſemper habuimus Deum tam præſentem, ſpem habemus, nos quando illi libitum & opportunum viſum fuerit, liberando fore. Tuum eſt etiam illum ſimul nobiſcum comprecari, quo partu iſto (nam iam nouem menſes laboramus) felices edamus fœtus. Hæc habui quæ ad te ſcriberem, & quibus te admonerem, vt periculum ex nobis faceres, tibi quod ex vſu eſſet. Nam hæc omnia ob verbi Dei contemptum nobis accidere non dubitamus, ob quam cauſam Hieroſolymam etiam funditùs euerſam fuiſſe con-

ſtat;

ſtat. Quare toto pectore ad ſacras literas incumbe, quæ ſolæ te cum Deo copulabunt, tibi errores, falſas opiniones eripient. Hoc vnum erit tuum viaticum, quod hinc tecum ferre poteris, cætera omnia vel clariſsima relinquenda erunt. Meam ſororem, quę in clientelam tuam & fidem tibi data eſt, quæſo hortare vt idem faciat, cui pro tua humanitate has literas interpretaberis: anguſtijs enim tẽporis ad eam ſcribere non potui, & quia ſimul ſuppudebat, præclarum heroa qui has ad te perferet, meis literis onerare. Vale Suinphurdij, quarto Nonis Februar. Tibi plurimam ſalutem adſcribunt maritus meus & fraterculus. ſalutem tuis omnibus meis verbis nuncia nullo excepto. Iterum vale mea ſuauiſsima Lauinia, quæ mihi ſemper hæres in medullis, neq; vnquam tui me capiet obliuio, dum ſpiritus hos reget artus. Vale, vale & ſalue.

OLYMPIA MORATA PIO atque erudito viro Matthiæ Flaccio Illyrico, in Chriſto, S. P. D.

CVM multum diuq;. cogitaſſem, vir optime, qua ratione meos aliosque Italos locupletarem his bonis, quibus Germania adfluit, neque locum conſilij in me ipſa, neque auxilij copiam haberẽ, mihi in mentem

venit, me id per alios doctos viros facilè asse-qui posse: & cùm mihi tua scripta te notissimũ fecissent, tu primus occurristi, qui meis Italis in egestate cœlestium bonorum, in multisque erroribus versantibus, magno adiumento fore visus es. Si autem libellum aliquem Lutheri Germanicè scriptum, in quo eorum publicos errores coarguit, in Italicum cõuerteres (nam ego Germanorum linguam nondum intelligo, alioqui laborem non fugissem) aut tu de eadem hac re aliquid Italicè componeres, quod profectò melius quàm ego præstare potes, vtpote qui sacræ scripturæ libros peruoluisti, quos ego vix primoribus labris gustaui, multis viris pijs, certè te errores quibus ducuntur, erepturum confido. Si Ecclesiæ causa pro qua & vitam profundere debemus, hunc laborem suscipere voles, quos hoc tuo diuino beneficio in perpetuum tibi deuincies: magis autem ex vsu illorum fore videtur, si Italicè scribas, quippe ipsorum multi literas nesciunt, quod vt facias te etiam atque etiam oro, perq; Christum obtestor, qui sibi hoc beneficium datum putabit, & à quo, cùm ego tibi gratiam referre nõ possim, pulchrè tibi fœneratum duces. Pluribus verbis hoc à te contenderem, si Iohannes Cremerus noster affinis non tecũ de eadẽ hac re per literas egisset, & si per se pietas non loqueretur. Vnum autem à te peto, vt si tibi meæ literæ molestiam exhibuerunt, non id

meæ

meæ importunitati, ſed tuæ pietati, qua freta ad te ſcripſi, attribuere velis. Si tibi opus erit opera noſtra, omnia noſtra ſtudia à nobis ex-pecta, non fallemus opinionē tuam. Vale vij. Calend. Iunij. 1553. Suinphurdij.

OLYMPIA MORATA cuidam concionatori Germano S. D.

SÆpenumero mihi offerri occaſionem tecum colloquendi maximè exoptaui, ſed cùm eam hactenus nanciſci non potuerim, id tecum per literas agere decreui, quod coram, ſi licuiſſet, egiſſem: me enim rem differre amplius Chriſti præceptum non patitur, cui nos parere & obedire neceſſe eſt. Cùm itaque exploratum habeam te ſæpe peccare, vt te admoneam mihi peropus eſt, ſi Chriſti dicto audiens eſſe volo: quare tu etiam nullo pacto (ſi modò tu tecum rem recta reputabis via) mihi ſuccenſere debes, ſi omnino te admonendum putaui, quòd prçter ampliſsimam miniſterij tui dignitatem, præter canitiem tuam facis, dum genio non minus indulges, quàm Epicurus quiſpiam: quod quàm turpe ſit, homini liberaliter inſtituto, etiam homines nulla Chriſtiana religione imbuti non ignorarũt: Chriſtiano verò turpius, cuius vita

ſanctè & integrè acta, cæteros ad Dei cultum, ac puram religionem ſuſcipiendam inuitare atq; allectare debet, concionatori verò turpiſſimum qui cum alijs monſtret viam, ipſe ſibi ſemitam non ſapit. Quippe ſi philoſophus in ratione vitæ peccans hoc turpior eſt, quod & in officio cuius magiſter eſſe vult, labitur: certè concionator turpiſsimus eſt, qui alijs vitam agendam inculcans ipſe flagitioſiſsimè degit. An non flagitium eſt ingens perpotare, ebrioſum eſſe, abuti optimo Dei munere, quod nobis datum, vt eo cum gratiarum actione fruamur, non vt abutamur? Quid non ebrietas deſignat? noſti cętera. Sed quod à poeta omiſſum eſt, id verò multo maximũ, quòd ebrij plerunque obſcœna loquuntur, quòd ſępe execrátur, iurantq; per nomen Dei ſanctiſsimum (quod qui violabit, inultum id nunquã auferet) templum Dei ſanctũ hoc eſt, ſuijpſius corpus polluunt & fœdant: Spiritui ſancto mœſtitiam inferunt: illum à ſe expellunt & eijciunt: ipſi à precibus auocantur. Quòd ſi olim Deus de eo qui templum Hieroſolymitanum contaminaſſet, tam graue ſumpſit ſupplicium, quid faciet ei qui tale templum inquinauerit? vt nihil interim dicam ὡρὶ τοῦ σκανδάλου, quo maieſtas miniſterij imminuitur: Chriſtus atq; Euangelium dedecorantur: deniq; qui ſic uiuit, plus dedocet diſcipulos perditis morib. quàm doctrina erudit; at qui mercedẽ accipit, vt doceat & dedocet;

docet, nónne furtum facit? Tu omnibus tuis discipulis exemplum esse deberes modestiæ, sobrietatis & temperantiæ: & tu ista turpi tua vita in flagitia eos immergis? noli queso illud Christi obliuisci, ὑμεῖς ἐστὲ τὸ ἅλας τῆς γῆς. ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται, εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι, εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. Cogita de illa Pauli sententia, ἐγὼ ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα, καὶ δουλαγωγῶ, μήπως ἄλλοις κηρύξας, αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι. Quo ore hortaberis tuos discipulos vt te imitentur, quemadmodum Paulus suos à se exemplum petere iubet, an vt te imitentur potando, commessando? neq; verò excusatione infirmitatis carnis hoc vitium defendere poteris. Scimus omnes homines delinquere, neq; vllum reperiri qui careat culpa: sed qui veram fidem habent, hi τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. Infirmi non semper infirmi manent, sed aliquando etiam fortes fiunt, vt peccatum non amplius dominetur eis: & ebrietas tale scelus est, vt etiam qui Christum non norunt, abstinere posſint. Scilicet credendũ est Christianum propter innumerabilia Christi in se beneficia collata, sobrium esse non posse, cùm Turcæ propter perditum hominem & profligatum Machometum parcè, continenter, sobrieq; viuant, adeò vt ne vinum quidẽ gustent. Et si Paulus carnem in perpetuum edendã sibi non putet potius, quàm fratri dolorẽ commoueat, tu

ſaltem non dico à vino, ſed hoc nefario ſcelere non abſtinebis? non vt ne frater tuus dolore afficiatur & offendatur, ſed vt ne magna hominum multitudo pereat. Neq; verò debemus hoc peccatum verbis extenuare: nam Deus de illo ex noſtrâ opinione non exiſtimabit, ſed ſecundum latam ſententiam ſuam, qui ebrietatem in numero eorum flagitiorũ reponit, quæ qui adimit, Chriſti regnum nunquam poſsidebit. Quapropter te etiam atque etiam rogo, obſecro, perque Chriſtum obteſtor, vt tandem mutes mores iſtos, tum propter tui muneris functionem, tum propter σκάνδαλον, atq; etiam propter ſalutem tuam, ne in extremo die in eorum ſis numero, quibus dicetur ἀποχωρεῖτε ἀπ᾽ ἐμοῦ οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν. Deus huc vſq; cõniuit, teq; ſua lenitate ad pœnitentiam incitauit. iam fermè tua ætas exacta eſt, reſpice quæſo, vt Deum propter ſanctimoniam & mutatos mores gloria honoreq; afficiant, qui antea propter ebrietatem ignominia adfecerunt. Hæc fac toto animo cogites, ne tandem Deus à te pœnas expetat, & perpetuò pereas. nam vt te non fugit, turpis ac flagitioſa vita arguit fidem in Chriſtum non adeſſe, ſine qua prorſus pereundum eſt. Quamobrem eam à Deo petas moneo & hortor, priuſquam te mors occupet: pete veniam, quam omnino pœnitenti dabit, qui etiam iurauit ſe nolle ſontis mortem. Hęc habui quæ ad te ſcribere me oportere exiſtima-

iſtimaui, quæ ſi Chriſtianus es, tantum abeſt, vt grauiter feras, vt etiam te admoneri, gaudere, vehementerq́; lætari debeas. Vale in Christo. Suinphurdij.

HVBERTVS N. DOCTORI Andreæ Grunthlero medico, S.

SI mederi poſſem tuo dolori, quē ex caſu clariſsimę vrbis tuæ procul dubio concepiſti, declararem tibi, chariſsime doctor Grunthlere, triſtitiam meam, quam exinde habeo: ſed eſſet malum malo addere. Quare nihil melius poſſum facere, quàm committere tuæ prudentiæ inſtabilem fatorum viciſſitudinem, quæ nihil in terris perpetuum eſſe ſinunt. Fuit Troia, fuit Ilion, & ingens gloria Dardanidum. Hæc ita Deo placuerunt: & quod me magis permouet, nullus eſt apud nos, cui tuum infortunium conqueri poſsim. Conſiliarij enim principis, omnes nunc abſunt, & agunt Vvormatiæ, ſi quem modum imminentibus malis inuenire poſſent: nec de ſpe apud nos aliqua tibi certò ſcribere valeo. Tu tantùm ſi huc venires, haberes domū meam, tibi & tuæ vxori patentem, cui precor me commendes. Interim forſan grata ſuperueniet, quæ non ſperabitur hora. Interim vale chariſs. Grunthlere. Heidelbergæ, 23 Iunij. Anno 1554.

OLYMPIAE MORATAE EPISTOLARVM Liber II.

OLYMPIA FVLVIA MORATA Annæ Eſtenſi Principi Guiſianæ per Ieſum Chriſtum S. P. D.

QVanquam iampridẽ longo locorum interuallo diſiunctæ ſumus, ANNA princeps illuſtriſsima, tamen ex animo meo nunquam hactenus tui memoria diſceſsit. Si ob multas iuſtas cauſas auſa fuiſſem, ad te meas literas dediſſem: nunc autem oblata occaſione, cùm quidam doctus & pius vir è Lotharingia huc profectus nos inuiſiſſet, nihil mihi potius fuit, quàm vt quid tu ageres, ex illo percontarer. Cumq; meas literas ad te perferendas ſe curaturum pollicitus eſſet, non putaui te tam animo duro fore, vt literas ab ea datas non libenter legeres, quæ tecum à teneris annis educata fuiſſet. Scis enim quàm familiariter (licet mea Princeps & hera eſſes) tot annos inter nos vixerimus, & vt literarũ ſtudia nobis communia fuerint, quæ meritò mutuam beneuolentiam inter nos conciliatam in-

dies

dies magis magisq; augere debent. Equidem Princeps præclara, testor Deum, tibi ex animo bene volo optoq; : si qua in re possem tibi inseruire (non quod ego rursus in aula agere vitam velim: nam id liceret mihi etiam hîc) sed si tibi absens absenti vel consolando, vel quacunqua alia re prodesse possem, id scito me libenti animo, studioq; singulari facturam. Nihil verò magis cupio, quàm vt seriò ad sacrarum literarum studia te conferas, quæ sola te cum Deo coniungere possunt, & te in omnibus istius vitæ miserijs consolari. Ego certè nullum habeo solatium, nullam aliam oblectationem. Nam vt primùm Dei singulari benignitate ab illa idololatria Italiæ discessi, meque nuptam medico Andreæ Grunthlero in Germaniam contuli, incredibile est quàm Deus mutauerit animum meum, vtpote quæ prius lòngissimè à diuinis literis abhorruerim, iam illis solis me oblectem, & omne meum studium, operam, curam, mentem denique omnem, in eo locem, vt quantum fieri posit, hæc omnia contemnam, diuitias, honores, voluptates, quæ quondam adeò admirari solebam. Quæ sanè vellem optima Princeps, etiam atq; etiam tu considerares. Nihil est, mihi crede, stabile hîc, omnia mutantur, & omnibus (inquit ille) calcanda semel via læti, & citò: volat enim ætas: nihil diuitiæ prosunt, nihil honores, nihil Regum fauor: tantùm verò illa fides,

qua Christum amplectimur nos, ab illa sempiterna morte, ac damnatione eripere potest. quę cum sit donum Dei, eam ab illo maximis precibus petere debes. Non enim sat est Christi historiam nosse, quam & diabolus non ignorat, sed eam fidem habere oportet, quæ operatur per dilectionem, quæ efficit vt Christum profiteri audeas inter illius hostes, alioqui quem mei (inquit) puduerit, & me illius coram patre meo pudebit. Neque vlli vnquam martyres extitissent, si suam occultassent fidem. Quapropter mea suauissima Princeps, cum Deus te tanto affecerit beneficio, vt suam veritatem tibi patefecerit, sciasq; tot illos homines qui iam istic comburuntur, innocentissimos esse, propterque Christi Euangelium tot subire cruciatus: certè tuum est officium, vt eos, vel excusando Regi, vel pro illis deprecando, tuam ostendas sententiam. Nam si taces aut conniues, ferSque tuos ita cruciari, comburique pateris, neque saltē verbis tibi id displicere ostendis, videris tacendo in eorum cædem conspirare, & Christi hostibus assentiri. At dices fortasse: Si hoc ego facerem, possem mihi Regem, vel maritum meum iratos habere, multosque alios inimicos capere: Cogita satius esse, te odio esse hominibus, quàm Deo, qui non solùm corpus, sed etiam animam perpetuo igni cruciare potest. At hunc si amicum habueris, nemo tibi nocere poterit, nisi ille permiserit, in cuius manu

nu omnia sunt. Hæc fac tecum animo cogites. Vtinam intelligam te seriò pietatem colere, & Deum metuere. Incumbe obsecro in sacras literas, & preces. Quicquid (inquit Christus) meo nomine à patre petieritis, dabit vobis. Memineris te mortali conditione generatam esse, neque audias illos qui dicunt: Breuissima est hæc vita: ergo animo obsequamur, fruamur huius mundi voluptatibus: quin potius Paulum audias, qui ait: Si secundum carnem vixeritis, hoc est, si corporis voluptatibus vos dederitis, perpetuò peribitis. Plura aliàs in hanc sententiam scribam, si meas literas tibi gratas fuisse intellexero, curaboq; ad te Christianos libellos perferri, si Christum discere voles. Hæc amore summo in te adducta scripsi. Cum enim me Deus ad summum cœleste regnum asciuerit, eorundem æternorum bonorum te participem fieri maximè vellem: quod si ita cecidisse, vt opto, intellexero, summam ex eo voluptatem capiam, gratiasq; Deo agam ingentes. Vale. Heidelbergæ, Calend. Iunij. 1554.

OLYMPIA MORATA D. Andreæ Grunthlero S. P. D.

SAlue. Scire quamprimum cupio vt valeas, quid tu agas, & quid iſtic agatur, & quo loco ſitæ ſint res: quid de reditu, aut quid de accerſendis nobis cogites, mirum in modum ſum ſolicita. Quare omnia diligenter ad me ſcribas, oro. vtut res ſe habet, nihil falſi me conſolandi cauſa fingas: nam ſi quicquam eſt periculi, quod Deus auertat, id tecum ſubire impensè cupio: quod ſi aliter facias, ſumma me iniuria à te affectam eſſe putabo. Sin autem nihil eſt mali, quod vtinam Deus ita faxit, vide vt negocia noſtra, ſi tamen tempus ita fert, conficias, & ſcribas, ne ſarcinulæ noſtræ aduehantur, ſi iter, quod veriſimile eſt, non ſit tutum. In primis, mi vir, in his malis velim cogites, nullum nos præſidium firmius habere poſſe, quàm Deum. hunc quæſo cum alijs pijs viris comprecare: nihil eſt quod piorum precibus effici nō poſsit. Nobis exemplo Heliæ, qui etiam ipſe ἄνθρωπος ὁμοιοπαθὴς ὑμῖν, vt inquit Iacob. καὶ προσευχῇ προσηύξατο τοῦ μὴ βρέξαι, καὶ οὐκ ἔβρεξεν ἐπὶ τῆς γῆς ἐνιαυτοὺς τρεῖς καὶ μῆνας ἕξ. Commendate igitur vos deo, totosq; vos illi tradite, præſtò vobis erit. Atqui ego quæ alios cōſolor, cōſolatione egeo: ſummo

summo enim dolore affecta sum, nec vllũ aliud huic malo remedium inuenio, nisi à Deo auxilium vt implorem, idemque vt vos omnes faciatis sedulò moneo & hortor. Scribe quæso, quando sim te visura, & caue ne te in viam des, nisi exploratè. Vale. decimo Calend. Decembris.

OLYMPIA MORATA
Doctori Andreæ Grunthlero
S. P. D.

TVas literas accepi, & pergratum mihi fuit quòd me hinc abducere cogitas, quod vt faceres, tibi hodie alioqui eram scriptura: nam certum est, Principem aduentare, vt bellũ cum istis gerat, qui nihil timent, hostibus fortiores se esse autumantes. Et bellum potius gerere velle videntur, quàm pauxillulũ pecuniæ pro placandis hostibus dare. Ego verò mi coniunx, te etiam atq; etiam rogo, ne me hîc relinquas. sint alij licet securi, ego timeo: quia exploratum habeo, Deũ adeò ab istis non stare: propterea fac, vt quàmprimũ ad nos cur ru veharis, vt redire possim. Bucinoriam quo que redituram credo: quamuis nollet hinc discedere, nisi illos prius propius accessisse intelligeret. Quod cauere possis, stultum est admittere. Perendie te expecto, dum iter est tutum. Ma

lo in ſumma inopia in Eccleſia Dei verſari, quàm hîc vitam ducere, & abundare omnibus rebus, præſertim cum periculo. Noli, quæſo, noſtri obliuiſci, & omnino me hinc abducas obſecro. Deo, cuis nutu hoc nobis ſucceſsit, gratias agamus. Saluta omnes. noſtri hoſpites tibi ſalutem plurimam dicunt. Vale.

IOANNES SINAPIVS SElectiſsimæ matronæ Olympiæ Moratæ S. P. D.

AB excidio patriç planè ſperabam vos ad me venturos, & ita Theodoram meam, quç toto huius obſidionis tempore, magnam ſtudiorum ſuorum iacturam fecit, rurſus te magiſtra vſuram. Sed quantũ ex Conrado fratre meo intellexi, commodo vehiculo atque viatico vobis Comes à Rineck non minus pietate quàm genere illuſtris, in tempore ſubuenit, & locus vobis Heidelbergæ, quò iam olim vocati fuiſtis, non deerit, vt D. Hermanus Palatini iam apud nos legatus retulit, cui has ad te perferendas dedi. Vtinam verò rebus veſtris adhuc integris, anno ſuperiori mihi Heidelbergã vobis diligenter cõmendanti paruiſſetis. Sed quis vnquã tam atrox innocentis, & alioqui ſatis afflictæ ciuitatis exitium tam repentè

pentè metuisset? O miserabile patriæ fatum, ô miseros exules & extorres ciues, ἀνεστίους καὶ ἀφεστίους. Verè Homerus Odyss. o canit,

πλαγκτοσύνης οὐκ ἔστι κακώτερον ἄλλο βροτοῖσι.

Sed solabitur nos alterius, & veræ patriæ spes: & quòd scimus nobis mundum hunc non pro domicilio, sed tantùm pro diuersorio concessum esse: & quòd rependet Deus hanc calamitatem vberiore aliqua benignitate sua. Atque hæc hactenus. Ex Italia literas nuper admodum & recentes accepi, vt pote Calend. Iunij datas, inter quas hæ ad te pertinent, quæ an de aulæ statu certiorem te faciant, ignoro. Mihi scribitur, omnia illic malis & periculis esse plena: ita Deus vbiq; suos cruce probat. Quorum sortem considerantes, nostram mitius feremus. Bene vale cum fidissimo consorte, & de rerum vestrarum successu mox lætiore futuro me certiorem facite, & qua in re vobis gratificari possim. Datū Virceburgi 28 die Iunij, 1554. Quo die annus exactus est à funere dulcissimę quondam coniugis meæ. Salutant vos qui mecum sunt Conradus, Osualdus, Theodora, Leonora, Brigida, Margareta, & Anna Schlosserin cum filiabus. Vos vicissim meo nomine salutabitis Hubertum, eiusq; generum D. Andream Gotualdum, cuius frater Matthæus heri apud me hic fuit. Iterum valete.

IOANNES SINAPIVS ME‑
dicus Andreæ Grunthlero Medico
S. P. D.

ETSI nondum mihi conſtat, Andrea doctiſs. vos Heidelbergam perueniſſe: & frater meus ad me xiij. Calend. Sextil. ſcripſit è Spira nihil dum ſibi de aduentu veſtro compertum eſſe: tamen quia ſpero quod opto, quodq́ue D. Hartmanus ratum habuit, dedi per eundem D. Hartmanum Heidelbergam nuper 4. nonis Iul. literas ad noſtram Olympiam, quibus incluſi quas ex Italia Canonici quidam noſtrates attulerunt, atque nunc haſce do, per Magiſtrum Vitum Grunbach, vnà cum Vitis ſeu Paralelis Plutarchi, vt Vitus vitas exanimatis reſtituat: ſit venia verbo. Nam cordatiores ſapientioresq́ue vos eſſe certò ſcio, quàm quos vlla, quanquam maxima vel damna vel pericula terreant, ne dum exanimẽt: imò ſi fractus illaberetur orbis, impauidos vos ferirent ruinæ. Quid enim habemus quod non accepimus? aut quid in hunc mundũ cùm naſceremur intulimus? Et mirúmne, ſi Dominus qui dedit, repetat quod ſuum eſt? Sinite dolere illos qui conſilium cum re amiſerunt. Veſter theſaurus in cœlis eſt, quem neque fures effodere, neque ignis comburere potuit: Et bona veſtra (vt ſapiens ille) vobiſcum

biſcum quocunque proficiſcimini deſertis,pie tatem,doctrinam,famam,omneſque bonas vir tutes ac bonas literas. Sed quorſum ego piſces natare doceo,aut in ſyluam ligna fero? Ad Plu tarchum redeo. Significatum mihi fuit ſuperio ribus diebus,epitaphia Suinfordi,à monimentis & muris refixa fuiſſe, & eorum aliqua huc clanculum perlata. inter quæ dum mei patris epitaphium quęſiui (quod quidem inueni & recuperaui) comperi librum quoque venditũ eſſe Suinfordianum. Perquiſiui ſtatim à quo, cui, & quem, & quanti: haſque vitas Plutarchi reperi, quibus à tergo in vltima pagina nomen Olympiæ videns inſcriptum, & Pauli Syluæ(fortaſſe Magnoli Brixij) eueſtigiò precium renumeraui, eumq; tanquam captiuum mancipium à piratis redemptum ad vos remitto. Diligenter autem perſcutatus ſum,ſi quid amplius vel veſtium vel librorum adeſſet, precium & vltra precium,pręmium offerens: ſed nihil inueni,gratificaturus vobis libentiſsimè, ſi qua ratione tam ingens damnum veſtrum aliqua ex parte ſaltem reſarcire poſſem. Acerbiſsimè enim tantam cladem, & veſtra & meorum ex ſorore nepotum, & mea ipſius cauſa, tum propter patriam, tum propter rem priuatam fero. Atque vtinam Olympia noſtra innocentiſsimæ ciuitatis miſerta, eam & ſuam ipſius calamitatem ſtylo, quando maior vindicta Deo relinquenda eſt, vindicare digna-

retur. Ego certè vt maximè velim, non possum, adeò distrahor varijs curis & ærumnis, & iampridem propter ingrauescentem ætatem, non solùm rerum eiusmodi, & elegorum, & threnorum, sed mei ipsius pertęsum est: adeò vt præ animi lassitudine me pigeat etiam filiolam docere, quæ tam feliciter apud Olympiam fundamenta grammatices iecit, & quam Latinè discere mater præ omnibus rebus maximo pere moribunda etiam, desiderauit. Sanè quidem semper animus mihi fuit, si Suinfordiana solueretur obsidio, remittere illam ad vos, vt intermissa studia redintegraret. Sed heu incerta & vana hominum & cæca consilia. Non tamen animum despondeo, si Heidelbergæ pedem figitis, quin eò quoque (si gratiam hanc à vobis obtinere possim) cum tempore eam transmittam. Redijt quidem Suinfordum Ianus Cremerus, & omnem suam operam restaurandis adolescentiæ studijs offert: cuius vxor & filius aliquot diebus hospites mei fuerunt, atque ante paucos dies domum remigrarunt vnà cum D. Ioanne Bellerman affine suo. Superest enim domuncula quædam, in quam ius habent propter tutelam quorundam pupillorum, in qua deliberant hybernare. Sed vereor, ne tantum commoditatis habituri sint, vt filiam meam ad se possint recipere. Taceo quòd haud credam super hoc fundamento quod iactum est, pari dexteritate quēquam quā Olympiam,

piam, ædificare posse. Ad hæc pleriq; amici authores mihi sunt, vt eam à me in aulâ aliquam hinc ablegem. Quod vbinam commodius fieret quàm Heidelbergæ, vbi & in aula, & apud primam & consuetam Magistram esset? Sin hęretis adhuc aut diutius hęrebitis in Furstenau, spero per singularem patronum meum D. Danielem Stibarum, ibi quoque locum ei posse impetrari. Vehementet autem rogo, vt de rerum vestrarum statu non solùm qui fuit, sed qui nunc est, & quem speratis, me certiorem faciatis. Adfuit ante quatriduum apud me quidam tabellarius Basiliensis, per quem ad Michaelem Isingrinium bibliopolam Basileæ, singularem amicum meum, scripsi de excidio Suinphurdiano, & quàm immisericorditer ciues nostri tractati sint. Addidi nonnihil de vobis quoq;, vt ea Domino Cælio Secundo vestri amantissimo, & vicino atque beneuolo suo communicaret: vt si quid consolationis habeat, vt vir pius est, & optimè affectus erga Olympiam, Heidelbergam ad vos scribat, literasq; Spiram ad Doct. Chilianum fratrem meum mittat. Salutant vos Conradus frater meus, & filia Theodora, & Brigida neptis, & Leonora docens ambas interim acu pingere. Salutat etiam Licentiatus Faius, Monachus Banzensis olim, nunc apud Comitissam ab Holech magister curiæ. Bene valete cum Æmilio vestro, amicisq; omnibus. Etsi perueni-

ſtis Heidelbergam, ſalutate verbis meis officioſiſsimè dominum Hubertum D, Andreæ Gotualdi ſocerum, veſtri haud dubiè amantiſsimum,& clariſsimum D. Hartmanum. Vircebergi. 8.Cal. Sextil.1554. Theodora nundum ſurrexit quum hæc ſcriberem cum prima luce, alioqui ſuas quoque literulas addidiſſet, additura poſthac, vbi reſciuerimus certiora de vobis.

OLYMPIA FVL. MORATA
Chiliano Sinapio I. C.
S. P. D.

NIHIL ad tuas literas reſcripſimus, quoniam puerum noſtrum qui ad vos, vt mala medica iſt hinc aſportaret, profectus erat, tibi indicaſſe putabamus, vt ei diligenter mandatum erat, nos illi tuo affini, de quo ſcribis, nullá opem afferre poſſe, cùm non mediocriter laborauerimus, vt alteri ex iſtis, quos iam tot menſes aluimus hîc proſpici poſſet: ſed nihil effecimus. Adhuc Andreas Campanus vrget, vt ſuum nepotē ad nos recipiamus. Mihi crede, ſi omnes Suinfordenſes iuuare poſſemus, nihil nobis gratius neq; iucundius eſſet. etiá Andreas Roſius ludimagiſter, ſe vitam in ſumma egeſtate degere ad nos ſcripſit, velletq; hîc ſuam operam in erudiendis pueris nau re,
at

at peſtilentia obſtat. Tu ſi quid potes (potes autem pluſquam nos) ſuccurre illis miſeris, & omni cogitatione curaq; tu & Gotualdus ad adiuuandam patriam veſtram incumbite: nos quantum in nobis ſitum eſt, contendimus. Ex literis quas proximè ex Italia accepi, Ferrariæ crudeliter in Chriſtianos animaduerti intellexi: nec ſummis, nec infimis parci: alios vinciri, alios pelli, alios fuga ſibi conſulere. Tu quid de fratre, vt ſciam cura. Maritus meus te ſalutat, ſalutem dicit tuæ vxori, & D. Andreæ Gotualdo. Heidelbergæ vij. Calend. Februarij.

OLYMPIA MORATA DOctori Ioanni Sinapio S. P. D.

Literas tuas accepimus, quas nobis Magiſter Vitus reddidit. ſuperiorib. quas ad me in lecto iacentem dediſti, cùm eſſem Furſtenaiæ morbo impedita reſpondere non potui: iam breuiter vtriſq; reſpodebo. Primũ gratias tibi agimus ingentes, quòd ex animo adeò nobis te velle ſignificas. Scito itaque nos magis beneficijs & muneribus, primùm ab illuſtri Comite Rinecenſi, deinde à nobiliſs. affinibus eius Comitib. Erbacenſib. affectos fuiſſe. Iam ante aliquot dies Heidelbergã

peruenimus. maritus meus se ad lectionem parat: ego hodie in emenda supellectile vehementer fui occupata, vt migremus in ædes nostras: nam huc vsq; apud quendam bonum virum diuersati sumus. Cremero nostro scripsi, eumq; vehementer rogaui, vt ad me anum coquam ex miseris illis pauperculis & vagis Suinfortensibus mittat, eamque quotidie vehementer expecto. Quod verò tu D. Sinapi, filiam tuam apud me esse cupis, scias velim, illam mihi fore carissimam, cùm vt ægritudinem meam in hac extera regione leniat, tum etiam vt vxori tuæ vel mortuæ gratificer. ego certè quantum in me erit, ei non deero, maioreque eam, cùm iam sit matre orbata, beneuolentia complectar, quàm antea. Quare si ad me eam non in aulam (nam ego omnino procul ab aulis ætatem agere cogito) mittere voles, te oro, vt quamprimùm id fiat: nam velim vt cum Cremero ageres, vt vnà cum ancilla quam ei iam ante aliquot dies inquirendi negocium dedi, eam mitteres, & lectum etiam: quia in præsentia tot lectos emere non possumus, & hîc sunt percari. adferent etiam secum manticam nostram, in qua insunt reliquiæ nostræ repertæ. adducerem eam nonnunquam mecum ad illustres Comites Erbacenses, quorum probitas & sanctimonia est mihi perspecta. Habet Comes Eberhardus tres filias egregia forma, & sanctè educatas, cum illis posset consue-

tudinem

tudinem familiaritatemq; iungere. Tu facito quod ex vsu illi sit, modò si eam ad me transferri vis, ne moram propter ancillam interponas. quàm enim incommodum sit ea carere, cogitare potes. plura aliàs. De Plutarcho multum te amo. Saluta omnes tuos domesticos, & Licentiatum Faium, si non amplius est monachus. Salutant vos omnes, maritus meus & frater, qui ad Theodoram scriberet, nisi esset domesticis negotijs nimis occupatus. Valete omnes. Heidelbergæ.

OLYMPIA FVL. MORATA Andreæ Campano S. P. D.

EGo propter meam aduersam valetudinem coacta fui nudius tertius coquam hîc conducere, qualemcunque reperi, quæ singulis mensibus florenum poscit: hac lege etiam, vt pro se liceat sibi opus facere, adeò homines hîc nihil pudet. Quoniá verò necessitas est durum telum, mensem vnum hac mercede eam conduxi. Sed quia hos sumptus etiam si satrapes sim sufferre nō possem, ego vehementer te & D. parœcum vestrum rogo, vt mihi interea temporis opem feratis, vt post hunc mensem de alia ancilla mihi prospectum sit, siue anu quod ego malim, siue adolescentu-

la. Ego matronæ quinque florenos me datu-ram polliceor. Quæſo in hac re operam ve-ſtram nobis nauate, memores nos dicetis & gratos. Puellulam de qua tecum collocuta fui, vir quidem ſtatim tuum poſt diſceſſum in ciſta ad nos geſtauit: quæ etiam ipſa ægrotat. Bene vale cum coniuge & familia. Salutat te maritus meus: te oro, vt meis verbis vxori & parœco veſtro S. P. dicas: meq; ei purges, ſi non fuit à nobis, vt merebatur, acceptus: nam tunc febris me inuaſerat. Vale.

OLYMPIA FVL. MORATA
Andreæ Campano
S. P. D.

CVum maritus meus iam domi nõ ſit, nihil habeo quod iam ad tuas literas reſcribam, niſi mihi adhuc puella valde opus eſſe. quapropter ſi aut tuam neptem, aut aliam ad me idoneam quamprimum tranſmittere poteris, gratiſsimum mihi facies. Ego propter mei chariſsimi mariti patriam optimè erga Suinfordenſes ſum affecta, quamcunque ad me mittes, nulla à nobis afficietur iniuria, & piè educabitur. Cura vt valeas, & puellam vel mittas, vel, quod erit iucundius, ad nos, ſi tuo commodo fieri poterit, adducas. Saluta vxorem

tuam

tuam meo nomine. Heidelbergæ, octauo Calend. Februarij 1555.

N. OLYMPIÆ GRVNTHleræ S. P. D.

Aduas literas Heidelberga ad me missas Calend. Augusti, breuiter rescribo, me scilicet neque operæ neq; labori parcere, quo min9 ad te quamprimum mittam siue anũ siue ancillã aliam, quæ sit strenua faciendis iussis, sed parum hactenus profeci. Quid enim faciam, cum vtriusque sexus homines adeo multi quotidie ægrotent, magnus etiam numerus ex hac vita excesserit, & indies non pauci excedant? Quoties hic per plateam iter facio, nunquam non mihi obuiam veniunt, qui aut ægrotent & vix languida corpora trahant, aut simillimi sint illis qui breui decumbant. Hisce diebus Leonhardus Zeul obdormiuit in Christo, apud quem pridie fui, admonens eum vt sese consoletur blandissimis & dulcissimis verbis Redẽptoris nostri & summi sacerdotis Iesu Christi, qui omnes ad se iubeat venire, qui sempiterno æuo frui velint: ac non dubito eum mihi, & quid dico mihi? imò ipsi Christo, cuius hæc verba sunt, obtemperasse. Decessit etiam

auxilij locus eſt. Tua pecunia quamprimum huc allata fuerit, diſtribuetur ex ſententia, vt nihil habeas quod amplius deſideres. Pauperes in Xenodochio tibi noti, de quibus ſollicita es, omnes ſunt diſperſi in hac fuga, vt neſciam quo terrarum abierint. Ego cum mea vxore & meis parentibus decreuimus hac hyeme hîc permanere, ſi Deo noſtro ita viſum fuerit, cui gratias ago agamq; dum viuam, quòd omnia quæ terræ infoderam, propter furorem militum noſtrorum adhuc integrè inuenio, vnde me ſuſtentare mediocriter poſſum. Quòd ſi quid deerit, non dubito quin ille qui mihi huc vſq; proſpexit, etiam num meam ſubleuaturus ſit inopiam, cui animam ipſam rem omnium maximam committam, quid ni corpuſculum hoc exiguum? Hiſce bene vale cum tuo marito & omnibus Chriſtianis, memor noſtri in tuis precibus ad ſummum noſtrum ſacerdotem. Datæ Suinphurdij, Anno 1554. die, &c.

ANDREAS CAMPANVS modestiſsimæ, nec non inſigni eruditione præditæ Olympiæ Moratæ S. D.

MIſiſſem iam cum tabellario puellam meam, Olympia omnium doctiſsima, niſi adeò ſubitò in morbum incidiſſet. nacta enim ſub axilla duo vlcera in hac ſeptimana, huius generis antehac à me non viſa: adhæc mater etiam mea iam demũ deſipere incœpit, & varia morborum genera inuasêre nepotes meos, ita vt ex omni parte mihi ſummè laborandum ſit. hac in re igitur, & tam breui tempore, vt res ipſa expoſtulat, non poſſum mea opera tibi ſuccurrere: ſum enim ipſe ſpe fruſtratus mea. Quare ne fortaſsis magis idoneas hac ſpe freta dimitteres, volui his literis quamprimùm te certiorem facere. Opus eſt mihi commentarijs ſuper Epiſtolas Ciceronis ad Atticum, ſi eſſent venales, vt mihi emerentur peto: ſin minus, vt ſaltẽ mihi quiſpiam ad paucos dies, vel intra ſpacium hebdomadis copiam faceret, ego grato animo illæſas remitti curarem. Tu cum clariſsimo tuo marito terque quaterque vale. Datum pridie Calendas Februarij. Anno 1555.

OLYM-

OLYMPIA FVL. MORATA Andreæ Campano S. P. D.

MOlestè fero puellam aliosque tuos ægrotare, si conualescet, me certiorem facies statim: nam ego ancillari malo quàm habere ancillas huiusmodi, quales hîc reperiũtur, interim tu consolare tuos ægrotos Dei verbo, illosq; sic instrue, vt si Deus ipsos migrare ex hac vita volet, paratos offendat. Quemadmodum enim pueri peccatum habent ex Adami contagione, ita carent etiam fide in Christum, quæ precibus & auditu Dei verbi donatur. hæc non vt sus Mineruam doceam, sed beneuolentia adducta ad te scribo. Commentarios in Epistolas ad Atticum diligenter & apud bibliopolas, & apud amicos inquisiui, neq; reperire potui. Magna hîc est bonorum autorum penuria. Si mihi fuissent, nihil mihi gratius quàm tibi & in hac re, & in alijs commodare. Maritus meus te plurima impartit salute. Heidelbergæ 4. Non. Februarij.

VOLFGANGVS RVPERtus olim Marchio, nunc Paſtor Eccleſiæ Dei collectæ in Ehrnfriderſdorff.

Clariſſimæ Olympiæ Moratæ pietate & probitate præſtanti,
G. & P.

IDeo Deus humano generi στοργὰς indidit, vt ſint commonefactrices de ingenti amore ſuo erga filium & erga nos, & vt ſint vincula ſocietatis humanæ. Vult igitur affici nos deſiderio noſtrorum, & in luctu pietatem probat. Sunt autem in optimis naturis στοργαὶ expreſsiores. Quare non dubito te amiſſo affini tuo Magiſtro Cremero, tali præſertim viro, in quo non iam pietas tantùm laudabatur, ſed qui etiam omni artium doctrina excultus erat, & non ſolùm natura ad virtutem incitatus, ſed etiam diuino ſpiritu regebatur, & iam in hoc ſtudium ingreſſus, vbi ingenium eius ad artium propagationem, & ad Eccleſiæ conſeruationem profuturum erat, magno in dolore eſſe. Qua in re, non equidem accuſo mollitiē animi tui, at pietatem potius agnoſco & probo, ac tecum ipſe valde doleo, cùm tua tum reipublicę cauſa: prę-

ſertim

ſertim cùm videam in hac paucitate rectè diſcentium, Eccleſiæ defutura eſſe ſeminaria doctorum. Sed tamen pro ſapientia & eruditione tua ſcis vtrumque à Deo præcipi, & vt lugeamus, & modus ſit mœſtitiæ. Ac primùm ſtatuamus, cùm hos euentus regi diuino conſilio certum ſit, flectendos eſſe animos ad obedientiam Deo debitam, vt etiam in duris rebus ei blandè obtemperemus. Porrò grauiſsimæ ac veriſsimę cauſę moderãdi luctꝰ hę ſunt: Quod ſcimus Deo parendũ eſſe euocanti nos, aut noſtros: deinde quòd diſcedimus ad conſuetudinem Chriſti & Eccleſiæ: quodq; poſt exiguum interuallum iterum complectetur ſuos quiſq;. Has cauſas cùm cogitamus lenitur dolor. Sed alia quoque ſunt quæ luctum non quidem leniunt, ſed neſcio quomodo hebetant: videlicet præſentium miſeriarum conſpectus, diſſipatio Reipublicæ, Principum furores, qui quotidie creſcunt. Hæc cùm cogito, tanta indignatione accendor, vt etiam cupiam ex hac vita diſcedere, & tamẽ orandus eſt Deus, vt ſeruet aliquos doctrinæ, & Eccleſiarũ miniſtros. Sed ſi quos euocat, ſi præripit pios impendentibus ærumnis, bene cum illis agi exiſtimemus, ſic & Eſaias inquit: A conſpectu mali colligitur iuſtus, diſcedit in pace, & quieſcit in cubili ſuo. Hæc ſcripſi, cùm de tuo dolore cogitarem, vt illum aliquo modo lenirem: ac te rogo, vt qualemcunq; hanc conſolationem

admittas; ac ignoſce quòd hactenus nihil ad te literarum dederim, præſertim cùm ante meum diſceſſum recepiſſem me ſæpius ſcripturum. Deum æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti oro, vt te atque clariſsimum Dominum doctorem maritum tuum vñà cum fratre ſeruet. Bene vale, ex ædibus meis Ehrnfriderſdorffij, 25 Iunij. Anno à nato Chriſto 1555.

ANDREAS ROSARIVS PIEtate & eruditione clariſs. Olymp. Moratæ S. P. D.

VT ſera gratulatio, quamuis tua, Olympia caſta, mulierumq́; tum pietate tum ſapiẽtia decus, in me prima ferè extiterit, reprehendi nõ ſolet: ita ſpero reſponſionem ſpræertim non negligentia, nec obliuione priſtinæ noſtræ familiaritatis, ſed locorum interuallo & tabellariorũ penuria intermiſſam, non poſſe non à te probari. Ex ea enim animum in te meum, tuumq́; maritum virum clariſsimum & excellentiſsimum, mihiq́; amiciſsimum locorum quidem ſpacio diſiunctum, beneuolentia verò quàm coniunctiſsimũ, elucere duco: quemadmodum veſter in me animus ex proximis tuis literis duab. in rebus, heſpero clarior refulſit. Primò quidem in dolore & luctu miſe

riarum

riarum mearum ingentī, quem vos concepiſſe perſpexi: deinde etiam admonitione in conſilio dando familiari, ſcilicet vt me totum literarum ſtudio darem, quo munus à Deo aſsignatum, eo melius adminiſtrare poſſem. Quod & ſi mihi aliàs faciundum propoſuiſſem, tamen ſi aliter cogitaſſem, certè diligens & amica tua admonitio repreſsiſſet, & me ad ſtudia impuliſſet. Vos autem conceptum de me dolorem animo poſthac excutiatis velim: & me qui nūc ex his fortunæ fluctibus aliquo modo emergo, meaq; ſtudia adiuuare velitis, hoc eſt, ſi quos Pſalmos Græcis carminibus, in quibus te operam, quā Suinphurdiæ incœperas, nauare tuam & audio & credo: vel ſi Doct. Andreas maritus tuus dilectiſsimus, & mei amantiſsimus, muſicis numeris donauit, ad me velim perſcribatis. Hoc enim gratius facere mihi nihil poteritis. Porrò literas veſtras vxori vel potius viduæ Ioannis Lindemanni, piæ memoriæ, necnon eiuſdem filio miſi, idq; vt pollicitus fuiſſem, lubens, & ſi quid poſthac vobis prodeſſe potero, me neque opera, nec labore defuturum polliceor.

Vale.

CAROLVS MOLINEVS I. C. Olympiæ Moratæ S. P. D.

DOctiſsima & Chriſtiana Domino, miraberis prima fronte hominem tibi penitus ignotum ad te ſcribere: ſed hunc ſcrupũ mox eximet incluſa ſcheda P. P. Vergerij, quam ab eo in fine Iulij menſis Stucardiæ ad te perferendam accepi. Iam enim ante menſem conſtitueram venire Heidelbergam: cùm alijs de cauſis, tum maximè vt te fœminarum decus ſalutarem. Verùm negocijs quibuſdam impeditus, aliò iter deflectere cogor. Itaq; literas Vergerij meis incluſi: hacq; occaſione audaciam accepi etiam ad te ſcribendi. Gratulor tibi cum vera pietate tantam quantam vidi literarum peritiam, Græcis etiam carminibus, in media Italia à Poetis nuper celebratam. Dominus te chariſsimumq; virum tuum ſeruet, augeat, & bene ſemper proſperet.

Vormatiæ prid. Idus Iulij. 1555.

OLYM.

OLYMPIA FVL. MORATA P. P. Vergerio S. P. D.

IAm pridem vir optime tuis literis rescripsissem, nisi morbus grauis me impedisset, à quo ne nunc quidem sum liberata. Iam verò diutius differre non potui. maximum enim desiderium me tenuit ad te scribendi ab eo tempore, quo lectis tuis libellis tuum animum promptum atque alacrem ad Ecclesiam iuuandam perspexi. in animum enim induxeram, te Ecclesiæ causa facturum quod à te petijssem. Pudor verò me hactenus impediuit, vt ne ad te scriberem: simulque verebar, ne aliquam alijs suspicionem importarem me ostentandi, si prior te literis prouocassem. Nunc autẽ abs te mihi datam esse occasionem vehementer lætata sum. Itaque primûm ingentes tibi agam gratias pro tuis libellis quos mihi donasti: postea, à te id contendam, quod antea petere non fui ausa. Id autem est huiusmodi, vt cùm tu toto pectore ad Ecclesiam propagandam incumbas, illius causa etiam M. L. libellum, qui Catechismus maior inscribitur à Vincentio Opsopæo in linguam Latinam conuersum in Italicam transferas. Quanto emolumento nostris Italis, præsertim iuuentuti futurũ id sit, ex ipso libro, si diligenter perolueris, cognosces. Quapropter te etiam atq;

etiam rogo, perq; Christum obtestor, vt tuorum fratrum causa, pro quibus etiam mortem oppetere debemus, hunc laborem suscipere velis. Porrò de Sacramento magnam esse inter Christianos controuersiam non ignoro, quæ facilè iamdudũ esset dirempta, si homines non suam, sed Christi gloriam, & Ecclesiæ salutem, quæ concordia continetur, in consiliũm adhiberent. Itaq; vt eodem redeam, eum librum nostris hominibus magno vsui fore existimo, si tu operam tuam illis in hac re nauare voles. Quod vt facias, tanto studio à te contendo, vt maiore non possim. De Ferrariensi causa, eadem quæ tu scribis mense Decembri, ex cuiusdam pij viri literis intelleximus. Neque id nobis qui illam intus & in cute nouimus, mirum visum fuit. Magis quosdam alios à Christo defecisse miramur. Matrem verò meam constantem fuisse in illis turbis, Deo gratias agimus, eiq; totum acceptum referimus. Eam oraui, vt ex illa Babylonia vnà cum sororibus ad nos proficiscatur. Maritus meus gratias agit, quòd ei tuum studium offers. Eius animus in te talis est, qualis esse debet. Vterq; maximo te oramus opere, vt ne hoc tempus tibi oblatum nos inuisendi prætermittas, exoptatus venies.

Vale.

OLYM.

OLYMPIA MORATA IOanni Infantio Barrensi S. P. D.

CVm tuis verbis Philotheus me salutare iussisset, perspecta tua humanitate, facere non potui, quanquam morbus adhuc grauis est, quo tuum post discessum afficior, quin ad te scriberem. Libelli atq; literę tuę mihi gratissimę fuêre, pro quibus ingentes tibi ago gratias. quod citius fecissem, nisi me, vt iam dixi, morbus impedisset. Fuerunt enim mihi in lecto iacenti tuæ literæ redditæ, neq; hactenus ex illa aduersa valetudine emergere potui. quid de me fiet nescio: ego me totam Deo trado & committo, cupioq; dissolui & esse cum Christo. plura nequeo: impedit enim febris, qua nullo temporis momento careo. Vale ergo, & Deum pro me comprecare.

Salutat te maritus meus. Saluta illos Italos, qui mihi in tuis literis salutem adscripserunt.

OLYMPIA MORATA CÆlio S. Curioni in Christo Iesu S. P. D.

EGo mi Cæli, nulla iam me excusatione apud te vti necesse esse arbitror, cur tuis literis iampridem ad me datis non responderim, cùm bellum ipsum satis me tibi purget, quo quatuordecim menses ita vexati fuimus, vt nullam ex eo calamitatem non acceperimus. Nam vt primum Albertus Marchio ob loci opportunitatem suum exercitum Suinfordij collocasset, tunc eius hostes qui plurimi erant, vrbem obsidere, ac eam oppugnare cœperunt, murosq; ab omni parte suis tormentis dies noctesq; pulsare, cum nihilominus etiam intra muros à militibus Marchionis multis afficeremur iniurijs, neque quisquam domi suæ satis tutus esset: præterea quoties non dissoluebatur eis pecunia, quæ debebatur, tanquam à nobis accersiti aut conducti essent, omnia se ciuibus abripere velle interminabantur: eratque vrbs tot iam milites alendo penitus exhausta, quorum etiam contagione morbus adeò grauis fermè omnes ciues inuasit, vt ex dolore plerique mentis errore afficerentur, ex eoque morbo dimidiam vrbis partem mors consecuta fuit: quo etiam morbo affectus fuit mei amantissimus maritus, ita vt

vitæ

vitæ eius nulla ſpes oſtenderetur, quem Deus mei afflictiſsimæ miſertus nulla adhibita medicina (nihil enim in oppido medicamentorum erat) ſanauit. Sed vt ille ait, exitus alterius mali, gradus eſt futuri: morbo illo à Deo depulſo, mox à maiore hoſtium copia obſeſsi fuimus, qui ignem dies noctesque in vrbem conijciebant: ſæpe noctibus totum oppidum conflagratum iri putaſſes, atque illo tempore ſemper in cella vinaria latitare coacti fuimus. Tandem verò cùm huius belli felicem exitum expectaremus ábitu Marchionis, qui ſuum exercitum nocte aliò abducturus erat, in maximam incidimus miſeriam. nam vix dum vrbe egreſſus erat ille cum ſuo exercitu, cùm poſtridie Epiſcoporum & Norinbergenſium milites in vrbem inuaſerunt, ac eam compilatam incenderunt. Deus verò nos è medijs flammis eripuit, cùm vnus etiam ex hoſtibus nos admonuiſſet, vt ex vrbe exiremus, priuſquam ab omni parte arderet: mox enim eam prorſus comburendã fore: cui parentes exiuimus ſpoliati & nudati omnibus, ita vt ne obolum quidem licuerit efferre: imò in medio foro nobis veſtimenta detracta fuerunt, neque mihi quicquam præter linteam tunicam relictum fuit, quo corpus tegerem. Cùm verò ex vrbe eſſemus egreſsi, capiebatur ab hoſtibus maritus meus, neq; eũ vel minimo redimere poteram, & cùm eum abduci ab oculis viderem, lacrimis & gemitib. a-

λαλήτοις Deum comprecata fui, qui ſtatim illum liberum ad me remiſit. Cæterùm digreſsi iam ab vrbe, quò nos conferre poſſemus ignorabamus: tandem Hamelburgum verſus iter habere cœpimus, quò ego vix perreptaui. abeſt enim oppidulum tria milliaria Germanica à Suinphordio, inuitiq; ciues illius oppidi nos recipiebant: cùm eſſet eis interdictum, ne quenquam noſtrûm hoſpitio acciperent. Ego autem inter pauperculas videbar omnium mendicarum eſſe regina. In illud oppidum introij nudis pedibus, capillis paſsis, veſte cõciſa, quæ ne ipſa quidem erat mea, ſed à quadam muliere mutuò mihi data: & ex illa itineris defatigatione, tandem etiam in febrim incidi, quam deinceps in tota peregrinatione habui: nam cùm Hamelburgenſes ſibi metuerent, non integrũ erat nobis diu apud illos commorari, ſed intra quatriduum illinc (quamuis ego ægrotarem) diſcedendum fuit. Ibi verò denuò dum per quoddam oppidulum Epiſcopi iter facere cogebamur, capiebatur maritus meus ab Epiſcopi præfecto, qui ſibi à domino ſuo clementiſsimo mandatum eſſe aiebat, vt interficeret omnes qui é Suinphordio illuc profugi veniſſent. Ibi igitur captiui inter ſpem metumq; detinebamur, donec literis ſcriptis ab epiſcopo dimitteremur: atq; tum demum Deus nos reſpicere incipiebat. & primùm quidem perduxit ad nobiliſsimum Comitem Rinecenſem, deinde

de ad illustres Comites Erbacenses, qui propter Christianam religionem sæpe fortunarum & capitis periculum neglexerunt, à quibus prolixè accepti fuimus, & multis muneribus affecti, etiam complures dies apud illos commorati sumus, donec ego meliuscula essem, & maritus meus in collegium Academiæ Heidelbergensis cooptaretur, vbi publicè artem medicam profitebitur. Habes nostrarum ærumnarum epitomen, aliàs plura. De libellis multum te amo, mihi gratissimi fuêre. Sed vnà cum nostris libris, vt cætera omnia quæ habebamus, perierunt. Salutem plurimam dices vxori & liberis. Heidelbergæ. viij. Calend. Augusti.

OLYMPIA FVL. MORATA
Cælio S. Curioni
S. P. D.

SVperioribus diebus bene lõgam ad te scripsi epistolam, in qua de nostris calamitatib. te certiorem feci: idcirco iam laconismo vtar, tantùm te maiorem in modum rogans, vt illis libris quos istinc ad nos transportari cupimus, commentaria in Hieremiæ θρήνους cuiusdam nostræ ætatis docti viri adiungas. gratissimum mihi facies. Vale.

CÆLIVS SECVNDVS CVrio, Olympiæ Moratæ S. P. D.

NImis iustam, Olympia charissima, meis literis non respondendi excusationem habuisti: qua quidem, si citra improbitatem dici potest, te carere maluissem. Sed quid agas? Sic visum superis, vt ait ille, ignotis quidem nobis de causis: Deo verò ipsi non ignotis. nostrum igitur iudicium diuino iudicio submittamus: atq; eius occulta, iusta tamen consilia veneremur. In tua epistola seueritatis diuinæ exempla, simul & clementiæ mihi præclara proposuisti. Seueritatis, in patria illa vestra euertenda: clementiæ autem & misericordiæ, in vobis ex flammis ereptis, ac per tot, tamque immania pericula conseruatis. Non dubito quin cùm aliàs, tum verò eo maximè tẽpore quanta in religioso animo sit fidei vis, quãta diuinæ prouidentię senseris, quę periclitantibus & laborantibus nusquam prę stò non est: præsertim cùm Deus ille pater Iesu Christi, nosterque tui afflictissimæ misertus, optimum tuique amantissimum maritum lethali morbo affectum nullis adhibitis medelis sanitati restituit: cùm eundem tuis gemitibus ineffabilibus, vt scribis, καὶ ἀδιηγήτοις, bis ab hostibus captum condonauit: cùm ad optimos

ptimos & pios illos Heroas duxit, à quibus vestra calamitas nonnihil ſubleuaretur: ac denique cùm in collegium Heidelberſis ſcholæ ad Medicorũ libros explicandos vir doctiſsimus maritus tuus à ſapientiſsimo principe Palatino accerſitus, cooptaretur. At ſpoliati & nudati omnibus bonis vix incendium euaſiſtis. non ita eſt. omnia enim veſtra vobiſcum tuq́; coniunxq́; tuus, haud ſecus atque Bias ille Prieneus, extuliſtis, ingenium, eruditionem, ſapientiam, innocentiam, pietatē, fidem, cęteraq́; quæ verè bona numerantur. Ludibria verò non veſtra, ſed Fortunæ bona reliquiſtis, quæ vix digna ſunt, quæ in bonorum numerum veniant: ea hoſtis rapuit: quæ ſi veſtra fuiſſent, à vobis auferre nunquam potuiſſent. Quæ cùm ita ſe habeant, vobis incolumibus mihi minus dolendum putaui: idem vobis cenſeo faciendum, Deoque ſeruatori gratias agendas, vt quemadmodum pares fuiſtis in calamitatibus ac periculis, ſic pares ſitis in hac grati animi pietate. De libris ſcripſi ad virum tuum, quæ opus erant. Mandaui Typographis noſtris vt meo nomine ad te quem petis, Homerus cum aliquot noſtris libellis Francfordia dono mitteretur. Commentaria in, Hieremiæ θρήνους, ſi Francofordiæ inuenientur, curaui vt habeas: ideo enim te luctum maritæ patriæ meditari. Age Sophocleum aliquod opus fac extet, vt tibi lauream, quam iamdudũ merita es, impona-

mus. Qui tibi hasce literas reddidit, Ioan. Heroldus appellatur : is tui videndi studiosissimus, petiuit à me sibi meis literis amicitiæ tuę fores aperirem, vt liceat sacram vatem venerari. Quæso te vt sic illum accipias, efficiasq;, vt intelligat se non solùm vestræ isthic humanitati, sed etiam meæ commendationi aliquid debere. De Æmilio fratre cupio aliquid nosse, & si quid de matre & sororibus habes. vxor mea cum liberis quos tu saluere iussisti, te tuumq; resalutant. ex animo vobis omnia ampla & honorifica cupiunt. Vale, mea Olympia, & viue Italię nostræ decus. Basileæ Calend. Septembris. M. D. LIIII.

OLYMPIA FVLVIA MORATA, Cælio S. Curioni S. P. D.

Ne tibi sit mirũ, eruditissime Cæli, cur iá diu nullas ad te miserim literas: morb. enim me impediuit: cuius quanta vis fuerit, ex hoc coniecturam facere poteris, quòd postero die me sen sib. orbauit. Omni tibi asseueratione affirmo, me à Deo ab inferis excitatam fuisse, καὶ δὴ ἐγώ γ' ἔφαμην νέκυας καὶ δῶμ' ἀΐδαο ἤματι τῷδ' ὄψεσθαι. Nunc verò ex tá graui ac mortifero morbo recreata (nam nondũ planè me confirmaui) nihil mihi prius faciendum putaui, quàm hisce

meis

meis literulis apud animum tuum teſtatum relinquere, nos grauiter moleſteque ferre, quòd tibi pro beneficio nequaquam parem gratiam referre poſſumus. Hoc ipſum noſtro Ioan. Heroldo dicas velim, illique ac doctiſsimis humaniſsimisque Iſingrinio, Oporino, Heruagio, Frobenio & Epiſcopio, noſtro nomine gratias ingentes agas, qui nos tot luculentis ſcriptoribus donarunt: noſtram tantorum meritorum memoriam nulla vnquam delebit obliuio. Hic multi malè ſibi timent propter peſtilentiam, & ornant fugam, paucos tamen illa hactenus à medio ſuſtulit: nos verò nuſquam pedem: ſed Deo nós totos commendabimus, atq; trademus. Maritus meus tibi ſalutem plurimam adſcribi iuſsit. Saluta vxorem tuam ac liberos. Cura vt valeas. Heidelbergæ Calend. Decembris.

OLYMPIA MORATA CÆlio Secundo Curioni S. P. D.

ETsi adhuc malè me habeo, tamen occaſionem tátam nacta ad te doctiſsime Cæli, ſcribendi, in hoc meæ valetudini parcere nolui, ſed iſtis literulis ſalutare volui. Poſteaquá enim de noſtro Heroldo te quoque ægrotare audiui, mirum in modum de tua

valetudine ſolicita ſum. Quapropter te oro, vt hanc meam alleues ſolicitudinem : id autem fiet, ſi te conualuiſſe ad me ſcribes. Me verò ſcito indies magis magisq; vi morbi conſumi, neq; fermè vllam horam febri carere. Sic corripimur à Domino, ne cum hoc mundo pereamus. Si in re aliqua huic pio viro qui has tibi reddet, gratificari poteris, quæſo vt id facias. Vale in Chriſto optime Cæli. Salutat te maritus meus. Salutem dic meis verbis tuæ familiæ, & D. Bernardino Ocello, quem in Chriſto valde diligo, & Heroldo. Heidelbergæ, Nonis Iulij.

CÆLIVS SECVNDVS CVrio, Olympiæ Fuluiæ Moratæ S. P. D.

BInas à te, Olympia mihi filiæ loco chariſsima, diuerſis temporib⁹ & ſcriptas & redditas accepi. Quòd prioribus mādaſti, vt tuo nomine Typographis noſtris gratias de ipſorū erga te liberalitate agerem, id à me curabitur diligenter, imò tu ipſa efficaciſſimè ages: nam coram tuis lectis literis, eiſdemque conſpectis, manum, elegantiá, vim in tuis literis te ſpirare & loqui videbunt. Quòd autē grauiſsimo impedita morbo ad me ſcribere nō potuiſti, vehementer dolui. Nam cùm eodem tem-

tempore ipſe quoq; ægrotarem, quod quidem per multos dies feci, mihi de tua aduerſa valetudine nuncio, duplicatus eſt morbus. Neque ſatis erat me duplici telo petitum, niſi & tertium accederet: quod duobus illis priorib. iam debilitatum me penè confecit, & proſtrauit. Mea enim filia Violanthis, quæ Argentorati cum ſuo marito eſt, ex triſtiſsimo abortu in tantam incidit calamitatem, vt iam ſeptem totos menſes cum morte conflictetur: ſed tamen à paucis diebus videtur paululum reſpirare: & ſpero Dei clementia conualituram, vt & ipſe conualui. Quòd ſi tu quoq; mea, imò noſtri ſeculi lux, reualuiſti, iam mihi priſtina omnia reſtituta arbitrabor. Nam literis quas Nonis Iulij Gallo illi homini bono ad me dediſti, febrim tè nondum reliquiſſe accepi, quod mihi moleſtiſsimũ fuit. Sed illud te verè, mea Olympia, atq; pietati iſti tuæ conuenienter, nos hîc à Domino caſtigari, ne cum mundo damnemur, vt beatus Paulus ſcribit. Luctemur igitur, & conſtanter quicquid acciderit feramus, certi nihil caſu, nihil temerè nobis, ſed diuino conſilio, atque adeò noſtro bono omnia euenire. Meam vxorem, meosque liberos, qui te omnes amant, tuo nomine ſalutaui: itemq; Bernardinum Ocellum, ſenem doctiſsimum & ſanctiſsimum, & Heroldum, imò etiam alios quoſdam, atq; in primis Bonifacium Amerbachiũ Iuris conſultiſsimum atq; optimum virum, cui

cuperem te ſcribere. Eſt enim is vnus,qui vehementer,vt hic apud nos eſſe poſſetis,laborauit; vir ab humanitate, pietate, doctrina,atq; ab omni laude prædicandus. Fac igitur: nam tuas literas & admiratur & exoſculatur, quas omnes cum eo communico. Ex nundinis Francofordianis noſtros quoſdam libellos accipies, quos vbi perlegeris, ſi tamen meas vigilias legere per morbum vacabit,quid ſentias perſcribes:idem faciet doctor Andreas tuus,quem vnicè propter eius eruditionem & pietatem diligo. De fratre quoq; tuo mihi ſcribas velim, quid agat: diſcâtne,& patrem, teq; imitari velit.quos ambos noſtro nomine ſalutabis: itemq́ue alios veſtros. Vale mea Olympia chariſsima. Valetudinem tuam cura diligenter,vt diutius noſtram ætatem ornes. Nos quidem iſti te ciuitati inuidemus. Mitte ſi quid adornatum habes, vt hîc edamus, præſertim tua carmina. Et cùm ad me reſcripſeris, etiam huius meæ epiſtolæ exemplum deſcriptũ ab aliquo mitte: nam mihi deſcribendi tempus non fuit, & aliqua de cauſa ſeruari cupio. Iterum vale & viue in Domino Ieſu Chriſto,cui es tota dicata.

Baſileæ vij. Calend. Septembris
D. M. LV.

ΙΕΡΩΝΥΜΟΣ ΑΓΓΗΝΟΥΣΙΟΣ ΗΔΙΣΤῌ ΟΛΥΜΠΙᾼ Μωράτῃ εὖ πράττειν.

ἜΡΩΣ παλαιὰ παροιμία λέγει, ὦ Ὀλυμπία, τίως αἰσθάνεσθαι χρήματός τινος ὠφέλειαν, ὅτε σχεδὸν ἐσμὲν τοῦ στερεῖσθαι ἐκείνου. Οὕτως ἐγὼ νῦν ἔξοδον ἐμοῦ αἰσθανόμενος, ἄρχομαι γινώσκειν ἡδονὴν καὶ εὐφροσύνην, ἧς ἀπολαύειν ἐν τῇ σοῦ παρουσίᾳ, καὶ καρπὸν, ὃν ἐκλέγειν ἐκ τῶν λόγων οἷός τε ἦν. Ἀλλὰ δὴ δαιμονίαν ταύτην, ἣν ἕξειν διὰ ἐλπίδος ἔχον, ἀφαιρεῖται ἡ τοῦ ἀπιέναι εἰς γαλλίαν ἀνάγκη μοι ἐπικειμένη. ἀνακαλοῦμαι γὰρ ἄκων εἰς πατρίδα, καὶ χθόνα ταύτην ᾗ χαίρειν καὶ ἥδεσθαι οὕτως πρὸς ἐπιθυμίαν εἴωθα, καταλείπειν ἀναγκάζωμαι, ὡσανεί τε βιάζομαι. Τυφλοῦμαι τοίνυν καὶ στεροῦμαι τοῦ ἀγαθοῦ τούτου τῆς σου ὁμιλίας καὶ ὄψεως, ὅτι θᾶττον τῆς μου ὑπολήψεως ἀπηγγέλθη μοι ἐπάνοδος. καθ᾽ ἑκάστην γὰρ ἡμέραν πλέον ἐποίουν εἰς ἑλληνικοὺς λόγους, ὡς ῥᾷον σὺν σοὶ ὁμιλοῖμι, καὶ μοι ἐδόκουν ἀσθενέστερος, ἢ ὥστε δύνασθαι περὶ παντοδαπῶν συνέρχεσθαι σποράδην. Εἰ γὰρ οὖν νομίζεις ἁμαρτεῖν ἐμὲ, ὅτι σπανιώτερον εἶδόν σε, ἀπόνεμε δέει τοῦτο. Οὐ μὴν ἀλλὰ μεταμελεῖ μοι ἀσμένως. Παραμυθοῦμαι δὲ ἐμαυτὸν, ὅτι ὅσῳ χαλεπώτερόν ἐστί μοι ἀπό σου ἀπέχειν τοσούτῳ γλυκίων ἔσται ἀνάμνησις τῆς σοῦ ἀπούσης, καὶ τόσῳ ἀσμενέστερον διαπεράσασθαι νῷ τὴν Μωράτην φιλήσω. Ἔρρωσο, καὶ διὰ βίου εὐημέρει, καὶ με, ὡς ἐγώ σε, ἀγάπα.

HIERONYMVS ANGENOSIUS, suauissimæ Olympię Moratæ S. D.

REctè dicit vetus prouerbium, Olympia, tum demum sentire nos alicuius rei vtilitatem, cùm eam propemodum amisimus. Sic ego nunc discessum meum sentiens, nosse incipio quam voluptatem & lætitiam ex tua præsentia, & quem fructum ex tuis sermonibus percipere potuissem. Sed mihi felicitatem hanc, qua me potiturum sperabam, adimit in Galliam proficiscēdi necessitas. Reuocor enim inuitus in patriam, & terram hanc qua sic gaudere, & cuius sic cupidus esse solebam, qua si vi cogor relinquere. Ita fit, vt colloquiorum aspectusq; tui bono priuer atq; orber, quia opinione mea citius mihi denunciatus est reditus in patria. Indies enim proficiebam in Græco sermone, quo facilius tecū colloquerer, mihiq; videbar infirmior, quàm vt te de omni rerum genere sparsim possem conuenire. Igitur si me peccasse existimas, qui rarius viderim, id timori meo tribue. Quanquam libēter me pœnitet: sed me ipsum cōsolor, quòd quanto molestius est à te abesse, tanto suauior erit tui absentis recordatio, tantoq; libētiori animo Moratam recolā. Vale, & per omnem vitam felix esto, meq; tu, vt ego te, ama.

OLYM.

OLYMPIA FVLVIA MORAta illustriss. Lauiniæ Ruuerensi Vrsinæ in Christo Iesu D. nostro S. P. D.

Satis demirari nõ possum, illustriss. Lauinia, quare nullas ad me literas præter vnas tantùm Ferraria discedens dederis, nisi pestiferum illud bellum, quo tam diu vexati fuimus, te excusare videretur. Nõ libet enim de tua erga me beneuolentia aliquid suspicari, quam parem & mutuam esse confido. Equidẽ sæpissimè ad te scripsi, & misi Dialogum à me compositum, libellosq; aliorum doctorum hominum, sed nullam vnquam abs te epistolam elicere potui: cognoui tamen ex meis, te istic esse, ad quos scripsi, vt de te me certiorem facerent. Quamobrem à te etiam pro nostra summa necessitudine maiorem in modum peto atque contendo, vt me iam fermè totum triennium mirificè de te solicitam aliqua tua epistola leues: quòd iam facilius fieri posse credo, cum simus in loco celebriori quàm antea: quo non venissemus, nisi maxima illa calamitas, quam ex bello accepimus, nos impulisset: quæ quãta fuerit, & quid perpressi simus, ex meis literis ad D. Cęlium Secundum datis intelliges. Nõ enim necesse putaui de eadem in hisce literis ad te scribere, cùm omnia planè ex illis co-

gnoſcere poſſes, ſimulq́ue perſpicere miſeriarum te multos habere ſocios. Mihi crede, nullus eſt, modò in Chriſto piè vitam agere velit, qui non acerbiſsimos dolores, calamitatesq́ue hauriat. Nos ſæpe peregrinari cogimur, ſed tamen nuſquam diabolum & mundum effugere poſſumus: imò, quod ille inquit: Neque decedit ærata triremi, & poſt equitem ſedet atra cura: Ita nos domeſticos hoſtes veterem Adamũ & peccatum ſemper nobiſcum vehimus. Proinde nullo temporis puncto intermiſſo Deum comprecari oportet, ne in tantis malis frangamur: alioqui ſi languori deſidiæq́ue nos dederimus, cùm nobis tot bella ſint gerenda, facilè ſuccumbemus: & ita in perpetuum peribimus. Quod tibi etiam cauendum eſt: magnaq́ue tibi in ſacras literas diligentia conferenda, & ſæpe orandus Deus, ne multitudinẽ impiorum, quorum omnia plena, imiteris: ſed verbum dei ſit tibi dux rectè & piè viuendi, & lucerna pedibus tuis. Sic enim non impinges: in primisq́ue da operam vt plus illum Deum omnium rerum præpotentem, qui corpus animamq́ue ſimul in gehẽnam conijcere poteſt, quàm homunciones extimeſcas, quorum vita vmbræ, fœno, flori, fumo in diuinis literis comparari ſolet. Fac animo magno fortiq́ue ſis. omnia breuia etiam ſi magna ſint, tolerabilia eſſe debent. Hîc omnia bello ardent, & vbique multis ærumnis premuntur ſan-

ſanĉti viri: etiam ex Anglia multi ſunt fugati: ita ſæuit Diabolus. Hæc verò omnia magnæ nobis lætitiæ eſſe debent, cùm portendere ſciamus illum fauſtum & felicem diem breui fore, quo vnà beatiſsimam vitam agere incipiemus. Interim nos literis ſalutabimus, & animo cernemus. Sororem meam ſic tibi commendo, vt maiore ſtudio eam commendare non poſsim: non vt illam locupletes, aut ad iſtos honores perducas: ſed vt Chriſti ſcientia illuſtretur. Citò præterit figura huius mundi. Vale in Chriſto. Meus maritus & fraterculus P. S. tibi adſcribunt. Heidelbergæ, Calendarum Auguſti.

OLYMPIA MORATA VIctoriæ Moratæ ſorori cariſſ. ſuæ S. P. D.

Cariſsima ſoror, nos Dei erga nos amore ex tanto patriæ maritæ naufragio adhuc ſalui & incolumes ſumus: qua de re debes & tu Victoria ſoror, Deo Opt. Max. gratias agere, qui nos à flamma atque ferro, ac penè ex faucibus fati ereptos conſeruauit. Quę pericula, quas belli calamitates perpreſsi ſim9, ſi tibi vellem exponere, non iam epiſtolam, ſed volumen quantumuis magnum conficerem. Nam menſes quatuordecim totos in maximis

anguſtijs obſeſſa vrbe, atque inter tormentorum fulmina, noctes atque dies verſati ſumus. His ſi quoties vno tãtùm die mœnia vrbis pulſata fuerint liberet enumerare, incredibile forſan videretur. Sed iccirco vrbem tamdiu Deus incolumem eſſe voluit, vt populum ad frugem bonam reuocaret. Nam quandiu obſeſsi fuimus, pauci ex noſtris cecidêre: fuitq́ue vrbs non ſanè magna, neque ita munita, contra omnes hoſtium vires & machinas, inuicta. Tandem verò cùm exiſtimaremus hoſtes (vt Cæſar ipſe atque alij Imperij principes imperant) abire, atque omnia eſſe pacata: ecce tibi repentè, nec ſine dolo in vrbẽ irruerũt, eamq́; prius tumultuosè direptam incenderunt. Hoc grauiſsimum vulnus in viſceribus ſuis accepit Germania alioqui felix, inteſtinis principum diſſenſionibus. In hac tanta trepidatione, & panico pauore, cùm maritus meus & ego iamiam in templum tanquã in aſylum nos recipere cogitaremus, miles quidã nobis ignotus occurrit, monetq́; illico extra vrbem profugiamus: alioqui futurum, vt ijſdem cineribus cum incenſa vrbe ſepeliamur. Et quidem ſi in templo fuiſſemus, vel fumus nos, vt alios qui eò confugerant, extinxiſſet. Paruimus igitur monenti quiſquis ille fuit: quod dum facimus, in milites incurrimus, qui nos diſpoliant: à quibus etiam vir meus bis capitur: quod mihi omniũ grauiſsimè accidit, qui ſi diutius detentus

fuiſſet,

fuiſſet, & ſuam opem Deus diſtuliſſet (citò enim Deus eum mihi petenti condonauit) mihi doloris acerbitate, erat omnino moriẽdum. Aliarum omnium rerum iacturam (nihil enim mihi pręter ſubuculam, qua corpus tegerem relictum fuerat) facilè ferebam: chariſsimi coniugis ferre nullo modo poteram. Sed Deus ille pater meos gemitus audiuit: neq; ſolùm tunc, verum etiam poſtea. Eo nanq; duce ad Comites quoſdam (vt hodie vocant) deuenimus, oppidorum arciumq; dominos, à quibus honorificè accepti fuimus, veſte & alijs rebus neceſſarijs donati. Inter quos eſt vnus, cuius vxor clariſsimi inter Germanos Ducis eſt filia, qui Palatini appellantur. Hæc me miſerè affectam, tanta charitate pietateq; accepit, vt & ipſamet mihi decumbenti ſuis manibus miniſtraret. Quin & pallam egregiam donauit, plus quàm mille ſeſtertium numm ûm æſtimatam. Alius eiuſdem nobilitatis vir, antea nobis ne nomine quidem notus, dum in via eſſemus, nobis argenti numerum non contemnendum ſubſidio mittebat. Horum benignitate in tantis difficultatibus ſubleuati ſumus, donec Heidelbergam, vbi nunc agimus, maritus meus ab illuſtriſsimo principe Palatino, Imperij Septemuiro accitus eſt, ad medicinam publicè docendam: eſt enim vna inter Germaniæ Academias non poſtrema: quanquam hac calamitoſa ac turbulenta tempeſtate, magis ar-

ma quàm literę quærantur. Epiſcopi magnum habent exercitum, alij non minorem. Itaq; omnia vaſtant, rapiunt, incendunt. In Anglia quoq; pij vehementer affliguntur. Audio Bernardinum Ocellum Senenſem, virum ſincerè Chriſtianum ex Anglia Geneuam profugiſſe. Adeò vbique ferenda crux eſt ei, qui velit eſſe Chriſtianus. Equidem ſic pati malo & cum Chriſto, quàm totum orbem terrę ſine Chriſto poſsidere. Nec eo amplius cupio, etiam ſi non ſim neſcia, quæ adhuc perpeſsi ſumus, non fore poſtrema. alia præterea multa ſi vixerimus, nobis perpetienda reſtant: ac ne nunc quidem expertes malorum ſumus. Vnũ oro, mihi Deus fidem & conſtant iam in finem vſq; largiatur: quod & eum facturum eſſe confido: promiſit enim ſe meas preces quoties eum orauero, auditurum. Ego autem aſsiduè coram eo meam animam effundo: nec id fruſtra. ſentio enim me ſic roborari & obfirmari, vt eius aduerſarijs, quorum plena ſunt omnia, ne latum quidem pilum in cauſa religionis ceſſerim: ſed nec cum Epicureis, qui Euangelij ſanctiſsimũ nomen ſuis cupiditatibus prętexũt, vlla in re conſentio. Itaq; vides, cara ſoror, hoſtes nuſquam abeſſe, mundum, Satanam & carnem, vt eos conſecratis nominibus appellẽ. Verùm enim multò præſtat in hac breuiſsima vita cum Dei Eccleſia malis affici, quàm ſempiternis horroribus cum aduerſarijs adiudicari, vbi in æternam

nam clauduntur lumina noctem. Quare te etiam atq; etiam oro, mea soror, tuæ salutis rationem habeas: plusq; eum qui vno verbo omnia creauit, qui te genuit, qui seruauit, totq; beneficijs cumulauit, metuas, quàm terræ quædam inutilia pondera, quàm huius mundi speciem, quantumuis minitantem, aut etiam arridẽtem & blandientem. Nam quæ cernis omnia, quid sunt quàm tenuis quidam vapor, aut fumus euanescens, aut stipula fœnumúe igni mox absumenda? Quòd si te infirmam sentis in hac quæ in cœlum ducit via, infirmitatem excuses caue. nam morbi excusatio, morbum auget, estque Deo ingrata. Hāc ob rem Dauid orat Psal. cxlj. ne Deus eò sinat animum suum deflectere, vt peccatis suis aliquam prætexat excusatio nem. Quid igitur? Morbum tuum Domino, vero medico confitere: eum roga tibi medicinam adhibeat, vires adiungat, perficiatque vt eum magis quàm homines & ames & metuas. Nam idcirco toties in Psalmis nostræ fortitudinis Deus appellatur, quòd nos roboret, fortesque faciat, modò nos agnoscamus, & ab eo petamus. Vult enim continenter orari, vt exoretur. Certum habe illum tuas preces audire, & velle quod petis, & supra quàm petis efficere, vt est largus & benignus erga omnes, qui ipsum ex animo quærunt. Vide autẽ mea soror, ne spreta Euangelij voce dicas: Si quidem vna ex delectis atque ad salutem designatis ero,

perire non potero. Hoc namq; esset Deum tentare, qui per Euangelij obedientiam & preces quasi medijs, nos vult salutem adipisci. Etsi enim certa est electio, rataq; designatorũ salus, quam qui Christi sunt, in interiore homine sentiunt, tamen ea non est absq; Christo, atque ijs quæ Christianam professionem exornant. Fides, inquit Paulus, ex auditu: auditus autem per Dei sermonem. Idem quoq; in Epistola ad Galat. scribit, & in Actis Apostolorum re ipsa ostenditur, eos Spiritu sancto donatos esse, qui Euangelij vocem auscultassent. Illud etiam ne vnquam tibi excidat, quod & Paulus & Iacobus ait: *Eam Christo Domino probari fidem, non quæ ociosa & ignaua sit, sed quæ per charitatem sit actuosa & viua.* Quòd si copiam audiendi non habes, nulla dies tamen abeat sine sacrarum literarum lectione & precatione, vt Deus mentem tuam illustret ad ea intelligenda & haurienda, quæ ad bene beateque viuendum conducant. Sin etiam ab Heræ tuæ officijs paruum temporis superest, manè aliquanto temporius cubitu surge: vesperi serius cubitũ ito: atq; ita clauso cubiculo tuo, quæ tuæ salutis sunt perage. Iubet enim Dominus ánte omnia regnum & iustitiam eius quæramus. His peractis, Domino operam dato eo animo & fide, ea reuerentia eoque honore, quæ Christianam atque ingenuam puellam deceant. Heræ tuæ Lauiniæ dicito, vt & ipsa suarum ægritudinem

tudinem & angorum à Christiana philosophia leuamen petat, requiemq; curarum. Breui in portum optatum recipiemur. Tempus ęquè in aduersis rebus, atque in secundis volat. Quòd si longius videatur quod patitur, ac durius, cogitet se cum Christi ciuibus, imò cum Christo ipso pati. Nam & hæc clarissima fœmina, cuius suprà mentionem feci, suam eamque haud leuem crucem portat. & est nihilominus regali genere prognata: è quo & Cæsares aliquot extiterunt. ipsa tamen hac quæ ei obtigit, humiliori sorte contenta est. Hæc eadem in xix. annis vnam vix diem ab ęgritudine immunem egit. Quin & nunc iam complures dies adeò periculosè decumbit, vt de eius vita vehementer ambigatur. Est autem mulier in primis religiosa: semper de Deo, deq; futura vita loquitur magno cum desiderio & ardore. Sæpenumero hæc cum marito in vitæ & fortunarum omnium discrimen vocati sunt. O mea soror, cum Mose Psal. xc. precare, Doce me Domine ad hunc modum numerare & cogitare dies meos, & illorum paucitatem semper ante oculos habere, vt hac inani vita contempta, me totam sapientiæ, & contemplationi rerum æternarum dedicem. Dominũ dum inuenitur quęrito: eum continẽter orato: cùm cibum sumis, gratias agito: eius amori te totá tradito: viam improborum ne imitator: te purá castamq; seruato, vt tandem victrix palmá comprehendas.

Matronis istis ac puellis quæ tecum sunt, meo nomine plurimam salutem dicito. Ad Cherubinam ipsa literas dabo. Tu verò ad me epistolam bene longam de omnibus rebus tuis scribito. Lauiniæ dominę tuę (quam honoris causa nomino) mihi carissimæ literas summopere desidero: cuius suauitas & pietas nunquam mihi ex animo effluit. Ad eam aliquot libellos ac præsertim Cælij nostri misi: num eos acceperit, num grati sint, scire aueo. Maritus & Aemilius frater te exosculantur, & salutant. Vale & vince, Victoria soror suauissima. Heidelbergæ, vij Idus Augusti.

ANDREAS GRVNTHLERus Andreæ Campano S. P. D.

DE pueris illis tuis ex sorore tua nepotibus, quæ ad me scripsisti, legi: fuerantq; eadem nuper indicata mihi à Licẽtiato Melchiore, qui si reuerti ad vos potuisset, nihil hisce meis literis iam fuisset opus. Ego enim illi ostenderam, ita vt res est, me & hominũ & locorum ignarum hîc esse: ideoq; non posse scire, vbinã aut penes quẽ illis quamoptimè possit prospici. Deinde ego quoque eodem naufragio eiectus, vix me hactenus colligo: ita vt cùm domi abundè sit quod agam, aliorum negocia

nec

nec cūrem, nec curare ociū mihi ſit. Attamen ob patriam communem noſtram, ſeu potius ob patriæ communis cineres, mirificè cupio illis proſpectum eſſe, nec deſiſtam quærere, donec aliquid inuenero certi quod de hac re tibi ſignificem: vt ſi non omnibus, ſaltem vni, vniusque ſtudijs interim poſsit conſuli. Quod ſi mihi de profectu illius conſtaret, qui inter eos eſt natu maximus, fortaſſe etiam nunc poſſem aliquid certi ad te ſcribere. nam ſi hactenus promouiſſet, vt lectiones publicas cum vtilitate audire poſſet, reciperē eum ad me, vt cum Aemilio meo, qui eſt vxoris meæ frater, puer annos natus duodecim, ſcholas publicas inuiſeret. Non poſſem tamen illud facere ante Idus Ianuarij. Duos enim habeo apud me iam alios pueros, qui ex Suinphordo profugi huc ad me commigrarunt, quos iam quartum hunc menſem gratis alo, profectò ſumma cum difficultate. Nihil enim prorſus habeo, præter ſpem, qua me ſuſtento. nam illuſtriſs. Princeps honorifico ſtipendio ante biennium me inuitauerat: cui etiam ex Vniuerſitate additum eſt non parum aliquid, ſed hactenus nihil dum ſolutum eſt (nam tempus ſolutionis nondū inſtat) quicquid autem pecunię mecū huc attuleram, partim ſub ruinis conſeruatū: partim donatum à quibuſdam heroibus, id omne in libros, veſtes, lectulos, cęteramq; ſupellectilē expenſum eſt, ita planè vt ne numulus quidem reliquus ſit.

Habeo tamén adhuc aliquot torques aureos & annulos:ſed hos ego libenter aut venderem, aut quod malim, pignori darem alicui pro mediocri ſumma pecuniæ. At hîc nemo eſt, qui abſque vſura, aut etiam fœnore pecuniam credat. In hac igitur re tu quoque videas quid mihi poſsis conſulere. Si quis eſſet apud vos qui viginti aureos florenos mutuum dare mihi poſſet, mitterem ad illum torquem vnum aureum pignori, & diem ſolutionis ei dicerem. Poſſem fortaſſe idem hic efficere,ſed nolim vulgi eſſe fabula: itaq; tu vide quæſo,& me quam primum certiorem facito. De puero quoque ego videbo. De Idibus autem Ianuarij quod dixi, cauſa eſt, quod alter illorum qui nunc apud me ſunt, eo tempore diſcedet. Bene vale,& mei ſis memor,itidem vt ego tui. Heidelbergæ, nono Calend. Ianuar.

CHILIANVS SINAPIVS
D. Andreæ Grunthlero
S. P. D.

ETSI de rebus meis quæcunque voles percõmodè ex hiſce cognatis meis,popularibus tuis intelligere poſsis, volui tamen ociũ nactus ocreatus (nã Vuormaciam iam iam profecturus ſum,) vel breuiter ad te ſcribere.Ego & vxor Deo gratia valemus. Amphyctio-

phyctiones nostri Dicasterium totum iampridem Eslingam transtulerunt. Eò ferè omnes profecti sunt, propter pestem sic satis grassantem: qualis etiam de vobis rumor apud nos sparsus fuit. D. Sinapius frater meus nunc agit in Thermis Vuisbadensibus prope Maguntiam, ibi nuper eum inuisi. Est autem valetudine planè dubia & imbecilli, atq; de successu Thermarum sollicitus, quę quidem cum ego per triduum adessem, nihil vel parum profuerunt. Si quid literarum in patriam dare voles, habes per quos commodè perferantur. Rogo verò si quid forsan ad te allatum fuerit literarum ad me pertinentium, id per Rhedarium qui meas ædes nouit, transmittas. Nam nisi mutem animum, omnino hìc hyemare constitui. Tu cum Olympia lectissima atque doctissima coniuge tua, quam familiariter ex me salutabis, felicissimè valebis. Spiræ pręproperè, septimo Calend. Octobr.

OLYMPIA FVL. MORATA
Cælio Secundo Curioni,
S. P. D.

QVam molli sint animo qui vera amicitia, hoc est, Christiana, inter se conglutinati sunt, hinc mi Cæli, tanquā pater suauissime conijcias, quòd ego lectis tuis literis lacrymas abstinere non po

tui. Nam cùm te tanquam ab orco reuocatum esse audirem, gaudio profectò lacrymabam. Oro autem Deum vt te tueatur, vti ecclesiæ suæ commodis & vtilitati inseruire diu queas. De morbo filiæ tuæ valde doleo : sed quia, vt scribis, spes est eam posse consanescere, dolorem leniemus. De me verò, mi Cæli, scias omnem longioris vitæ spem ademptá esse. Nam quod ad medicamenta attinet, quibus vsa sum plurimis, nihil est quod opem ferat. Indies iam, imò in horas fermè nihil aliud nostri expectant, quàm vt hinc migrem. & sanè ego nescio an istæ sint vltimæ literæ futuræ, quas à me accipies. Corpus omnino & vires sunt amissæ: nullum habeo ciborum gustum : catarrhus dies ac noctes me suffocare conatur. Febris vehemens & assidua: dolores per totum corpus qui me somno priuant. Itaque nihil restat nisi vt animam efflem. Adhuc adest spiritus in artubus memor omnium meorū amicorum & beneficiorum acceptorum, Quare tibi pro tuis libellis & bonis illis viris, qui me tot pulcherrimis muneribus affecerunt, ingentes ago gratias. cupiebam referre, si fata tulissent. Ego omnino breui me decessuram opinor : tibi Ecclesiá commendo : vt quidquid agas, id ex vsu eius sit. Vale optime Cæli, & si de obitu meo tibi renunciatū fuerit, ne doleas. nam ego scio tunc demum me victuram, cupioq; iam dissolui, & esse cum Christo. De fratre quod quæris,

proficit

proficit is quidem, ſed ita, vt magis calcaribus, quàm fræno egeat. Heidelberga deſerta videtur tum ex fuga plurimorum propter peſtilentiam, tum ex obitu quoque multorum. S. P. tibi adſcribit maritus meus. Saluta familiam tuam noſtro nomine. Carmina quæ potui in memoriã redigere poſt ruinam Suinfordenſem ad te, vt poſtulas, mitto: alia mea ſcripta perierunt. Quæſo vt meus Ariſtarchus eſſe velis, eaque limare. Iterum vale. Heidelbergæ.

ANDREAS GRVNTHLErus Cælio S. Curioni ſuo, S. P. D.

VIde, te quæſo, ornatiſsime mi Cęli, quàm modis omnibus Deus mę affligat, cui poſt delętam patriam, erepta bona, extinctos amicos & propinquos fermè omnes, tandem etiam cariſsimam vxorem abſtulit: qua ſola adhuc ſuperſtite, videbar omnia cętera poſſe moderatè ferre. At verò hęc me calamitas maxima, tanquam decumanus quidam fluctus alijs ſuperueniens planè opprimit, nec quomodo dolorem meum lenire poſsim, inuenio. Deceſsit illa quidẽ magna cum auiditatę, atq; vt ita dicam, quaſi alacritate quadam moriendi, cum perſuaſum haberet ſe ex diuturnis

cruciatibus,ex miserrimaq; hac vita, ad perpetuam felicitatem hinc euocari. Verumenimuerò illa dulcissimæ iucundissimæq; simul actæ vitæ recordatio, nescio quomodo consolationem nullam admittit. Vixit illa quidem mecum non totum quinquennium, cęterùm neq; animum magis sincerum & candidum, neque mores probiores sanctioresque vidi vnquam. Nam de singulari tum pietate, tum eruditione quid etiam dicam? Non puto opus esse vt eam tibi laudem, vel quod iam antè tu illam pernosti, vel ne ego videar mea velle extollere. Quapropter hoc totum in vos transfero viros doctissimos & humanissimos: nec dubito fore vestri gregis aliquos, qui funus illius aut carmine, aut oratione ornandum esse existimabunt. Addam ego his quoque meas lacrymas, cùm præ dolore potero. Est enim doloris genus quoddam, quale meum, hoc est summum, in quo ne lacrymę quidem profundi possunt, quòd scilicet animus maximarum rerum calamitate iampridem lassus & confectus, vbi quid præterea accessit plus acerbitatis, tum etiam stupet. Itaque nunc quidem nihil possum. Interim verò (quoniam hoc te arbitror cupere) quomodo illa vitam finierit, & si herculè vix possum, dicam tamen paucis. Iam igitur fermè moriens, cùm è somno paulò antè experrecta esset, visa est mihi nescio qua dulcedine læta, clanculum ridere. Accessi propius, &

quid-

quidnam tam suauiter rideret interrogaui. Videbam, inquit illa, modò in quiete locum quendam pulcherrima clarissimaq; luce refertum: cumque plura præ imbecillitate proloqui non posset: Age, inquam ego, bono esto animo mea vxor: in illa pulcherrima luce tu habitabis. Subridens iterum annuit capite, & paulò post, Tota, inquit, sum læta: nec plura deinceps locuta est, nisi cùm iam oculorum acies hebesceret. Vos quidem, inquit, vix amplius agnosco, omnia autem cætera mihi videntur plena esse pulcherrimis floribus. Et hæc quidem postrema fuit illius oratio. Non multo enim pòst, quasi dulci quodá somno oppressa, efflauit animam: cùm iam per dies aliquot magna asseueratione sæpius affirmasset, se nihil aliud magis cupere, quàm dissolui & esse cum Christo: cuius in se maxima beneficia, quoties per vim morbi licebat, nunquam cessabat prædicare, quòd eam verbi sui cognitione illustrasset, quòd animum eius ab omnibus mundi huius voluptatibus alienasset, quòd desiderium vitæ illius æternæ in ipsa accendisset: nec se dubitabat in omni sermone appellare Filiam Dei. Nihil autem potuit minus ferre, quàm si quis consolandi eius gratia diceret fore, vt ex hoc morbo conualesceret. Dicebat enim, Deū breue quoddam vitæ curriculum circumscripsisse sibi, sed valde laboriosum & plenum ærumnis: itaq; non cupere se iam à calce ad carceres reuerti. In-

terrogata fuit eodem tempore à quodam viro bono, an esset in animo eius scrupulus aliquis, qui eam malè haberet. At illa totis, inquit, ante hac septem annis nunquam cessauit diabolus omnib. modis conari, vt me de fide vera detruderet: nunc verò acsi omnia sua tela amisisset, nusquam apparet. Nec ego in animo meo quidquam aliud sentio, quàm summam tranquillitatem & pacem Christi. Sed longum esset, si vellem enumerare quæcumq; illa magna cum admiratione nostra, qui illam audiuimus, sanctè, piè, constanter, fortissimoq; animo dixit. Mortua est septimo Calend. Nouembris, hora quarta pomeridiana, cùm nondum nata esset annos xxix. Acceperat à te literas proximo hoc mercatu Francofordiense, quibus & si grauissimè tum affligtabatur, voluit tamen respondere, suaq; manu scriptum responsum ad te mittere. Sed cùm postea quædam mutasset, neq; posset propter debilitatem eadem rescribere, mihi dedit id negotij. Mitto igitur tibi, vt videbis, tristissimi huius casus præsagas literas, vnà cum Psalmis aliquot, quos illa Græcos fecit, & Epigrammatis quibusdam paucis. At literas cùm scripsisset, admonui illam de clariss. illo Bonifacio Amerbachio: ipsa verò, Tu inquit, nosti me ad illum semel scripsisse per Heroldum, neque hactenus responsum accepisse. Et nunc quidem quod scribam nihil habeo: & si haberem, non possem. Tu igitur cùm ad Cæ-

lium

lium nostrum scribes, iubebis illum quoq; nomine meo plurimùm saluere. Fratrem eius apud me retineo, & vereor tamen ne parum proficiat, eo quòd nec ego semper possum cum illo esse, nec habeat ipse alios quibus æmuletur: sunt enim apud nos iam desertæ scholæ. Si existimares posse eum commodius apud vos esse, ego sanè illi, quòd in me est, non deessem, & nimis cuperem illum sororis laudem æmulari, à qua sola hactenus fuit institutus. sed de hac re consilium tuum expecto. Hoc verò nunc me solicitat, quomodo triste hoc nuncium ad socrum deferam. Scio optimam & alioqui etiam afflictam mulierem, vehementer perturbatam fore. Itaq; mihi percommodum videretur, si tu, quæ tua est pietas & eloquentia, prius ad eam datis literis, hisce meis aditum quendam parares, animumq; illius ad hos infelices rumores antè quasi præmunires. Inuitus quidem te onero, sed quid faciã? Nec ego quid fieri debeat video, nec alterius opera possum vti. Si quid vnquam tua causa vicissim potero, faciam certè (nihil dicam magnificè) perlibenter & amicè. Libros tuos nondum legi, vt nec aliud quicquam pręterea, toto illo tempore quo vxorem charissimam vidi tam grauiter decumbere. Cæterùm quamprimùm licebit aliquid posse facere, legam diligenter illos, præsertim qui sunt de regno Dei, quod inde spero aliquod huic morbo meo remedium. Interim tu

mi Cæli cum vxore charissima, dulcissimisq; liberis felicius quàm ego, vale. Heidelbergæ, decimo Calendas Decembris 1555.

CÆLIVS S. CVRIO ANdreæ Grunthlero medico S. P. D.

QVantum mœrorem mihi attulerint literæ tuæ, nihil est quod expectes vt vllis verbis à me explicari vllo modo possit. De morte enim eius mihi renũciasti, quam cùm propter optimi atque doctissimi patris eius memoriam, vnicè amabam: tum propter eius singularem erga Deum pietatem, summámque eruditionem religiosè colebam. Et quamquam scio quantopere illam amares, imò vel mortuam amore prosequaris, & quam miserè illius discessum ex hac vita tuleris: tamen velim etiam te hoc mihi concedere, vt in amoris ratione diuersa non admodum te sim inferior. Tu vt coniugem charissimam tuam Olympiam defles, ego vt filiam: non natura, sed quod nobilius est, pietate & charitate deploro. Sed quoniam tanta ànimi alacritate, atque in Deum fide, illa, quanta scribis, excessit è vita nostro incommodo detrimentoque, si est ita necesse, doleamus: illius verò facilitatem, beneuolentia potius quàm mœrore prosequamur:

mur: vt quotiescunq; eius diuinas virtutes recolimus, illam potius quàm nosmet ipsos diligere videamur. Nam si dolemus quòd ea iam frui non liceat, nostrum est id malum, quod modicè feramus, ne ad domesticam vtilitatem omnia referre videamur. Sin tanquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur, (mitto quod præter nostram professionem facimus, qui sciamus nulli iam pœnæ obnoxios esse, qui vt illa, cum Christi fide alacritateque ex hac vita discedunt) summam certè eius felicitatem non satis grato animo interpretamur. Nullam ego hac medicinam ad leniendum mei animi dolorem aptiorem inueni, qua etiam te virum ista sapientia vsum esse nõ dubito. Ad socrum tuam, vt voluisti scripsi, eamq; qua potui tum ratione sum consolatus: quàm rectè, videris tu. nam eam epistolam ad te mitto, pòst à me ex nostro Italico sermone in Latinum conuersam, vt edi posset. Statui enim Olympiæ nostræ quæ sunt apud me monumenta, quamprimum edere vnà & doctorum virorum de ea iudicia & laudes: & iam edidissem, nisi nostri Typographi omnia iam habuissent occupata. Scripsi etiam ipse, non epitaphium quidem, sed apotheosim eius paucis versiculis, & adiungam eius epistolis meas, tuamq; de eius morte ad me, quæ loco vitæ eius esse poterunt, testimonijq; autoritatem habere. Te autem oratum velim, vt quæcunque eius scriptiones po-

terunt, vel apud te, vel apud alios inueniri, eas ad me celerrimè transmittas, vt adiungi reliquis possint. De Æmilio vxoris tuæ fratre, quod scripsisti, cogitaui. Vestram scholam aut iam renouatam esse, aut breui renouandam atque instaurandam puto, præsertim cùm nouum Principem iam habeatis erga literas & religionem præclarè propensum. Quod nisi esset, aut breui fore sperarem, hortarer, imò rogarem te, vt eum ad nos mitteres: cui certè pro mea v:ri;i nunquã essem defuturus. Tu igitur ad me q:-amprimùm omnia perscribes, & quid sp. randum sit vobis, mihi significabis. & quod proximis literis ad me ausus scribere de Olympia non videris, perscribe. Nam satis tutò & fidelit:r ad nos tuæ literæ perferuntur. Nescio quando simul futuri simus, quod tamen maximè optarem. Viderer enim te videns, non te solùm, sed Olympiam quoq; ipsam videre. Vale. Basileæ, Idus Martij. M. D. LVI.

Salutat te vxor mea, & Fuluiolum Aemilium.

C Æ.

CÆLIVS SECVNDVS CVrio Lucretiæ Moratæ, S. P. D.

ETSI non sæpe ad te scripsi Lucretia sororis loco mihi charissima, id tamen nulla tuæ erga me humanitatis obliuione factum est, sed temporum iniquitate. Teneo enim memoria, teneo quàm officiosa erga me, in meis temporibus fueris, tum quum viuo adhuc Fuluio tuo, domi vestræ essem. Equidem pro nostra necessitudine, semper absens & res vestras secundas magna cum animi mei lætitia audiui, & aduersas non sine graui dolore accepi. Itaq; post acceptum de Fuluij mihi coniunctissimi obitu mœrorem, vbi de Olympię cum Andrea Grunthlero iuuene eruditissimo & medico nuptijs accepissem, summam cepi voluptatem: quod viderem lectissimam atque doctissimam puellam in suum comparem diuino numine incidisse. Post autem cùm à suo marito in Germaniam duceretur, subitò ab ea literis admonitus, quæ mihi cum Fuluio patre sanctissimè intercesserat, amicitiam colere non destiti: eas amicitias neque veras, neque firmas ratus, quæ ad hæredes non transirent, æternæque non essent. Itaq; deinceps ambo in ea perseuerauimus, dum illa ad me t. nquã ad parentem

ſuum, ego ad illam tanquam ad filiam cariſsimam ſcribimus: id quod literæ vltrò citroque miſſæ teſtantur. Incidit interea Suinphordiæ vrbis nobiliſsimæ caſus, quo audito, metuens ne ſimul cum mariti patria ambo, necnon & vnà Aemilius filius tuus concidiſſent, incredibilem animo cepi dolorem. Nam etſi quoque mortis genere quis intereat, mors ſemper ſit mors, animus tamen ab ea morte abhorret, quæ naturalem fatalemque viuendi curſum abſoluere non ſinit: ſed externa aliqua adhibita vi, violenter abrumpit: vno excepto, ſi quando ſanctiſsimæ religionis ac veritatis cauſa mortem oppetere contingat: quod genus mortis ego fortunatiſsimum iudico. Hac excepta, ſi cui inter ſuos placidè quieteque ex hac vita migrare contigerit, hanc ego præ illa violenta, mortem non puto, ſed ſuauem diſceſſum & tutiſsimam profectionem. Exiſtimare quidem facilè poſſum, quum Olympia tua vnà cũ paruulo fratre & marito à te diſcederet, vt tam longũ & difficile iter conficeret, & quaſi abs te diuulſa in remotiſsimas terras abduceretur, tibi eam profectionẽ inſtar mortis fuiſſe: dum cogitares te fortaſsis nunquá eam in hac vita eſſe viſurá: quippe tam longè à tuo conſpectu abeſſe, haud multo ſecus ac ſi ex hac vita exceſsiſſet, exiſtimare potuiſti. Pòſt deinde accepto de tui generi patriæ crudeli & miſerabili ruina, quin eos tanquá mortuos luxeris, nullo modo

modo dubito. Quamobrem satis intelligerę possum, si quem ipsorum ex hac vita miserijs & calamitatibus plena, ad meliorem illam euocari contingeret, te illis tot & tantis, quos iam eorum causa suscepisti, non multò maiorem sensuram fuisse dolorem. Nam vt verum fateamur, Lucretia soror, quid est in hac mundi colluuione stabile & firmum? aut quod animo Christiano magnopere expetendũ esse videatur? Me quidem nihil ista mouent, ne illa quidem quæ maximè omnes ferè admirantur, opes, dignitates, iucunditates: quin potius hinc migrare aueo, vt cum meo domino Iesu Christo vero sospitatore esse in illa æterna, ac beata vita possim. Ac tibi cõfirmo planè, tale semper fuisse Olympię desiderium tuę, vt ego ab ea sępenumero accepi: quod etiam eius mariti literæ ad me scriptę testantur. Tandem igitur Deus eius annuit votis: eamq; non è tuo quidem, ex quo iamdudum quasi maturus fructus ex sua arbore decerpta fuerat, sed è conplexu carissimi coniugis, corporisq; vinculis, in cœlũ placidè transtulit, ad ea fruenda bona quæ verè bona sunt, quæque illa semper & sperauit, & summopere concupiuit. Equidem fateor, si nos ipsi tantùm respicimus, eius desiderio grauiter angendum esse: sed si eius commoda & felicitatem, deinde etiam huius vitæ miserias, est quo nosipsi consolemur, eique gratulemur. Nam suis tantùm incõmodis vsqueadeò

grauiter angi, non amicum, sed seipsum amantis est. Quid quòd si paulò altius rem expendere velimus, ne mortua quidē est Olympia nostra, sed viuit cum Christo beata & immortalis, ac post tot ærumnas & labores in dulcem atque optatam quietē recepta est. Viuit, uiuit inquā, Olympia tua Lucretia, etiā in hoc mundo, viuetque dum erunt homines in mundo, in viua immortaliq; suorum operum, diuinorumq; monumentorum, atque omnium excellentissimorum ingeniorum memoria. Nec verò hæc tantùm vita ducenda est, quæ corpore & spiritu continetur: sed illa multò magis quæ vigebit memoria seculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper intuebitur. Quæ cum ita sint, debes & tu Lucretia ista prudentia, ista fide & pietate prędita, tuam voluntatem Dei voluntati submittere: naturæ, quæ nos omnes aliqua ex parte mortales generauit, ius suum concedere: ac denique iusto sanctoq; desiderio filiæ tuæ Olympiæ id tribuere, per quam tu cum omnibus tuis, imò Italia nostra omnis semper magis magisque commendabitur. Eius enim ingenium, eruditionem, pietatem, fidem, pudicitiam, omniū mortalium fama celebrabit. Hæc cogita, atque identidem apud te reputa, sic fiet vt dolori modum imponas: neq; plus lacrymarum filiæ dabis, quàm pia & religiosa humanitas

tas poſcere videatur. Vale. Baſileę, Calendas Ianuarij. Anno poſt Virginis partum 1556.

ANDREAS GRVNTHLERVS D. Andreę Campano Ludimagiſtro, S. P. D.

VIginti aureos quos miſiſti, accepi. lectos abs te antea fuiſſe cognoui: nam numerus ad amuſſim quadrabat, ſic vt ſinguli vicenis ſingulis groſsis conſtarent. Supereſt nunc vt de ſolutione conueniat. Scito igitur ad xxiiij. diem Februar. lx. aureos mihi de ſtipendio meo deberi, ex quibus cùm primum numerati fuerint, viginti ad te mittentur, ſic quidem vt non modò fidum, ſed gratum etiam debitorem me fuiſſe intelligas. De puero quod ex re illius fore putabis, id facies. Mea opera, ſi qua in re indiges, vtitor audacter. Vxor mea puellam quandã habere apud ſe cuperet decem aut duodecim annos natam: quæ leuiuſcula quædam negotia domi nonnunquã curaret: & ęgredientem ad templum interdum ſequeretur. Tu ſi quid in hac re poteſ conſulere, rogamus vt facias. Cupimus te ſemel præſentem alloqui. Itaq; cùm ocium aliquãdo nactus fueris, aduola. Salutat te cum omnibus tuis vxor mea. Bene vale. Heidelber-

gæ Nonis Ian. Anno Domini (qui felix faustus que sit omnibus vobis) M. D. LV.

ANDREAS GRVNTHLERUS Andreæ Campano Ludimagistro, S. P. D.

Miraris fortasse, amicissime Andrea, quòd quasi oblitus mei simul & tui, tanto iam tempore à scribendo cesso: sed tanta fuit occupationum mearum multitudo, propter grauissimum & diuturnum illum morbum vxoris meæ, quo cùm tu scis illam conflictatam esse, vt prorsus aliæ rei vacare non licu rit. Obijt xxvj. die Octobris, hora quarta promeridiana, nondum nata annos xxviij. Nunc verò postqnam illi quidem bene est (viuit enim, quemadmodum moritura paulò ante magna asseueratione affirmabat fore, cum Christo in luce pulcherrima) ego tamen præ dolore aliud nihil possum, nisi huius meæ calamitatis amicos quoque participes facere. Itaque si ne nunc quidem de xx. illis respondeo, ignosce dolori meo: faciam tamen (etsi profectò magni mihi constitit hæc illius morbi longinquitas) vt me tanti beneficij tui intelligas non immemorem esse. Pergratum autem faceres, si cum illis ageres, quorum hæc est pecunia,

pecunia, vt me paterentur eam retinere vſque ad proximi anni menſem Iunium, penderem pro illa quod moris eſt: ſin minus, fac me vt ſciam, curabo enim vt hoc menſe Decembri reſtituatur. Etſi enim mihi erit graue, nolo tamen vt tu mea cauſa plus labores. Qui has literas ad te perfert popularis noſter eſt, mihiq; in ſeruiuit ſuperiore anno, adoleſcens bonus, nec ineruditus. hunc ſi tu conſilio aliquo iuuare potes, vt tamdiu alicubi latêre poſsit, donec diſperſa vniuerſitatis noſtræ membra rurſum coeant: bene facies, &, ſi poteris, facies ſcio: itaq; nihil de hac re addo niſi vt cum vxore tua, tuisque liberis bene valeas. Heidelbergæ xiiij. Nouembr. Anno 1555.

ANDREAS CAMPANVS
Andreę Grunthlero medicinę
Doctori & profeſſori.
S. D.

PErlectis literis à tua humanitate exaratis, amicorum omnium candidiſsime, valde me concuſsit immatura illa vxoris tuæ doctiſsimæ, pijſsimæq; ex hac vita migratio: ſed tamen quæ in Chriſto viuit mens ſuper aſtra ſedens, non eſt lacrymis decoranda, nec funera fletu: Cur? volitat docta per ora virûm. Nec eſt vt etiam de pecunia ſis ſoli-

citus, eſt enim meorum ex ſorore ſuperſtitum, & adhuc ſub mea poteſtate. Quare ſi quid maius eſſet, quo tibi gratificari poſſem, manibus pedibusque obnixè operam darem. Adoleſcentem non vidi: per alios enim literas ad me perferri curauit. Si igitur vel tibi placeret apud me viuere aliquot dies, nullo modo me grauares. His bene vale. Dat. Mosburg viij. Calendarum Decembris, Anno poſt partum Virginis 1555.

CHILIANVS SINAPIVS I. C. Cælio S. Curioni S. P. D.

LIteris tuis ante menſes aliquot ad me datis, doctiſsime iuxtà ac humaniſsime vir, quamuis gratiſsimę mihi fuerint, hactenus nõ reſpondi, quòd ęquiſsimę petitioni tuę vt maximè voluerim, aliquandiu ſatis facere non potuerim. Nam quominus monimenta Olympię Moratę quę quidem apud me reliqua fuerunt, ſed diſperſa, partim etiam amicis commodata, neq; reddita collegerim, & citius ad te tranſmiſerim, cùm continuæ aduocationes, tum vxoris aduerſa valetudo mihi impedimento fuerunt. Non tamen dubito, quin eruditiſsimus & ornatiſsimus iuuenis Baſilius Bonifacij Amerbachij excellentiſsimi Iuriſconſulti

fulti Basiliensis filius, qui abs te mihi commendatus me familiariter vtitur, tam suapte sponte quàm me rogante, iampridem me apud te excusauerit. Enimuerò hoc certò tibi persuadeas velim, memoriam tandiu abs te mei conseruatam longè gratissimam atque iucundissimam mihi fuisse, præsertim quum plus minus viginti anni intercesserint, ex quo in aula Ferrariensi nos mutuò vidimus. Porrò de Olympia nostra lectissima atque doctissima fœmina, de qua ad me scripsisti, satius esse censeo nihil quàm pauca dicere. Quid enim de illa tam magnificè prædicari potest, quod pietate, eruditione, morumq; suauitate non longè superauerit sua? Proinde quantum in vtraque lingua necnon sacrarum literarum cognitione excelluerit, cùm alia scripta, tum epistolæ eius tua opera in lucem editæ satis luculenter indicant & demonstrant. Inuiderem prorsus tibi & Italis tuis præclarum hoc decus, & summum inter omnes vbiq; gentium mulieres ornamentũ: in Germania, vbi decidit, ortũ fuisse optarim. Verùm te nõ latêre scio, Olympiam nõ multò minus à Germanis quàm à suę gentis prędeptorib. eruditam, vt plurimùm tamen τοὺς αὐτοδιδάκτους imitatam, mutis magistris vsã fuisse. Mitto ad te versiculos meos, magis testificandi animi mei erga illã gratia, rudi Minerua exaratos, quàm vt lectu dignos existimem. Scis enim quàm longè forensis actio in

qua iam totū decennium verſor, à Muſis manſuetioribus diſsideat. Quare voluntatem meam boni conſules, ſi minus tibi ſatis factum eſt. Bene vale, vir clariſsime, & me tibi commendatum habe. E Nemetum metropoli, quinto Calendas Sextil. 1560.

CÆLIVS SECVNDVS CVrio, Chiliano Sinapio, I. C. S. P. D.

SEra reſponſio reprehendi non debet, ſi nulla negligentia aut contemptione prætermiſſa eſt, ſed occupationibus, aut neceſſarijs rebus impedita. Scio enim quantus ſit æſtus negociorum Imperij, quanta turba conſultorum, quo minus verendum tibi erat, ne ego non vſqueadeò iſtarum rerum imperitus, iſtam reſpondendi moram ſecus quàm deceret, acciperem, abs te præſertim, quem & humaniſsimum ſemper & diligentiſsimū cognoui. Sera igitur fuerit reſponſio tua, at nullo tamen modo ingrata: cum præſertim vnà ſecum de Olympia noſtra ea attulerit, quæ mihi non vehementer grata iucundaq; eſſe non poſſunt. Acceſsit etiam Baſilij iuuenis elegantiſsimi excuſatio, qui tuas grauiſsimas occupationes, abſentiamque iampridem ſuis ad me literis diligenter commemorauit. Quamobrem non

mo-

modò apud me eſt humaniſsimus Chilianus excuſatus, verùm ipſe potius ſim accuſandus, qui hominem tot tantisq́; obrutum negocijs, hiſce leuioribus rebus interpellem. Hoc tamen dabis meo in clariſsimam fœminam amori, atque eius laudum ſtudio, quo vehementer incendor: quam etiam tu nobis, vt ſcribis, inuideres, niſi pars etiam aliqua eius laudum in Germanos præceptores, à quibus eſt, non à ſolis Italis erudita, redundaret. Fatemur quidem eruditiſsime Chiliane, Sinapijs dum in principis Ferrarienſis aula eſſet, vnà cum Principe ipſa vſam fuiſſe magiſtris: ſed ita tamen, vt eius pater Fuluius, eam à ſe literis diligẽter pro puellæ ætate, exornatam Principi tradiderit: & vobiſcum in ipſa aula erudire atque exercere, quod minimè ignoras, non deſtiterit. In eo autem Italis feliciores fuêre Germani, quòd apud eos tum poſtremas ſuas cogitationes, tum etiam corpus caſtiſsimum fœmina omnium eruditiſsima depoſuerit, in cælumque ex iſtis locis euolarit, ac ſpiritum quem in Italia hauſerat, Deo & Chriſto domino reddiderit. Hoc igitur eſt quod ego à vobis eius poſtrema monumenta requiro: quam etiam ob rem tibi ad fratrem tuum literas dedi, quas vt ad eum quamprimùm mittas, oro. Quæ autem ad me miſiſti, gratiſsima ſunt. Quòd ſi qua alia recuperatorio iure nanciſci deinceps poteris, vt idem facias te vehementer etiam atque e-

tiam obſecro, petoq́ue à te, vt quod ego feci, ſumq́ue facturus, mei apud te memoriam intercipi, aut obliterari nulla ratione patiare. Vale. Baſileæ Calend. Septembris. M. D. LX.

CHILIANVS SINAPIVS
C. Cælio Secundo Curioni, S. P. D.

NOn dubium mihi eſt, doctiſsime atque humaniſsime vir, quin diuturnum hoc ſilentium meum, ſuſpicionem tibi mouerit, quaſi cùm Olympiæ noſtræ, tum amicitiæ noſtræ, parum memor hactenus extiterim. Quorum vtrunq; excuſare mihi perfacile eſt, quod tu ex Baſilio noſtro de frequentiſsimis aduocationibus, & continuis occupationibus meis iamdudum certior factus fuiſti. Cæterùm de morte cariſsimi domini fratris referre nunc ſuperuacaneum puto, quod te ſcire velim, ex illa præter acerbiſsimum luctum vnicæ filiæ tutelam, adminiſtrationemq́ue bonorum mihi in primis obtigiſſe. Qua quidem nuptui illa D. Chriſtophoro Elephanto Cæſarei conſilij adſeſſori nuper data, magna ex parte nunc ſum exoneratus. Nequaquam igitur prætermiſi, per primam occaſionem in bibliotheca fratris, reliquam Olympiæ monimenta diligenter inquirere. E quibus reperta, & nuper

per Vuirceburgo ad me tranſmiſſa, deſcribi, & per hunc tabellarium ad te perferri volui, moram & cunctationem meam diligentia & vbertate forſan compenſaturus. Verùm hoc te penpendere velim, quæ ex Boccatio tranſtulit, in adoleſcentia ſua Olympiam compoſuiſſe, ne minus elaborata, aut quoad ſtylum, ab alijs illius ſcriptis diſſentire videantur. Relatum mihi fuit, Heidelbergenſes quoque in monimentis Olympiæ conquirendis ſatagere, eodem nimirum quo tu propoſito, at non eodem iure & merito. Equidem in primis cauere velim, ne quominus illa dignis laudibus euehatur atque celebretur, per me ſtetiſſe credatur, eoque magis expectationi tuæ, vel poſtliminio ſatisfacere cupio. Mitto etiã quædam fratris Epitaphia. Vale optimè, vir optime. Spiræ Nemetum Idibus Maij. M. D. LXII.

CÆLIVS SECVNDVS CVrio, Iohanni Sinapio S. P. D.

QVoniam quæ Olympiæ noſtræ nanciſci potuimus monimenta edidimus, Excellentiſs. atque amiciſsime Sinapi, & ab omnibus quaſi ancilia è cœlo delapſa, totis vlnis accepta cognouimus, viſum eſt no-

bis ad maiorem Olympiæ laudem, nouam, eamq; omnibus modis meliorem, politioremq; editionem adornare. Ad quod quidem efficiendum, ſcripſi ad fratrem tuum virum ornatiſsimum, Spiram, vt ſi quid haberet, in hanc editionem conferre non grauaretur. Miſit ille ad me quæ potuit omnia, cùm aliquot in eandem Olympiam epitaphijs: ſimulq; admonuit ad te ſcriberem, qui ſine dubio plurima, eaq; præclara haberes. Oro igitur te per Olympiæ manes, perq; noſtram mutuam beneuolentiam iam per tot annos confirmatam, ad me quicquid eius monumentorum habes, quamprimùm mittere feſtines, vt tuæ tantæ diſcipulæ laudes magis & magis illuſtrentur. Quòd ſi feceris, vt ſpero, cùm diuinæ fœminę manibus parentaueris, tum eius laudum ſtudioſis, qui vbique ſunt innumerabiles, rem feceris non ſolùm gratam, verumetiam vtilem omnibus, ac periucundam. Facies etiam vnà vt de tuis rebus, tuoque ſtatu, deque liberis tuis, quæ æquum eſt amicum ſcire, intelligam. Vale vir eximie atque optime. Baſileæ, Calendas Septemb. M. D. LX.

ANDR.

ANDREAS CAMPANVS C. Cælio S. C. S. P. D.

Comitum Erbacensium concionator, haud vulgaris meus amicus, Olympiæ libellũ, typis Basileæ excu[illegible] mihi dono dedit, Cęli, Theologorũ ornamentum. Perlegente me igitur præfatione, intellexi, tuum adhuc reliquarum epistolarum ab illa scriptarum te percupidum esse, mitto itaque ad te duas ab illa, tres à doctore ad me datas. Quid igitur nunc cum his faciendum esse censes, tibi deliberandum omitto. Ego quidem summa diligentia perlegi omnes in hoc libello epistolas, & eò lubentius, quòd maiori ex parte ad conterraneos meos scripserit, te tamen excepto, inter alias etiam vnam, in quá generosorum Comitum Erbacensium honorifica fit mentio, neque egò silentio prærerire possum, quin de ipsis quod verum est tibi significem. Sunt enim illorum tres, & natu maximus duxit in vxorem illustrissimi Electoris Palatini sororem, qui iam Palatinatui inaugurabitur, ac non minori eruditione, quàm pietate singulariq; constantia præditi, & quod maximum mihi mirũ esse videtur, habitare adeò posse fratres in vnum, id quod verè bonum est, atq; iucundum. Ante decennium nostrûm erant qua tuor, qui fortè fortuna ad ipsos veniebamus,

exceperunt nos humanifsimè, peracto prandio, vt nos in pomerium reciperemus mandarunt, ad ædes in aquis fundatæ & ftructæ. Deinde nouam illam Cæfaris reformationem vt vocant, Interim, incipiebant examinare, ab hora duodecima ad tertiam vfque. Volebant enim & noftro vti confilio, & quid noftræ, in hac re tam ardua opinionis effet, audire: fed finita difputatione, quidam concionatorum à me interrogatus, refpondebat: Ego in mea vita tam acerrimi iudicij tentatores, vt funt hi Comites, nullo vnquam tempore expertus fum. Alter cōcionator in ciuitate Michelftadt, Magifter Nicolaus N. fe plus à Comite fuo quàm Vittebergæ in toto fexennio didiciffe affirmabat. Sed vt ad Olympiam reuertar: poftquam à Comitum ductoribus vnà cum marito fuo vfq; in oppidum Ceruicornum comitati funt: ibidē in hofpitio fortè Ludimagifter cum fu s pueris in arte Mufica periculum fecerat, & accidit vt non fatis & ftrenuè quidem fuo officio functi, ac parumper in cantu aberraffent, cumq; vidiffet illos pudore fummo fuffundi, non puduit accedere, iuuareq; pueros. id maximè admirationi cùm pueris tum præceptori fuit: ita vt fępe me præfente admonuit pueros vt nunquam hoc tradant obliuioni, fed femper vt in recenti memoria retineant hortatus eft. quid? inquiens, nónne hoc eft mirū, fœminam tam iucundè vobifcū cecinifle? & ex tempore quidem.

quidem. Cæterùm & Andreas Grunthlerus cum varijs de rebus inuicem colloquerentur, ac illi suum nomen referret, Ludimagister Georgius Treuthugerus vir doctus & multæ lectionis, cognito suo nomine, contulit se domum adductis secum cantionibus compositis ab Andrea Grunthlero typis excusis, id quod doctorem etiam & Olympiam in summam admirationē adduxit. Postea quamprimùm ego Ceruicornum venirem ob stipendium adipiscendum meis ex sorore nepotibus, qui parentibus & omnibus fermè bonis amissis Sueuifurti Ludimoderator ille rem omnē mihi narrabat, D. & Olympiá Heidelbergæ esse. Tunc illis mutuo dedi viginti aureos. Pro hac igitur pecuniæ summa illorum vestimenta & supellectilia post mortem amborum ad me missa sunt, ita vt illorum omnibus fermè horis nunquam me capiet obliuio, obiectum enim mouet sensus. His bene vale Doctissim. Cæli, ac ignosce prolixitati & ruditati literarum.

Datum Mosbachij, tertio Id. Mart. Anno 1559.

CArissima madonna Cherubina, vi deuete rellegrare con noi che dio per la sua grande misericordia ci habbia liberati da infiniti pericoli, ne li quali xiiij. mesi di continuo semo stati: in carestia grande il S. ci ha nutriti, che hauemo hauuto da dare anchora alli altri: ha liberato il mio consorte di febre pestilentiale, la quale fu in tutta la città, & esso alquante settimane stette cosi male, che se io non hauesse hauuto li occhi della fede, i quali risguardano in quelle cose che non appareno, mai haueria potuto credere ch'ei fusse guarito, perche i segni mortali erano manifesti: ma il S. al quale niente è imposibile, e il quale spesso opera contra natura, lo sanò, anchora senza medicina alcuna, non si trouando per la guerra piu remedio alcuno nella specieria. Iddio ha hauuto misericordia di me, che mi era vn dolore quasi intolerabile. io ho pur prouato spesissieme volte quel che dice il Salmo, che il Signore fa la volontà di quelli che'l temano, & essaudisce i loro prieghi. Sapete la mia chara madonna Cherubina, che nella Scrittura, per il fuoco si intende le grande afflictioni, come anchora mostra chiaramente quel loco in Esaia, cosi dicendo il Signore, Che Israel non tema ch'el Sara con esso, quando egli passera per il fuco: come è stato con noi, che siamo passati per il fuoco veramente, non per simili-

litudi-

litudine alcuna, ma ſiamo ſtati in mezo al fuoco. Impero che i veſcoui & altri ſuoi ſimili che hanno fatto guerra con Suinforto, hanno gettato giorno e notte il fuoco dentro nella città da tutte le bande, e con tanto furore & impeto hãno tirato le artellarie, che i ſoldati, i quali erano dẽtro nella noſtra città, diceuano che mai ſi era vdito nelle altre guerre, che in vn giorno ſi haueſſe tirati tanti tratti di artellaria: e iddio nella prima obſidione inuitãdo con la ſua bontà, e con il ſuo aiuto il popolo a penitentia, coſi defeſe il ſuo popolo, che pur vno nella città fu amazato. In ſomma iddio ha monſtrato la ſua potẽtia in defendere quella città, e liberarla da tanti mali. alla fine per tradimento entrorono all'improuiſo, quãdo ci era ſtato promeſſo che andarebeno via per commandamento dell' Imperatore & altri principi: & hauendo tolto ogni coſa che era nella città l'abbruſciorono. Il Signore ci liberò dalle fiamme, & per cõſiglio di vno de nemici vſciſſemo fuora del fuoco. Il mio conſorte poi fu pigliato due volte da nemici, che vi prometto ſe mai io hebbe dolore, che all'hora lo hauuto: e ſe mai pregai ardentemente, all'hora pregai. Io nel mio cuore anguſtiato gridaua cõ gemiti inenarrabili, aiutami, aiutami Signore per Chriſto: e mai ceſſai per fin ch' el mi aiutò, e lo liberò. Vorrei che haueſte viſto come io era ſcapigliata, coperta di ſtraccie, che ci tolſeno le veſte d'attorno, e fug

gendo io perdetti le ſcarpe, ne haueua calze in piede: ſi che mi biſongnaua fuggire ſopra le pietre e ſaſsi, che io nõ ſo come arriuaſſe Speſſo io diceua, adeſſo io caſcaro qui morta, che non poſſo piu: e poi diceua a Dio, Signore, ſe tu mi vuoi viua, comáda alli tuoi angeli che mi ti rino, che certo io non poſſo. Mi marauiglio anchora quando io penſo, comme il primo giorno io faceſſe quelle diece miglia, che io mi ſenteua tutta mancare, eſſendo io magriſsima & malaticcia, che era ſtata amalata anchora il giorno dauanti, e per quela ſtrachezza, mi veniua la febre terzana, e per il viagio ſempre ſon ſtata amalata. Il Signore non ci ha abbandonati, anchora che ci fuſſe tolto ogni coſa per fin le veſte da circa il corpo, ma ci mandò mentre che eramo per via quindeci ſcudi d'oro da vn ſignore non cognoſciuto da noi: poi ci menò ad altri ſignori, i quali ci veſtirno honoreuolmente: al fine ſemo venuti à ſtare in queſta città di Haidelberga, nella qual il mio conſorte è ſtato fatto lettore publico nella medicina: & hauemo adeſſo quaſi tanta maſſaria di caſa come auanti. Queſto vi ſcriuo accioche ringratiate il Signore, e conſiderate che mai egli non abandona i ſuoi nelle anguſtie, accioche vi confirmate in fede che non vi laſciara, anchora che biſognaſſe che patiſte qualche coſa per la verità, come biſogna che ſiamo, come dice Paolo, Conformi a imagine di Chriſto: che

patiamo

patiamo con esso, accioche regnemo con lui nõ si da la corona se non a colui che combatte: e se vi sentite inferma, la mia chara madonna Cherubina, come anchora io sono (ma il Signore mi fa forte quãdo io l'inuocho e priego) andate a Christo il quale, come dice Esaia, egli non spezzara la canna agitata, cioè la conscientia inferma e spauentata, egli non la spauentera anchora piu ma la consolara, come esso chiama à se tutti che sono aggrauati di peccati, & affaticati: ne amorzara il lino che fuma, cioè, quello che è infermo in fede, e non lo regettara da se, ma lo fara forte. Non sapete che Esaia lo chiama forte e gigante, non solo perche esso ha vinto il diauolo, il peccato, l'inferno & la morte, ma perche di cõtinuo vince nelli suoi mẽbri tutti i suoi nemici, & li fa forti: Perche tanto spesso la Scrittura ci inuita a pregare, e ci promette che saremo esauditi, se nõ accioche in tutti i nostri mali e infirmità, andiamo dal medico nostro? Perche lo chiama Dauid, iddio della sua fortezza, se nõ perche egli lo faceua forte, cosi fara anchora voi, ma ei vo le esser pregato, e che si studi la sua parola, la quale è il cibo dell' anima. e s'el corpo nostro perde le sue forze quando non ha il cibo, come sarà l'anima forte che non si sustenta con la parola di Dio? si che la mia madonna Cherubina, stat e di continuo in oratione, e leggete la Scrittura da per voi, e insieme cõ la signora Lauinia,

e con la Vittoria, essortatela alla pietà: pregate insieme, e vederete che Dio vi darà tanta fortezza, che vincerete il mondo, e per paura non farete cosa alcuna contra la vostra conscientia. Pensate ch'egli sia bugiardo? quando ei dice, In verità in verità vi dico, che se domandarete cosa alcuna al Padre nel nome mio, che vè la darà? e se saranno dui o tre cōgregati sopra la terra, e pregaranno di qualche cosa, io la farò. Ei manca da noi, se semo infermi, perche non lo preghiamo: voi vederete, purche non vi strac chiate di pregare, che Dio vi fara forte. Pregate anchora per noi come io facio per tutti i Christiani che sono in Italia, chel S. ci faccia cōstanti, accio che posiamo confessarlo in mezo della generatione peruersa. Qui è vn gran dispregio della parola di Dio, & pochissimi se ne curano. habbiamo anchora qui la idolatria, e la parola di Dio insieme come Samaria, Io voleua hauere la mia chara madre meco, ma ogni cosa è piena di guerra, mi bisogna espettare questa consolatione di vederla nell'altra vita. Non manca qui la croce alli pij, il Signore ci dia a tutti fede e cōstantia, che vinciamo il mondo. A laude di Dio vi voglio scriuere come ho visto vn grande miracolo in questa nostra persecutione: che semo stati in corte di alcuni signori di Alemagna, i quali per l'Euangelio hanno posto la vita e la robba in pericolo: che tanto viuano sanctamēte, che mi son stupita. Quel

Signo-

Signore ha prædicatori nella ſua città, e ſempre lui è il primo ad andare alla predica: dipoi ogni mattina auanti al deſinare, lui chiama tuta la ſua famiglia, non biſogna che ne reſti pur vno: e inſua preſentia ſi legge vn' euangelio, e vna epiſtola di ſan Paolo, & eſſo poſtoſi ingenocchioni con tutta la ſua corte pregano il Signore. Biſogna poi che a caſa per caſa ciaſcadu no de ſuoi ſubditi gli renda ragione della ſua fede, con le maſſare & ogni uno, accioche ei veda come fanno profitto nella religione: perche coſi dice, che ſa bene ſe non faceſſe coſi, che eſſo ſ rebbe obligato à rēdere ragiōe di tutte le anime de ſuoi ſudditi. Io vorria che tutti i ſignori e principi fuſſeno tali. Il ſignore vi dia fede, e vi accreſca nella ſua cognitione, perche di continuo douemo pregare di accreſcere in fede: per queſto ſi chiamano le vie del Signore: perche non ſi deuemo fermare come fuſſemo perfetti, ma caminare ſempre e creſcere in perfettione. Studiate diligentemēte la Scrittura. Æmilio per gratia di Dio è ſano e ſaluo, e ſpero che temera Dio: molto volentieri ode le prediche, e ſtudia la Scrittura. Io priego di continuo per lui & per tutta la caſa noſtra, che temino il Signore. Il mio conſorte & io, & Æmilio con tutto il cuore vi ſalutiamo. Di Haidelberga a 8. di Agoſto. Se la Signora Lauinia mi vorra ſcriuere, S. S. potra ben trouare via e modo. queſta citta è molto celebre per la corte, e perl' Academia. La voſtra Olympia.

HAuendo io ſcritto la prima mia lettera, ho voluto anchora aggiongere queſt' altra per eshortarui, che preghiate Dio che vi faccia forte, accioche per paura di quelli che ſolamente poſſono amazzare il corpo, voi non offendiate quel dolce Signore noſtro, che per noſtra cauſa ha patito ogni coſa: coſi per eſſerli grata cōfeſſatelo come eſſo vole auanti queſta peruerſa generatione, e ricordateui di quelche dice Dauid: Io ho in odio la chieſa de maligni, e conli impij nō ſederò: Ho mo direſte forſe, Io ſon inferma, e non poſſo queſto. Oh penſate che tanti ſanti e Propheti, tanti Martiri, anchora del noſtro tempo, ſiano ſtati forti per propria virtu, e non che Dio habbia fatto forti quelli? conſiderate nella Scrittura quelli che ſono ſtati infermi, che non ſempre ſono reſtati infermi. San Pietro lo negò, il che non è poſto per eſſempio che noi imitemo, ma per cognoſcere la fragilità noſtra, non eſcuſarla, e la gran miſericordia di Chriſto. Eſſo non fu ſempre infermo ma coſi fu fatto robuſto, che poi ſi rallegraua di patire per Chriſto. Coſi anchora noi, ſentendo la noſtra infermità, deuemo con prieghi accoſtarſi al medico, e pregarlo ch'egli ci faccia forti: purche lo preghiamo eſſo non mācarà della ſua promeſſa, ma egli nō vuole che ſiamo pegri & ocioſi, ma che di continuo ſtemo in eſercitio, armati di quelle

arme

arme che ſcriue ſan Paolo alli Epheſi al quinto: Noi habbiamo vn potẽtiſsimo nemico che mai ceſſa, e Chriſto ci ha dato l'eſſempio come il poſsiamo vincere, cioè con le orationi, e con la parola di Dio: pero per amore di Chriſto, il quale con il ſuo precioſo ſangue vi ha riſcoſſo, io vi priego che diligentemẽte ſtudiate la Scrittura, pregando il Signore che vi illumini in quella. Vedete Dauid quel gran Propheta, quanto ſpeſſo, e con quanto ardore il priega: Signore illuminami, inſegnami le vie tue, renoua vn core mõdo in me: e noi come ſe fuſſemo perfetti, non ſtudiamo o leggemo coſa alcuna. Paolo tanto homo ſcriue alli Philip. chel non ha anchora appreſo, ma che ſtudia di apprendere. Di giorno in giorno deuemo creſcere nella cognitione del Signore, e inſieme pregare con gli apoſtoli a creſcerci la fede, e con Dauid, Suſtenta i paſsi mei nelle vie tue. La colpa è noſtra, che ſemo infermi: perche ſcuſiamo la noſtra infirmità, e non vſiamo gli remedi da Chriſto ordinati, cioè li prieghi e la ſua parola. Penſate che quelche ha fatto e patito ogni coſa per amore voſtro, non vi eſaudira ſe lo pregarete ch'egli vi facia forte, hauendo tante ſue dolce promeſſe? ſed nõ vi voleſſe eſſaudire egli nõ vi haueria inuitato cõ tãte promeſſe: e accioche non dubitaſte ha giurato, che tutto quello che domãdarete al padre in ſuo nome, egli ve lo darà: & nõ dice che vi vuol dare ſolamẽte queſto

o quello,ma tutto quello che dimandarete. Es san Giouani dice, che se noi domãdiamo qual cosa secondo la volontà di Dio, che' egli ci essaudira. hora domandarli ch'egli vi dia fede e forteza, accio che lo confessate, non è questo secundo la sua volonta?ah come noi semo freddi,e poi noi ci scusiamo. deuemo monstrare al medico le nostre infermità, & esso ci sanarà: oh nõ è proprio l'officio di Christo saluarci da peccati, e vincere il peccato, picchiate, picchiate, e vi sara aperto, Ricordateui ch'egli è omnipotente,che se non sarà venuta l'hora vostra, nessuno vi potrà tirare vn capello del capo. E piu forte quelche è in noi, che quel ch'è nel mõdo. ne considerate piu quelche facciano la piu gran parte,ma quelche habbiano fatto i santi e faccino anchora a questo tempo. La parola del Signore sia la lucerna a piedi vostri,la quale se non leggerete e odirete scappuccierete in tanti scandali del mondo. Vi priego leggete questa lettera alla Vittoria, & exhortatela con essempio e con parola a honorare e confessare Dio, leggete insieme con lei la Scrittura: pregate la mia chara signora Lauinia, che spesso vi legga qual cosa nella Scrittura, e voi sentirete efficacia della parola di Dio. questo vi ho scritto desiderando la vostra salute,Dio lo sa,e vi priego fate cosi. Io priego il Signore che per Christo ui illumini e fortifichi, accioche vinciate Satana,il mõdo,e la carne vostra, & habiate la corona

na, la quale solo si darà a colui che hauerà vinto. Io so del certo, che se obedirete alle mie admonitioni, che voi prouarete che il Signore vi fortificherà. non considerate che io sia vna donna che ui auiso. ma siate certa che iddio con la sua parola pronunciata per la mia bocca benignamente vi inuita a lui. Tutte le false opinioni, tutti gli errori, e tutte le dispute vengano solamente, perche non si legge la Scrittura diligentemente. Dauid dice, Tu mi hai fatto piu prudente che tuti gli inimici miei con la tua legge. Non ascoltate quelle impie parole di alicuni, i quali dispregiando i commandamenti di Dio, e mezi da saluarsi da esso ordinati, dicono: e se sarò predestinato mi saluaro, anchora che io non studio la Scrittura ne priego. Colui che è predestinato e chiamato da Dio, non dirà gia tal biastema, ma si sforzara di obedire a Dio, e non lo tentara. Iddio ci fa questo bene e honore, che parla con noi nella sua Scrittura, ci insegna, consola, è noi dispregiaremo vn tanto thesoro? e ci inuita a pregare, ma noi lasciando tutti questi mezi ordinati da Dio, stádo ociosi, stemo a disputare dell'alto consiglio del Signore, di quello che sarà. Vsemo i remedij da esso lasciatici, e cosi mostraremo che siamo figlioli obedienti di Dio e predestinati. Leggete quanto vole Dio che la sua parola sia estimata. La fede, dice Paolo, è per l'udita, e l'udita per la parola di Dio. Vi prometto che se stemo ociosi, pre-

sto la fede e la charità si rifredda. E nõ vale, come dice Christo, hauere cõinciato, ma bisogna perseuerare, per fin alla fine. Colui che sta, dice Paolo, guardi che non caschi. Vi priego per amor di Christo, che vi gouerniate secõdo la parola di Dio, e nõ secõdo le opinioni d' homini. quella sia la vostra lucerna a piedi vostri, altramẽte Satana vi potra ingannare in varij modi. Queste mie eshortationi ditele anchora à mia sorella: ne considerate mai chi sia la persona che vi parla, ma considerate s'ella vi parla la parola sua, ò quella di Dio, e cosi facendo saperete che vi bisogna fare, se la Scrittura sara la regola della vita vostra non l'authorità di persona alcuna: dõandate, cercate, picchiate, e vi sera aperto, accostateui al vostro charo sposo, il qual le contẽplarete nella sua parola, vero e chiaro specchio, nel quale riluce tutta la scientia à nôi necessaria. Iddio per Christo faccia che io non habbia scritto in darno: il che non ho fatto senza dolore del mio stomacho, ma dio volesse che con la mia morte io potessi giouare a voi & ad altri nelle cose della salute.

Di gratia scriuetemi vna volta come state.

La vostra Olympia.

D. O. M.

D. O. M. TRINO & VNI S.

Andreæ Grunthlero Sueuifordiano, magnæ peritiæ viro medico & philosopho, qui simulatque Schola, in qua vix dum ab exilio profiteri artem cœperat, pestis metu hîc dissiparetur, solui à corpore exoptauit, proq; voto solutus est, non tædio solo amissæ incomparabilis exempli sociæ ac côiugis Mineruæ suæ (erat enim in omni fortuna homo modestissimus) sed vt ex densa hac rerum cœlestium ignoratione in lucem traductus aberrationibus, Deum non amplius offenderet, hîc in spem resurrectionis quiescenti sodalis sodali, medicus medico Guilielmus Rascalonus posuit.

OLYMPIAE FVLVIAE MORATAE, VATIS diuinæ Carminum Liber primus.

Ψαλμος α.

Μάκαρ, ὅστις γ' οὐδὲ κακοῤῥαφίῃσι βεβήλου
πειθόμενος διάγει βίον. οὐδ' ἀν' ἀταρπὸν ἀλιτροῦ
Δηθύνει, καὶ ἐπὶ κλισμῷ μὴ ἵζεται οὔλου
Ἀνέρος, ἀλλὰ θεοῖο νόμος νύκτας τε καὶ ἦμαρ
Πάγχυ μετὰ φρεσὶ μέμβλεται αὐτῷ νωλεμὲς αἰεί.
Ἠΰτε τηλέθοον δένδρον πεφυτευμένον ἀμφὶ
Ἀενάου ποταμοῖο ῥοὰς, καρπῷ βέβριθεν
Ὡραίῳ, τοῦ δ' οὐκ ἄνεμος χθονὶ φύλλα πελάσσει.
Ὡς ἀνὴρ φρένα τερπόμενος θεσμοῖσι θεοῖο
Ἀνθήσει διὰ παντὸς ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ,
Ἔργοισιν δὲ πρόπασιν ὅσ' ἔρξῃ ὅδ' ὄλβος ὀπηδεῖ.
Αὐτὰρ ἀνὴρ ἀθεμίστιος ὠθεῖται ἔνθα καὶ ἔνθα
Ἄχνη ὥς, τὴν εἰλιφόωσα φέρει ἀνέμων ἴς.
Οὐδὲ μὲν οὐδὲ ἀνάρσιοι δικαίων ἐν ὁμίλῳ
Ἀνστήσοντ', οὐδ' εἰν ἀγορῇ ποτὲ κυδιανείρῃ.
Ὡς μὲν γὰρ Θεὸς ἐκτελέει ὁδὸν ἀνέρος ἐσθλοῦ,
Ὡς δὴ τηϋσίην ἀν' ὁδὸν στείχουσι βέβηλοι.

OLYMPIAE FVL. MORAtæ Carolo Vtenhouio Interprete

PSALMVS PRIMVS.

O Fortunatum, qui nec vesana malorum
Consilia amplectens peragit sine crimine vitam,
Impia nec reprobi sequitur vestigia vulgi,
Nec scurrilis adit damnosa sedilia turbæ:
Quin potius Domini *legem noctesq; diesq;*
Aßiduè toto meditatur pectore secum.
Ac veluti ripas prope consita fluminis arbos
Prægrauidos edit maturo germine fructus,
Cuius humi frondes Boreæ prosternere nulla
Vis queat: haud aliter, cui lex diuina placebit,
Iugiter in terra multorum altrice vigebit.
Impius at contrà, nunc huc, nunc fluctuat illuc
Haud secus ac paleæ, quas turbinis exagitat vis.
Ergo nec in cœtu consistet turba bonorum
Impia. conspicuum nec iudicis ante tribunal:
Namq; viam Domino *bene fortunante piorum,*
Ipsa ruet properè gens impia mole ruinæ.

Ψαλμ. β.

Τίπτε τόσος θνητῶν ἀνδρῶν ὀρυμαγδὸς ὀρώρει;
Τί κλονέουσ' οἱ λαοὶ ἐτώσια μοχθίζοντες;
Σκηπτοῦχοι, βασιλεῖς, ἀρχοί θ' ὁμοῦ ἠγερέθοντο
Σύμπαντες κακὰ μητιόωντες ἐνὶ φρεσὶν ᾗσιν,
Οὐ θνητῷ βροτῷ, ἀλλὰ Θεῷ καὶ Χριστῷ ἄνακτι.
Καρτερὰ δεσμά, λέγοντες, ἀπὸ χροὸς ἡμετέροιο
Ῥίπτωμεν, καὶ ζεύγεα τῶνδε βαλῶμεν ἀφ' ἡμέων.
Τῶν δ' αἰὼν γελάσει μὲν, ὃς οὐρανῷ ἐμβασιλεύει.
Αὐτὰρ ἔπειτα χολωσάμενος, μῦθον γ' ἀγορεύσει
Καρτερὸν, ὅς κείνων δείξει φρένας, ἠδὲ ταράξει.
Τούτῳ γὰρ Χριστῷ βασιλεύτατον ἔμμεναι ἄλλων,
Ἠδὲ Σιὼν ἱερὸν κατακοιρανέειν ἐπέτελλεν,
Ὃς μυθεῖται ἅ μιν κέλεται Θεός· υἱὸς ἔγωγε
Εἰμὶ Θεοῦ, μέ τ' ἐγείνατο σήμερον, ἔργα φύλωτε
Αὐτῷ εἰσάμενον· καί με πρὸς μῦθον ἔειπεν.
Αἴτεε μ' ὄφρα λάχῃς κλήρῳ τεῷ ἔθνεα φωτῶν.
Σκῆπτρον γάρ τοι δώσω ἐγὼν ἵνα ἶφι ἀνάσσῃς
Πάντεσσ' ἠοίοις, ἠδ' ἑσπερίοις ἀνθρώποις.
Οὓς σὺ δὲ σκηπανίῳ τρίψεις αἴθωνι σιδήρῳ
Ῥηϊδίως, ὥσ' ἄγγος ὃ μὲν κεραμεὺς κάμε χερσί.
Τοὔνεκα νῦν βασιλεῖς πάντες τε δικασπόλοι ἄνδρες
Οὐκ ἔτ' ἔοικ' ἀπινυσσέμεν, ἀλλὰ νοήμονας εἶναι,
Ἠ δὲ Θεὸν τίειν ταρβέοντας, ἀγαλλομένους τε.
Καὶ προσπτύξασθαι τέκος, ὄφρα μὴ αἰπὺς ὄλεθρος
Υ̓́μμιν ἐπιρρέπῃ αὐτίκ' ἐκείνου ὀδυσσαμένοιο.
Αὐτὰρ τρισμάκαρες τούτῳ πίσυνοι βασιλῆϊ.

ψαλμ.

PSALMVS II.

VNde fremit tāto genus heu mortale tumultu?
Quid populi turbantur inania desudantes?
Mutua sceptrigeros agitat vesania Reges
Atq; duces, animo fraudesq; dolosq; parantes.
Ha fortem contra Dominum Christumq; potentem,
Quin age dicentes, nostro de corpore duros
Proijcimus nexus, iuga quin prohibemus eorum
Talia iactantes, cœlis qui præsidet altis,
Ridet, & iratus sermone affatur acerbo,
Quo simul & mentes percellat & arguat horum.
Hunc ego constituam regem super omnia Christum,
Vt ferat in sanctum regalia sceptra Sionem,
Qui loquitur quæcunq; loqui Deus imperat ipsum:
Tu meus es, dicens proles carissimu natus,
Lux hodierna mihi genitum te reddidit orbi,
Posce age nate, feres, En hoc tibi defero sceptrum,
Solus vt Hesperijs domineris, solus Eois.
Quos candente tui confringes cuspide sceptri,
Tam facilè ac fragilem figulus quam finxerit ollam,
Nunc igitur Reges, simul omnes denique, quorum
Arbitrio paret vasti custodia mundi,
Discite iusticiam læti, pauidaq; colatis
Mente Deum: & natum amplexu foueatis amico.
Ne vobis (subitam quando exardescet in iram)
Ingruat interitus: tunc terq; quaterq; beati,
Huic qui confiduut non ficto pectore REGI,

Ψαλμὸς κγ.

Ὁ Λύμπου μεγάλου βασιλεὺς καὶ γῆς πολυφόρβου
Ποιμαίνει με. τίνος δ' ἀδήσομαι; ἐν μαλακῷ γὰρ
Λειμῶνι εἶσεν ἐμ', ἔνθα ῥέει καλλίρροον ὕδωρ,
Ὡ με ψύχει, ὅταν με πόνος φρένας ἀμφιβεβήκει.
Αὐτὸς ἄγει με δικαιοσύνης πρὸς ἀταρπιτὸν ἰθύς,
Οἰκτιρμοῦ μεγάλου καὶ κύδεος εἵνεκ' ἑοῖο.
Εἰ δ' ἀΐδαο πελώρου ἀνὰ ζόφον ἠερόεντα
Φοιτῶ, ὅμως νόος ἐν στήθεσσι μοι ἄτρομος ἔσται.
Τοίνυν μὲν γὰρ ἀεὶ μοι παρμέμβλωκας ἀρήγων,
Καὶ ῥάβδος, ῥόπαλόν τε τεόν με πεσόντα ἐρείδει.
Καλὴν εὐξεστόν τε τράπεζαν ἐμοὶ προὔθηκες,
Ἦ μέγα μοι κρατερόν τε μένος δῶκας, ὄφρα δαμάσσω
Δηΐους ὑπὸ χερσὶν ἐνὶ κρατερῇ ὑσμίνῃ.
Ἤλειψας δὲ κάρη λίπ' ἐλαίῳ καὶ μοι ἄλεισον
Δῶκας ἐνίπλεον ἐντυώων μελιηδέος οἴνου.
Αἰεὶ γοῦν ἐλεεῖς ἐμὲ κοίρα, ἵν' ἤματα πάντα
Ναιετάω τεὸν ὑψηρεφὲς μέγα δῶμα, καλόν τε.

Ψαλμὸς λγ.

Ὑμνήσω σε πάτερ νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα,
Ἐν σοὶ ἐγὼ λήξω, σέο δ' ἄρξομαι, ὄφρα μετείω
Ζωοῖσιν, καὶ ὁρῶ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.
Μοῦνον σοὶ γαυροῦμαι ἄναξ ἀφιδείκετ' ἀνάκτων.
Τοίνυν γὰρ μοῦνος μοι κῦδος ὑπέρτατον ἐστί.
Ὑμεῖς δ' ὧν παχνοῦται ἐνὶ φρεσὶν ἄλκιμον ἦτορ
Χαίρετε, καὶ ξυναείδετε μοι Θεὸν αἰὲν ἐόντα.
Αὐτὸς μὲν γὰρ τειρομένους ὀδύνῃσι κακῇσιν

Οἰκτείρει

PSALMVS XXIII.

CVm me stelliferi summus regnator Olympi,
Frugiferiq; soli pascat, quid plura requiram?
In loca me ducit molli viridantia prato,
Hîc vbi lene sonans vitreæ fons labitur vnda.
Lætitia pectus complens, me tramite recto
In loca iustificæ perducit tuta salutis,
Ipsius ob numen, maiestatemq; verendam.
Seu stygis obuerser speluncis abditus atris,
Mens mea te spectans, mihi pectore firma sedebit,
Me pedumq; tuum firmat, baculusq; cadentem:
Plena mihi lautis apponis fercula mensis,
Insuper & tribuis validum mihi robur in hostes,
Balsameoq; meum caput vnguine perfudisti:
Mellifluoq; mero plenum cratera dedisti.
Me pater ergo tui clementia summa fauoris,
Prosequitur: quare ipse tui sublimia templi
Tecta colam semper, dum spiritus hos reget artus.

PSALMVS XXXIIII.

TE pater aßiduè noctesq; diesq; sonabo:
Donec & aspiciam radiantia lumina solis:
Te solum extollam, Rex illustrißime Regum.
Tu si quidem summum decus es, mea gloria solus.
Vos igitur, quorum consumit pectora mœror,
Ponite tristiciam, Dominum celebremus ouantes:
Solus hic afflictos grauiter miseratur egenos:
Solus opem præstat cunctis mortalibus, illum

Οἰκτείρει τε, καὶ ἀφάων ἐπακούει ἁπάντων.
Οἵ μιν κικλήσκουσιν ἐπὶ ξυροῦ ἤδη ἐόντες.
Κ᾽αὐτὸς ἐγὼ διζήμενος ὀτραλέως μιν ἐφεῦρον,
Καὶ με σάωσεν, ἅπαντας μοι ἐκ δέος εἵλετο γυίων.
Οςις δ᾽ ἀχνύμενος καλέει τοῦτον βασιλῆα,
Οὐκ αἰδοῖ τούτου ποτ᾽ ἐρυθριάουσι παρειαί.
Οςις δ᾽ ἤϋσεν μέγ᾽ ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων,
Τοῦτου ἄκουσε βοῆς, καὶ μιν κακότητος ἔλυσεν.
Αλλὰ καὶ ἄγγελοι ἀμφὶ τὸν εὐσεβέα στρατιοῦνται
Εν πάντεσσι πόνοισί οἱ ἀοσσητῆρες ἐόντες.
Ω θνητοὶ φράζεσθε κατὰ φρένα, καὶ κατὰ θυμὸν,
Ως Θεὸς ἄμμι πολύσπλαγχνος καὶ μείλιχός ἐστι.
Ω μάκαρ, ὃς ῥα πέποιθ᾽ αὐτῷ, καὶ αἰδέετ᾽ αὐτόν.
Οὐ γὰρ τοιοῦτός ποτε τευ δευήσεται, ἀλλὰ
Τούτῳ ἅλις βιότοιο τε καὶ μέγας ὄλβος ὀπηδεῖ.
Η μὰν ἀνέρες ἀφνειοὶ βιότοιο χάτιζον.
Αἰδόμενοι δὲ Θεὸν πατέρ᾽ ὄλβον ἀπήμον᾽ ἔχουσιν.
Αλλ᾽ ἄγετ᾽ ὦ παῖδες πυκινῶς ὑποθήσομαι ὑμῖν,
Μοὶ πείθεσθ᾽, ἐγὼ αἰδεῖσθαι Θεὸν ὔμμε διδάξω.
Υμέων εἴ τις ἐϋφροσύνας διάγειν ἐθέλησι,
Τὸν χρὴ ἔχειν γλῶσσαν, ἵνα μηδὲν ἔπος κακὸν εἴπῃ,
Μηδὲ δολοφρονέοντ᾽ ἀγορευέμεν, αὐτὰρ εὖ ἔρδειν.
Ποιεῖσθαι δὲ ποτὶ Θεὸν εἰρήνην, ποτί τ᾽ ἄνδρας.
Οὐ γάρ πω Θεὸς ὅσσε δικαίου ἀποτρέπει ἀνδρὸς,
Αλλὰ πανεισάμενος μὶν ῥύεται ἠδὲ φυλάττει.
Αὐτὰρ ὑπόδρα ἰδὼν τὸν ἀτάρσιον ἄνδρα δοκεύει,
Οφρα μὶν ἄγνωστον τεύχη πάντεσσι βροτοῖσιν.
Αλλοτε λισσόμενοι μὶν χεῖρας ἀνέσχεν οἱ ἐσθλοὶ,
Αὐτὸς δὲ κλύεν εὐχομένων σφίσι λοιγὸν ἀμύνων,

Κἄγχι

Implorantibus extremo in discrimine rerum:
Ipse etenim Dominum nuper cùm quærere vellem,
Protinus exhibuit quæsiti munera voti,
Eripiens summis mea saucia membra periclis,
Ergo & opem Domini qui corde dolente requirit,
Huius erit nullo facies suffusa pudore.
Nam simul vt luctum hic testantia verba profudit,
Audijt, ærumnis cunctisq; repentè leuauit.
Quid quòd & Angelici, fidissima turba ministri
Præstò solent cunctis Dominum metuentibus esse.
Noscite mortales, perpendite mente sagaci,
Quàm Ioua sit vobis clemens pater, atq; benignus:
Qui Domino fidit, Dominum reuerenter adorat,
Ille beatus erit, rebusq; opulentus opimis.
Adde quòd & dites rerum torquebit egestas,
Qui Dominum metuent, non vllis rebus egebunt,
Verùm agite ô pueri, docilis mea cura, iuuentus
Vos ego prudenter, mihi fidite, cuncta docebo,
Nempe Deus vobis qua sit ratione colendus.
Hunc igitur, vitam qui ducere cunq; beatam
Expetit, ille suam ne subdola fortè loquatur,
Néue malum, validis linguam constringat habenis:
Sit pietatis amans, pacis studiosus, & æqui.
Non etenim iustos Deus auersabitur vnquam,
Sed propè circunstans hos protegit atq; tuetur.
Aspiciens contrà sceleratos lumine toruo,
Tollat vt illorum de tota nomina terra.
Cumq; pius Domino, passis ad sydera palmis,
Supplicat, exaudit vocem gemitumq; precantis;

Κ' ἄγχι παριστάμενος κεκακωμένον ἄνδρα φυλάττει,
Καὶ τετλημένῳ ἦτορ ἐπάῤῥοθός ἐστι τῷ ἀνδρὶ.
Πολλὰ μογοῦσι δίκαιοι, ἀτὰρ παύσει Θεὸς αὐτοὺς
Σύμπαντος κλαυθμοῖο, γόοιό τε δακρυόεντος,
Αὐτῶν ἐνδυκέως καὶ τ' ὀστέα πάντα φυλάττων,
Τῶν οὐδέν ποτε ῥήξεται οὐδεὶς οὐδὲ κεάσσει.
Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἀθεμίσια εἰδὼς,
Ὅσις τ' ἐχθαίρει θεοείκελον ἄνδρα δίκαιον,
Οὔποτ' ἀναίτιος, ἀλλὰ μάλ' αἴτιος ἔσσεται αἰεί.
Οἱ δὲ Θεῷ πίσυνοι μάλ' ἀναίτιοι αἰὲν ἔσονται.
Λύσει ὅγ' οὓς θεράποντας, ἄποινα διδοὺς φίλον ἦορ.

Ψαλμ. μς.

Τῶν ὀϊζυρῶν βροτέων ἀρήγων
Χ' εἶλαρ ἀῤῥηκτον πέλεται Θεὸς μοῦ,
Ὃς κ' ἀοσσητὴρ μόνος ἤλυθεν τοῖς
πολλὰ μογοῦσι.
Τοὔνεκ' οὐ δείσεις ἐμὸν ἦτορ οὐδὲν
Εἴκε πρόσθαλμον ἅμα πᾶσαν αἶαν
Κ' οὐρέ' ὠθεῖσθαι σκιόεντα λαίσης
εἰς ἁλοσύδνην.
Ἢν γὰρ αἰπεῖν' ὑψικόμων κάρηνα
Οὐρέων πλήρης συγκροῖσι πόντος
Ῥεύμασιν, κ' αὐτὴν ὀρθωῖοι αἶαν
Εὐρυοδείην.
Ἔσθ' ὁμῶς κρουνὴ πόλεως θεεργοῦ
Ἱερὴ λευκὸν προχέουσα ῥέεθρον,
Δῶμα θέλξουσι χρυσοφανὲς Θεοῦ τοῦ
αἰὲν ἐόντος.

Subuenit & clades subitò profligat & arcet.
Consilioq́; iuuans inopes succurrit amico,
Auxilium præstans contrito pectore cunctis,
Multa ferunt iusti sed eos clementia tandem
Numinis ereptos luctu, gemituq́; leuabit:
Ossaq́; quin studio custodiet omnia tanto
Confringi vt nullo patiatur tempore: Verùm
Improba quisquis agit, quisquis scelera impia patrat,
Ipse suo sibi iumento mala plurima conflat.
Asseret ille suos seruos sibi, splendida donans
Pro seruis carum redimendis præmia natum.

PSALMVS XLVI.

Xysto Betuleio Interprete.

EST salus nobis Dominus benigna,
Est fuga præsens miseris asylum,
Robur est firmis, mediisq́; malis
Auxiliator.
Nullus hinc certò timor esse debet,
Pectus afflictum tibi, si vel omnis
Orbi insurgens premat, atq; montes
Præcipitentur.
Nanque si diræ iuga rupis altæ.
Impetu sæuo maris æstuosi
Irruant fluctus, quatiantq́; terram
Vndique latam.
Vrbe sed dura scaturit perennis
Limpidi fontis liquor, atque celsæ
Arcis oblectat nitida Tonantis
Culmina summi.

Τῇ πόλει ταύτῃ γε γοῦν ἶφ' ἀνάσσει
Αὐτὸς ἀνθρώπων βασιλεὺς, θεῶν τε
Κοίρανος, κ' οὐδεὶς πόνος, οὐδὲν αὐτὴν
ἄλγος ἱκάνει.
Φῦλα μὲν λαῶν μεγαλοκρατούντων
Πολλὰ καὶ πολλοὶ βασιλεῖς ἐς ἡμᾶς
Ορμέονται, τῷ θορύβῳ κλονεῖται
ἡ χέτα γαῖα.
Αὐτὰρ ὁ κρείων κρατερὸς μαχίμων
Κοίρανος, πάσης στρατιᾶς ἀγαυὸς
Αρχὸς, ἡμῶν χ' ἡμετέρων ἀρωγὸς
κ' οὖρος ἐφάνθη.
Ωθνος ἀνθρώπων μαθὲ πάντ' ἐκείνου,
Ως κάλ' ὡς θνητὰ τέτυκται ἔργα,
Εν τε γῇ, κἂν δώμασιν οὐρανοῖο
ἀστερόεντος.
Τὴν μάχην αἰνὴν βροτέων καθεῖλε,
Τἄγκυλον τόξον κατέαξεν, ἄξεν
Εγχος· αὐτοὺς δ' αὖ πυρὶ κῆ' ἐκείνους
λαμπετόωντι.
Εἰς ἐμ' ἄθρησον, πολέμαρχος εἶπε
Κοίρανος, ποῖον κράτος, ὅπλα ποῖα,
Εστί μοι, μένος κρατέω βροτῶν τε
κ' οὐρανιώνων.
Αὐτὸς ὁ κρείων κρατερὸς μαχήμων,
Κοίρανος πάσης στρατιᾶς ἀγαυὸς
Αρχος, ἡμῶν χ' ἡμετέρων ἀρωγὸς
κ' οὖρος ἐφάνθη.

ψαλμ.

Vrbis ast huius Dominus creator,
Ipse qui totum moderatur orbem,
Hanc colit, tutam facit, indè abarcet
Cuncta pericla.
Totius mundi populi potentes
Principes orbis truculentiores
Arma si sæuo moueant tumultu
Bella gerentes:
Fortior multò tamen Imperator,
Summa rerum quem penes est, & ipse
Viribus pollet, Ioua rector orbis
Eripiet nos.
Ergo mortales oculis videte,
Discite, & quantum à Domino iuuentur,
Quanta sint cœlo bona, quanta terra,
Quanta potestas.
Bellicos motus abiget, potentes
Viribus franget validos & arcus,
Reddet obtusos gladios, & igne
Plaustra cremabit.
Summe dic Princeps: mea sceptra cerne,
Hoc meum robur, mea tela & arma:
En potens vobis Dominus, Deusq;
Laus mihi soli.
Fortior multò tamen Imperator,
Summa rerum quem penes est, & ipse
Viribus pollet: Ioua rector orbis
Eripiet nos.

Ψαλμὸς ξθ.

ΣΠεῦδε Θεός μοι λοιγὸν ἀμυνέμεν ὅττι τάχιστα,
Πάντων σύγχεε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἀλειτῶν,
Οἳ πειρῶνται ἐμὴν ψυχὴν ἄϊδι προϊάπτειν.
Αἴσχυνε σφᾶς, καὶ δὸς ἄναξ χάζεσθαι ὀπίσσω,
Καὶ θὲς ἐλεγχίστους πάντας κακά μοι φρονέοντας,
Φευγόντων τάχα πρόσθε πάλιν ἀπ' ἐμοῖο κατηφεῖς,
Οἵ ῥα προσαυδῶσιν ἐμὲ κερτομέοις ἐπέεσσι.
Χαιρόντων δὲ μέγ' οἵ δι φῶσι σε ποιμένα λαῶν,
Αἰνεόντων τέ σε καὶ μάλα τιόντων διὰ παντὸς,
Οἳ τεὸν υἱὸν ἀλεξίκακον περὶ κηρὶ φιλοῦσιν.

* * *

Ἀλλ' ἐγὼ εἰμὶ πένης πυκνῶς ἀκαχημένος ἦτορ.
Σπεῦδε Θεός μοι λοιγὸν ἀμυνέμεν ὅττι τάχιστα.
Σπεῦσον ἄναξ Θεὸς εἰς ἐμὲ, κοίρανε μὴ δηθύνῃς.

Ψαλμ. ρηδ.

ΩΣ ὄρως αἰπὺ Σιὼν μένει ἔμπεδον ἀσφαλὲς αἰεὶ,
Ὣς πέπσυνοι Θεῷ οὐ δηΐων ὑπὸ χερσὶ πεσοῦνται.
Χ' ὡς Σολύμων πτολίεθρον ὄρεσφι κεκλησμένος
Ὣς περὶ λαὸν ἑὸν Θεὸς ἄῤῥηκτον πέλεθ' ἕλαρ. (ἐστὶν,
Τοὔνεκα τοῖς ἐσθλοῖσιν ἀτάσθαλα μηχανόωντες
Οὐκ αἰεὶ κρατέοντες ἀνάξουσ', ὄφρα πιθήσῃ
Ἐσθλὸς ὑποσχεσίῃσι Θεοῦ, πίστιν τε φυλάξει.
Ἐσθλὰ μὲν ἀνδράσιν ἐσθλοῖσιν δὸς ἄναξ, Σολύμους τε
Πᾶσ' ἀγαθοῖσιν ἐπ' εἰρήνης θάλλειν. καὶ ἀλιτροὺς,
Ὡς κοτέουσας, ὄλεσσον, ἰδ' αἰσερὰς ἄλλο προσάλλους.

ψαλ

PSALMVS LXX

MAturato Deus properè mihi ferre salutem,
Obruat illorum infamis confusio mentes,
Mittere qui nostras animas conantur ad Or
Fac Deus erubeāt, simul & terga impia vertāt. (cū,
Dedecores illos mihi qui mala cunque minantur
Ocyus aufugiant, subito dent terga pudore,
Qui me proscindunt petulante subindè cachinno.
Atqui te populi pastorem cunque fatentur,
Qui te præ cunctis celebrant, venerantur, honorant,
Atque tuum toto reuerentur pectore natum,
Lætitia nullo puritura fine fruantur:
Ast mihi confracto grauiter, rerum omnium egeno
Maturato Deus properè mihi ferre salutem,
Festinus succurre mihi Ioua, ne cunctère.

PSALMVS CXXV.

HAud secus ac rupes manet inconcussa Sionis,
Sic quibus in Domino fiducia firma, locata est,
Hostili nunquam succumbent Marte perēpto.
Ac veluti montes Solymorum mœnia cingunt,
Sic Deus hunc populum valido circundat asylo:
Non semper iustos vexabit turba malorum,
Ne Domini verbis iustus diffidat amicis.
Propitius Deus esto bonis: fac pace fruantur
Aeterna Solymi, diuinæ pacis alumni.
At tu perde viros sceleratos, perde nocentes.

Ψαλμὸς τοῦ Δαβίδ ἔξω τῶν ρν.

Μικρότερος μὲν ἔην δέμας ἐν μεγάροισι τοκήων,
Ἠδὲ κασιγνήτων ὁπλότερος γενεῇ.
Εἰροπόκους τ᾽ ὄϊας ποίμαινον ἀν᾽ οὔρεα μακρά,
Καὶ σύριγγι καλῇ θυμὸν ἔτερπον ἐμόν.
Γνωτοὶ δ᾽ ἦσαν ἐμοὶ μεγαλοί τε καὶ εἶδος ἄριστοι,
Ἀλλ᾽ οὐ σφὶν χαῖσμεν σώματος ἀγλαΐη.
Σκῆπτρον γὰρ μοι δῶκεν ὁδ᾽, ὧπερ ἅπαντα μέμηλε,
Συμπάντων κτίων πάνθ᾽ ὁρόων τε Θεός.

ΤΕΛΟΣ.

OLYMPIAE EPIGRAMmata aliquot Graecè,

περὶ Χριστοῦ σταυροθέντος.

Ὡς ὀφέων ποτὲ τὸν κεκακωμένον ἕλκεϊ λυγρῷ
Χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ χάλκεος ἄλθεν ὄφις.
Ὡς ὃν μὲν βροτολοιγὸς ὄφις δάκεν, ἄλθεται αἶψα
Εἰς Θεοῦ υἱὸν ἰδὼν ὑψός ἀειρόμενον.

Ἐπιτά-

PSALMI DAVIDIS EXTRA ILLOS CL.

Non erat in patria me quisquam iunior aula,
Corpore nec fratrum me minor vllus erat.
Lanigeras paui pecudes in montibus altis,
Mulcebatq; animum fistula grata meum.
Et licet insigni fuerint mihi corpore fratres,
Nil tamen his quicquam profuit ille decor.
Nā dedit ille mihi, quem sunt penes omnia sceptrum,
Qui cunctos audit, cuncta videtq; Deus

Finis Psalmorum.

OLYMPIAE EPIGRAMATA tria, eodem Vtenhouio interprete.

DE CHRISTO CRVCIFIXO.

Aeneus vt serpens vasto medicatus in agro est
Hunc, qui serpentum vulnere læsus erat:
Haud secus aspiciens Christum super alta leuatum
Protinus hic sentit, sit licet ictus, opem.

Ἐπιτάφιον εἰς Ἰωάννην τὸν λινδεμαννὸν, ἐκκλησιαστήν.

Ἔνθα κατὰ δυνηθέντα βροτὸν χθονὶ γαῖα καλύπτει,
 Ὃς ποιμαίνεσκεν πάντα καλὰ Θεοῦ.
Ὅς τ' οἴων ἕνεκα πλεῖστους ἐμόγησεν ἀέθλους,
 Τὰς μὲν ῥυόμενος, μαρνάμενος λύκοις.
Νῦν δὲ μιν ἀργαλέου καμάτοιο μίνυνθ' ἀπολήγειν,
 Εὕδειν τ' ἐν τύμβῳ Χριστός ἄνω γε Θεός.
Ὄφρα μὴ ὅσσα γε κήδε' ἅπασι βροτοῖσιν ἐφῆπται
 Ὀφθαλμοῖσιν ἴδῃ, μηδὲ κακόν τι πάθῃ.
Ἀνστήσει δὲ Χριστός ἑὸν τάχα μηλοβοτῆρα
 Σήματος ἐξαγαγὼν ἤματι τῷ πυμάτῳ.

Εὐχαὶ γαμικαί.

Ἐκ τρυκρεῖον ἄναξ πάντων ὕπατε κρειόντων,
 Ἄρσεν' ὅς, ἔπλασας, θηλύτερόν τε γένος.
Ὡς κ' ἀνδρὶ πρωτίστῳ ἑὴν παράκοιτιν ἔδωκας,
 Ὄφρα τάχ' ἀνθρώπων μή ποτ' ὄλοιτο γονή.
Καὶ θνητῶν ψυχὰς νυμφίῳ τεῷ ἔμμεναι υἱῷ,
 Τόνδ' ἔθελες θανέειν εἵνεχ' ἑῆς ἀλόχου.
Ὄλβον, ὁμοφροσύνην τε δίδου πόσει, ἠδὲ δάμαρτι.
 Θεσμὸς γὰρ πέλεται λέκτρα γάμοιτε τεός.

Ὀλυμπίας τῆς Μωράτης εἰς Βεμβόν.

Κάτθανεν ἀονίδων κῦδος μέγα παρθενικάων
 Βεμβὸς ὁ τῶν ἐνετῶν φωσφόρος εἰναλίων.

EPITAPHIVM IN IO. LINDEMANNVM, VERBI DEI PRÆCONEM.

Conditus hoc tumulo iacet ecce vir incytius ille,
Qui fido Christi pectore pauit oues.
Has propter vitæ discrimina mille subiuit,
Acria cum sæuis bella gerendo lupis.
Huncq́ Deus tandem tumulo requiescere iussit,
Defunctum varijs iam sat in orbe malis.
Ne quæcunq́; manēt homines mala cerneret, aut quæ
Damna premunt, illi perpetienda forent.
Tempus erit, Christi quo mox virtute resurgat,
Vt semel extremam clauserit hora diem.

VOTVM CONNVBIALE.

O Deus omnipotens cunctorū maxime regum,
Masculei generis, fœmineiq́; sator,
Auspice quo primum coniunx sociata marito est,
Scilicet humanum ne genus occideret.
Quiq́; animas hominum sponsam vis cedere nato,
Huncq́ mori fida coniugis ergò sua.
Connubio iunctos, fac opes & gratia iungat:
Est etenim ritus, lectus, hymenq́; tuus.

OLYMPIÆ MORATÆ IN BEMBVM.

Aonidum moritur heu gloria magna sororum
Bembus, qui Venetum lucifer alter erat.

Οὔπερ ἐνὶ βροτέοισι τὸ νῦν ἐναλίγκιος ἐστὶ
　Οὐδεὶς, οὔτ᾽ ἔργοις, οὔτ᾽ ἐπέεσσιν ἀνήρ.
Οὗ θανέοντος ἔδοξεν, ἅμ᾽ ἀστείῃ, πάλιν αὐτὸς
　Εἰσιέναι συγερὸν Τούλλιος εἰς ἀΐδην.

Ὀλυμπίας τῆς Μωράτης εἰς Εὐτυχὸν Ποντανὸν Κελτήν.

Οὔποτε μὲν ξυμπᾶσιν ἐνὶ φρεσὶν ἥνδανε ταὐτὸ,
　Κ᾽ οὔποτε πᾶσιν ἶσον Ζεὺς παρέδωκε νόον.
Ἱππόδαμος Κάστωρ, πὺξ δ᾽ ἦν ἀγαθὸς Πολυδεύκης.
　Ἔκγονος ἐξ αὐτῆς ὄρνιθος ἀμφότερος.
Κἀγὼ μὲν θῆλυς γεγαυῖα, τὰ θηλυκὰ λεῖπον
　Νήματα, κερκίδιον, στήμονα καὶ καλάθους.
Μουσάων δ᾽ ἄγαμαι λειμῶνα τὸν ἀνθεμόεντα,
　Παρνάσου θ᾽ ἱλαροὺς τοῦ διλόφοιο χόρους.
Ἄλλαι τέρπονται μὲν ἴσως ἄλλοισι γυναῖκες,
　Ταῦτα δέ μοι κῦδος, ταῦτα δὲ χαρμοσύνη.

OLYM-

Mortales inter quem nullus hîc æquiparauit,
Seu fecisse iuuit, dicere seu decuit.
Quo vita functo, visa est facundia rursus,
Et Cicero fatis occubuisse nigris.

OLYMPIAE MOR. IN EVTYCHVM PONTANVM GALLVM.

NVnquã eadẽ cũctos mouit traxitúe voluptas,
Mens eadem cunctis à Ioue nulla datur.
Castor equûm domitor, Pollux pugil optimus, ouò
Cùm tamen ex vno natus vterq; foret.
Sic ego fœmina nata, tamen muliebria liqui,
staminaq; & radios, pensaq; cum calathis.
Et placuêre mihi Musarum florida prata,
Parnassusq; biceps, lætificiq; chori.
Matronas alias rapiat sua quamq; voluptas:
Hæc mihi gloria sunt, hæc mihi lætitia.

EIVSDEM DE VERA VIRGINITATE.

Quæ virgo est, nisi mente quoq; est, & corpore virgo,
Hæc laudem nullam virginitatis habet.
Quæ virgo est, vni CHRISTO ni tota dicata est,
Hæc Veneris virgo est, totaq; mancipium.

OLYMPIAE FIDES.

Sic Deus humanam gentem vel semper amauit,
Filium vt vnigenam traderet ille neci.
Sic genus humanum dilexit filius ipse,
Solus vt æternam fuderit ille animam,
Vt qui pacifero poßit confidere Christo,
Viuat, nec sæua morte perire queat.

OLYMPIAE VOTVM.

Dissolui cupio, tanta est fiducia menti,
Esseq; cum CHRISTO, quo mea vita viget.

DOCTORVM VIRORVM QVI vel ad Olympiam, vel de ipsa Olympia, eiusque laudibus scripserunt, Carminum Lib. II.

D. OLYMPIAE DOCTORIS ANdreæ Grunthleri coniugi, fœminæ honestißimæ, doctißimæq; IACOBVS MYCILLVS.

QVÆ Latias Nymphas, quæ vincis Olympia Graias,
Pierij sacro semine nata chori,
Accipe non æquo deductos stamina versus,
Et male Teutonicis carmine texta iugis,

Quæ

Quæ tibi si placent, Phœbo placuisse putabo,
Meq; operæ precium grande tulisse meæ:
n autem à vero tibi deerrauisse videmur,
Plusúe minusúe aliquid, quàm posuisse decet,
Materiæ nouitas culpam, sine vendicet istam
Et veniam ingressis hanc, iter adde nouum.
Nanq; etiam volucres inter non parua sagittas,
Longius à posito pars volat acta scopo:
Nec quæ stridenti iaculo petit eminus hostem,
Perpetuò voti dextera compos abit.

Πέτρος κορτωναῖος ὁ οὐτινέως, εἰς Ολυμπίαν Μωράτην.

Θαύμασεν ὑμνοπόλυς ὁ πάλαι χρόνος εἴ τι γυναῖκας
Πρηξίλλαν, Σαπφὼ, τὴν τε κορίνναν ὁμοῦ,
Μᾶλλον Ολυμπίαν θαυμαζέμεν ἄμμιν ὑπάρχει
Ηδη Φερῥαρίης κόσμον ἐϋκτιμένης.
Οὐ μόνον ἀετίης γὰρ δίζυγός ἐστι δαήμων,
Αλλ᾽ ἔτι τοῦ γλώσσας δίζυγος ἄκρα φέρει.
Τοὔνεκα πᾶς σφοτέρην γενεὴν ὀλβιζέτω ἄμμες,
Κρέσσονα γ᾽ ἡμετέρην αἰὲν αἰεισόμεθα.

GILBERTVS COGNATVS
Nozorenus in Olympiam Fuluiam
Moratam.

Si quo Praxillam & Sapphon doctamq; Corinnam
Mirati veteres iure fuêre viri,

Est nobis mage quàm miremur Olympia, summum
Italici decus, & gloria prima soli.
Quæ fuit Ausoniæ & Gratiæ doctissima lyræ:
Nec minus vtroq; præstitit eloquio.
Sit licet ergo suæ ætatis laudator opimus
Qui volet, hæc præsens nostra beata manet.

ALITER.

Fatidicas quondam mulieres sacra vetustas
Praxillam, Sappho, teq; Corinna tulit.
Nobis insignis celebretur Olympia, nostræ
Aetatis lumen, Ferrariæq; decus.
Parnaseo hanc Graiæ decimam pariterq; Latinæ
Pierides cupiunt annumerare choro.
Quid veteres stulti miramur? Nostra liuore
Deposito multum secula laudis habent.

IDEM AD EANDEM.

Imposuit splendens tibi nomen Olympia virtus,
Cognomen mores ingenuusq; pudor.
Ingenij meritis rapiet te clarus Olympus,
Atque tui semper fama superstes erit.

THEODORVS ZVINGERVS BASILLIEN. IN EANDEM.

Extollant veteres licet poetæ
Notam crimine Lesbiam puellam,
Et Musam decimam vocent licenter:
Nos nostram potius piam & pudicam
Laudemus, Latiæ simulq; Graecæ
Linguæ præsidium, decus, magistram:

Cui

Cui mentem Aspasiæ dedit Minerua,
Hermes eloquium, Venusq; formam,
Musæ mellifluos modos canoræ
Suaues Gratiæ, sed tamen pudicos
Mores. Nomine Olympiam vocari
Moratam voluit pater Deorum
Summus, numine cuncta qui gubernat.

IDEM IN EANDEM.

Calliope Latijs iamdudum fessa, camœnis
Et nimium Hetruscis exagitata modis,
Vt comitem studij sociamq; laboris haberet,
Morata eligitur Palladis arbitrio,
Calliope Graijs faueat, sed Olympia nostris
Præsideat Musis, moribus, eloquio.

PHILIPPVS A MARNIX.

Culta fuit quondam Sappho, cantata Corinna,
Et Praxilla etiam magno in honore fuit.
Cur? nisi quòd fragilem sexum vix posse, vetusti
Phœbeo afflari numine crediderint.
Quid si igitur te illud vidisset Olympia seclum
Tantis naturæ dotibus eximiam.
Cui si quid Phœbus, si quid Cyllenius aut quid
Pallas habet, soli id contulit omne Deus.
Siue etenim numeris tantas quid claudere Græcis,
Mæonis in numeros est dea prompta tuos.
Siue mauis Latia versus cantare camœna,
En tibi quæ faueat Musa Maronis adest.

Siue etiam Musis totoq; Helicone relicto
Scribere vis certis verba soluta modis.
Protiuus en tibi Mercurius fluitantia verba &
Nestoreum dulci fundit ab ore melos.
Adde quòd ingenio pietas est grata pudico,
Gratus amor summi est & metus ipse Dei.
Frustra igitur plenis veteres sua secula buccis
Laudant, & frustra sydera ad alta ferunt.
Nostra etenim est ætas felicior, ac mage nostris
Temporibus summa fauit ab arce Deus.

IDEM.

Aetas prisca olim vates doctasq; puellas
Praxillam & Sapphon teq; Corinna tulit:
At nunc Ferrariæ summum decus inclyta nobis
Venit Olympeia iure stupenda magis.

HIERONYMI ANGENOSII IN OLYMPIAM.

Οὐράνιον θνητοῖς ῥαθεὸς ἔκπεμψεν ὀλύμπυ
Μωράτην ὥσπερ τι παράδειγμα σοφῶν.

IDEM LATINE.

Cælestem Deus huc Moratam misit Olympo,
Virtutis specimen vt daret eximiæ.

EIVSDEM AD EANDEM.

Dotibus ex cunctis tibi nil natura negauit:
Hoc vno excepto, fœmina quòd fueris.

EPITA-

EPITAPHIA.

CÆLIVS S. C. IN OLYMpiæ Fuluiæ Moratæ ἀποθέωσιν Hendecasyllabi.

Qui sparsam violis humum viator
Panchæoq́ stupes odore passim
Fragrare omnia, iam benignus audi.
Treis nosti Charitas, nouemq́ Musas
Scriptis percelebres vetustiorum:
Queis quantum est alibi venustioris
Artis, vel lepidæ eruditionis,
Harum pectora nutriente Phœbo, flatu
Illo, quem perhibet chorus sacrorum
Vatum de ætherijs plagis venire,
Consensu tribuunt pari poetæ.
Hoc quam fortè putas tegi sepulchro,
Musarum decima est, Charisq́; quarta.
Hanc, quòd progenitam ferant Olympo
Vatem, Pallis Olympiam vocauit.
At cur Fuluia nomen inditum illi est?
Fului scilicet hæc quòd instar auri
Explorata malis laboriosis,
Et fatis agitata sæpe duris,
Auro purior attamen reperta est:
Seu fuluæ quòd auis modo, beatos
Inter viuere cœlites sueta,
Terras liquerit ocyus iacentes.

Quòd verò ingenio valens sagaci
Raris dotibus ingeni puellas
Interfulserit eruditione.
Castis prædita moribus, bonisq;,
Morata est ideo vocata vulgo.
Hanc CHRISTVS *dominus dedit videndam*
Terris, at simul ac flagrare vidit
Hanc desiderio sui, repentè
In cœlum rapuit, sibiq; iunxit
Firmo fœdere connubi ligatam.
Qui cum nunc placidam capit quietem,
Consors perpetuæ beatitatis.
At tu viue, vale diu viator,
Virtutemq; animo colas probato,
Quæ te sola potest beare cælo.

ANTI-

ANTIQVO FVLVII MORATI PATRIS ET LVCRETIAE MATRIS HOSPITIO, DIVINOQ. OLYMPIAE INGENIO, LITERIS, PIETATI VERAE: NECNON ANDREAE GRVNTHLERI EIVS MARITI MOERORI, CAELIVS SECVNDVS C. HOS HENDECASYLLABOS DEDIT. VIXIT ANNOS NON TOTOS XXIX. MIGRAVIT AD CHRISTVM VII. CALEN. NOVEMBRIS, ANNO CHRISTIANAE SALVTIS M. D. LV. HEIDELBERGAE.

IDEM GRAECE A CAROlo Vtenhouio paulò liberius redditum carmine Anacreontæo,

Partim huius instar

Θέλω λέγειν Ατρείδας.

Partim huius,

Δότε μοι λύρην Ομήρου.

ΟΣ αἰθέων ἁπαίτων
Γαῖαν καλῶν παρέχῃ
Πλήθουσαν, ἠδὲ ζητεῖς
Τίκτειν τόσοις ῥόδοισι
Τίκτειν τόσοις μύροισι
Οζοῦσα γῆ μελίζει
Ανάγνωσον, ἠδ' ἄθρησον,
Υποκειμένους ἰάμβους
Αναπαιστικοῖς μιγθύτας.
Τριάδ' οἴομαι γινώσκειν
Χαρίτων σε, τ' ἐννάδ' ἱρῶν
Σ' ἱερὸν χόρον θεάων,
Ονομ' ἃς καλοῦσι μοῦσας,
Μεγάλων ἀεὶ ποιητῶν
Στομάτεσσιν εὖ κλεούσας.
Φύσις αἷς ἔνεσι πασῶν
Διδαχῶν, τεχνῶν θ' ἁπασῶν,
Αρετῶν μέρη θ' ἁπασῶν,
Μέγα θαῦμα τοῦθ' ἁπασῶν
Βροτέων τε καὶ θεείων,
Φρένας ὧν ὁ φοῖβος ἀσκεῖ,

Ατὰρ

Ἀτὰρ ἐνθάδ᾽ ἣν νομίζεις
Θανάτῳ δαμεῖσαν ἤδη
Κτερεσμένην καθεύδειν,
Χάρις ἐστὶ μὲν τετάρτη,
Δεκάτη τε μοῦσα μουσῶν
Λατίων τε Ατθικῶν τε.
Ὅτι τὴν μὲν ἐξ Ὀλύμπου
Γεγαῦαν ἤγαγε φῶς
Γενέτειρα Παλλὰς αὐτὴν
Καὶ Ὀλύμπιαν κάλεσσε.
Ἐρυθραίαν, ὅτι ἐρυθρὸς
Καθὰ χρυσὸς. ἐν κακοῖσι
Πολέεσσι, κινδύνοις τε
Φοινιχθεῖσα μένη τὰ πολλὰ,
Πολὺ μᾶλλον ἢ φαεινὸν,
Πολὺ μᾶλλον ἢ τὸ πυῤῥὸν
Ἔμεν ἀρέτη μέταλλον.
Ἢ ὅ τ᾽ ὄρνιθος καὶ αὐτὴ
Ἐρυθρῆς δίκην μάκαρσιν
Σὺν ὁμέστιος θεοῖσι
Λίπε γῆς κακῆς βέρεθρον.
Ἐπὶ τῷ τρίτον δ᾽ ἔνεστι
Οἱ ἐπώνυμον γυναικὶ
Λατίων φράσει Μοράτα,
Διὰ τοῦτο μοῦνον, ὅτι
Μέγ᾽ ὑπείροχος γυναικῶν,
Μέγ᾽ ὑπείροχός τε νυμφῶν,
Χαρίτων τε φῶς ἁπασῶν

Αρετῶν τρόποις ἅπασῶν
Πεποκασμένη, καὶ ἠθῶν.
Θεός εἰς βροτῶν ὅμιλον
Εκόμισε τήν δε κούρην
Χρόνον οὖσαν ἔνθα βαιόν.
Τίκτεν ἄρ' γυναῖκα ταύτην,
Τί κόρην λέγω θέαιναν
Πολὺ λώϊον καλοίμην
Ατὰρ ὡς ἐῶ ποτ' αὐτὴν
Εχέμεν πόθῳ κατεῖδεν,
Ες ὄλυμπον αὖ ἀνῆγεν,
Γαμέοις νόμοις τ' ἔζευξεν
Νὶν ἑοῖ Θεὸ μέγιστος.
Παρὰ τῷ, νυνὶ θανοῦσα,
Καμάτων ἄτερ, πόνων τε,
Μαλακοῖσιν ὡς ἐν ὕπνοις,
Ες αἰῶνα παύτοθ' εὕδει.
Σύ καλῶς μὲν οὖλ' ὁ δεῦτα,
Σὺ μὲν εὐτύχει, καὶ ἰρὴν
Αρετὴν σέβε περὶ πάντων.
Αρετὴ μόνη γὰρ αὐτὰ
Δύναται βροτῶν ἁπάντων
Σὲ μακάρτατον ποιεῖσθαι.

Τ Ε Λ Ο Σ.

D. OLYMPIÆ FVL. MORATÆ, QVÆ OBIIT VII. CALEND. NOVEMB. ANNO DOMINI M. D. LV.

EPITAPHIVM.

MICYLLVS FACIEBAT.

Italis hac tegitur telluris Olympia mole,
Pierios inter fœmina prima choros.
Quæ patria quondam cum coniuge ſede relicta,
Ad uada conſedit flaua Sueua tua,
Hîc vbi finitimos exercet vinea Frantos,
Et liquidis iuxta Mœnus aberrat aquis:
Mox ſæuus incenſa fureret cum miles in vrbe,
Ferret & hoſtili ſacra profana manu,
Bis ſpoliata bonis, bis ſæua proxima morti,
Venit ad hæc Nicri flumina iuncta vadis.
Addiderat Muſis Græcorum ſcripta Latinis,
Et pariter lingua docta in vtraq; fuit,
Naturæ ſpecimen rarum felicis, & vna
Ingenio cunctis anteferenda viris:
Sed neq; laudis honos retinet nec gratia parcas,
Occidit, & longa nocte ſepulta iacet.
Cuius tu cineri requiem, placidumq; ſoporem,
Optes, ô hoſpes, cætera morte vacant.

Τέλος.

MEMORIAE OLYMP. MORATAE FOEMINAE DOCTISS. OFEMIANVS I. C.

MOrtalem liquit doctißima Olympia vitam,
Sed quia cum multo fœnore liquit eam,
Non lugere decet: conscendit Ολύμπια namq;
Δώματα, quæ coluit, religiosa deûm.
In cœlo μακάρεσσι φίλη μιχθεῖσα θεοῖσι
Nunc est, cui mundus semper iniquus erat.

EIVSDEM.

Εἴ σαπφὼ δεκάτη μουσάων ἐστὶν ἀδόντων,
Ενδεκάτη γράφετ' Ολύμπια θειοτάτη.

IDEM LATINE.

Si Sappho decimam Musarum dicere fas est,
Vndecimæ meritò nomen Olympia habet.

MEMORIAE ANDREAE GRVNTHLERI MEDICI OLYMPIAE MARITI NOSTRI COLLEGAE.

AMissa socia studiorum & coniuge lecti,
Illa inter Musas quæ numeranda fuit.
Cœlo animã, tumulo huic tua iam Grunthlere dedisti
Ossa, quòd haud vltra viuere dulce fuit.

CHI-

CHILIANI SINAPII I. C. IN OLYMPIAM MORATAM EPITAPHIA.

Omnibus ingenij præcellens dotibus olim
Lumen virginei, fœmineiq; chori,
Interijt lustris nondum ter quinq; peractis,
In Latio qua non doctior vlla fuit.
Moratæ cognomen erat, sed Olympia nomen
Præclarum, clari si quid Olympus habet.
Impia Pontificum detestans dogmata, Christi
Agnouit veram cum pietate fidem.
Marchio Franconicas latè vastauerat oras
Oras, quæ fati causa fuêre sui.
Raptantur ciues, spoliatur Olympia, coniunx
Andreas medica doctor in arte, fugit.
Tandem Heidelbergam venientes omine læuo,
Ad superos spacio scandit vterq; breui.

ALIVD.

Quos syncerus amor vita constrinxit in omni,
Morte quoque auelli non potuêre diu.
Qua iacet Andreas Grunthlerus, Olympia coniunx
Corpus humo posuit, spiritus astra tenet.

ALIVD.

Per varios casus conscendit Olympia Olympum
Splendida, perpetuæ munera lucis habens.
Sacra redemptoris celebrauit dogmata Christi,
Cui nunc cum Christo vita perennis erit.

ALIVD.

Si pietas, mores, candor, doctrina, pudorq́;
Longæua facerent prosperitate frui.
Secula Cumææ vixisset Olympia vatis,
Quæ præmaturo funere rapta iacet.

ALIVD.

Si qua fuit veteres inter laudata puellas
Præstans doctrina, relligionis amans,
Hanc Morata sui superauit Olympia cultu
Ingenij, doctis doctior ipsa viris.
In primis Latiæ linguæ, Græcaq́; perita
Incubuit studijs nocte dieq́; suis,
Sacrarum legum diuina volumina callens,
Eximium peperit nomen & inde sibi.
Proh dolor ante diem concessit Olympia fatis
Digna Sibyllinos viuere sola dies,
Sed tamen hac meliore sui quoque parte superstes
Viuit, & æterna gaudia lucis habet.

ALIVD.

Quali flagrabat quondam Costeria virgo,
Christi, & synceræ relligionis amans,
Impigra cùm veterum turbam sermone diserto
Vicit, & euertit dogmata falsa σοφῶν:
Mente sua tales concepit Olympia flammas
Præ Christo mundi gaudia nulla ferens.
Asseruit Christum dum vixit Olympia, Christi
Defendens veram non superata fidem.

Aliud

ALIVD AD CÆLIVM Secundum Curionem.

Angusto spacio pij fruuntur
Vitæ, quam breuiore derelinquunt
Cursu, deterioribus dierum
Protractus numerus, Deo volente.
Nam quos diligit, ocyus recedunt
Lucis gaudia sempiternæ habentes.
Indulgent superi malis, vt inde
Pectus moribus imbuant probatis.
Sic Morata fuit, breues per annos
In terris, meliore digna vita,
Sic cùm Cælia sit recepta cælo,
Cæli ponere nos decet dolorem.

OLYMPIA, CASPARI STIBLINI EGLOGA.

NOx terris fuscas nebulosa offuderat alas,
Dum capio dulcis gratißima munera somni:
Ecce per obscuras tristi venit horridus vmbras
Latôus cultu. Non illi fulgor ab ore
Consuetus radiat, nec lauri fronde corolla
Nexa virescenti caput ornat, vt antè solebat:
Sed mœstus pullo penitus liuebat amictu,
Tristè gemens, lacrimis humentiaq; ora rigabat,
Inde addit tristes voces, ac talia fatur:
Plangite Pierides uestræ miseranda puellæ
Funera, lanificis nimium properata deabus.

Plangite facundi diuini Heliconis alumni,
Quos fouet in gremio Ioue nata cura Mineruæ.
Occidit indigno cælestis Olympia fato:
Deseruit mœstas cœlestis Olympia terras.
Nostræ decessit prælustris stella choreæ.
Iam Nymphæ lugent, lugent & Oreades omnes,
Per rupes Venus ipsa querens sub valle profunda
Insonat: & Satyræ ruralia numina questus
Ingeminant: Eheu discessit Olympia nostra.
Quæ sæpe Eridani torrentia flumina cantu
Diuino tenuit, medioq; absistere cursu
Impulit, atque imis nos exhilarauit in vndis.
Quæ iuga nubiferi resonabat & Apœnnini,
Ac latè syluas virides, lucosq; sonantes
Demulsit: Quis te demersit Olympia casus?
Ipse licet subitus pauidos tremor iret in artus,
Aio tamen: Causas infaustæ ô Phœbe querelæ
Altius has repetisse iuuet, simul incipit ipse.
Fulsit in Hesperia longè clarissimus vrbe,
Quæ tenet à rigido non infima nomina ferro,
Vir pridem ingenuas cunctis venerandus ob artes:
Nomen erat MORATVS *ei, quia moribus ille*
Præstaret sanctis, vitaq; exemplar honestæ
De se præberet. Ternas ex coniuge natas
Sustulit hic casta, sanctoq; innutrit honesto
Vnguibus à teneris, necnon virtutis amorem
Ingignit, iubet & statim libanina Musis
Ponere prima sacris. Excelluit illa duabus,

Quam

Quam flemus, reliquis, longo discrimine vincens
Doctrina, ingenio, virtutibus, indole, mente.
Applicat ad Sophiæ libros fœcundum lab sacrata
Pectus, & in celsas rupis Parnasidos arces
Suspirat, bis sex cùm vix exegerat annos.
Fauimus egregijs Musæ conatibus omnes,
Atque ego: dum sacris candentia labra rigaret
Fonte Medusæo lymphis carmenq; cieret
Tangere docta fides digitis, vel quale Thalia
Ipsa audire velit, cupiatq; Oeagrius Orpheus
Pro quo Mæoniæ malis vix carmina chorda,
Nec laudes eius, quo floruit Ascra, Camœnam.
Doctiloqua Argolicæ vertebat pulpita gazæ
Sedula, post longa Ausoniæ commertia linguæ,
Nec minus Aonio stringebat versa tenore,
Quàm Latio filo ducebat nobile carmen.
Hinc fama cœli fulgentia contigit astra,
Atque per ora virûm ferri clarissima cœpit:
Hinc domina Eridani tantum decus allicit aulæ
Delicijs, magnoq; simul dignatur honore:
Tanta fuit Morata tui admiratio cantus.
Sed strepitus tandem, & magnos exosa tumultus,
Virgo quietis amans, sublimem deserit aulam,
Ducere sueta prius tranquilla per otia vitam.
At suaues citharæ chordis elidere cantus,
Vtq; sibi socium studij, vitæq; pararet,
Grunthlerum elegit cupidis complexa lacertis,
Quem non obscuro genuit Franconia patre.

Suauis Lesbiaco dum vixit Olympia versu.
Plangite Pierides vestra miseranda puellæ
Funera, lanificis nimium properata deabus.
Alcæi dum Dia sui modulamina Lesbos,
Archilochumq; Paros, nec non Bœotides amnes
Pindarica cithara modulos, Mythelena Pelasgam
Laudabit Sapphô, tam te Germanica rura,
Tamq; diu Hesperiæ laudabunt carmine syluæ.
Talia cùm Phœbus mihi lamentatur ad aures,
Excitor è somno, dixitq; nouissima Phœbus:
Aeternùm viuas ô dulcis Olympia, viuas
Fortuna, tuos pacabunt carmine manes
Vates. Per totum viuet tua gloria mundum.

IOANNIS DAMASII GANDANI.

Lucida quaque sacras auges quod Olympia Musas,
Tam rara merces dotis Olympus erit.
Inuidia es maior, nullus pertingit Olympum
Ventus: Parnaßi culmina sola petit.

DEO

DEO IMM. S.

ET VIRTVTI AC MEMORIAE OLYMPIAE MORATÆ Fuluij Morati Mantuani, viri doctiss. filiæ, Andreæ Grunthleri Medici coniugis lectissimæ fœminæ, cuius ingeniũ ac singularis vtriusq; linguæ cognitio: in moribus autem probitas, summumq; pietatis studium, supra communẽ modum semper existimata sunt. Quod de eius vita hominum iudicium, Beata mors sanctissimè ac pacatissimè ab ea obita, diuino quoq; confirmauit testimonio. Obijt mutato solo à salute D L V. supra Milles. suæ ætatis XXIX. Hîc cum marito & AEmilio fratre sepulta Heidelbergæ.

Guilielmus Rascalonus M. D. B.B. M.M. P.P.

IDEM GRAECE A CARO-lo Vtenhouio paulò liberius redditum carmine Anacreontæo,

Partim huius instar

θέλω λέγειν Ατρείδας.

Partim huius,

Δότε μοι λύρην Ομήρου.

Ος αὐθέων ἁπαίντων
Γαῖαν καλῶν παρέχῃ
Πλήθουσαν, ἠδὲ ζητεῖς
Τίκεμ τόσοις ῥόδοισι
Τίκεν τόσοις μύροισι
Οζοῦσα γῆ μελίζει
Ανάγνωσον, ἠδ' ἄθρησον,
Υποκειμένους ἰάμβους
Αναπαιστικοῖς μιγῶτας.
Τριάδ' οἶομαι γινώσκειν
Χαρίτων σε, τ' ἐννάδ' ἱρῶν
Σ' ἱερὸν χόρον θεάων,
Ονομ' ἃς καλοῦσι μοῦσας,
Μεγάλων ἀεὶ ποιητῶν
Στομάτεσσιν εὖ κλεούσας.
Φύσις αἷς ἔνεσι πασῶν
Διδαχῶν, τεχνῶν θ' ἁπασῶν,
Αρετῶν μέρη θ' ἁ πασῶν,
Μέγα θαῦμα τοῦθ' ἁπασῶν
Βροτέων τε καὶ θεείων,
Φρένας ὧν ὁ φοῖβος ἀσκεῖ,

Ατὰρ ἐνθάδ' ἥν νομίζεις
Θανάτῳ δαμεῖσαν ἤδη
Κτερεσμένην καθεύδειν,
Χάρις ἐστι μὲ τετάρτη,
Δεκάτη τε μοῦσα μουσῶν
Λατίων τε Ατλικῶν τε.
Οτι τὴν μὲ ἐξ Ολύμπου
Γεγαῦαν ἦλθεν ἐς φῶς
Γενέτειρα Παλλὰς αὐτὴν
Καὶ Ολύμπιαν κάλεσσε.
Ερυθραίαν, ὅτι ἐρυθρὸς
Καθὰ χρυσὸς. ἐν κακοῖσι
Πολέεσσι, κινδύνοις τε
Φοινιχθεμένη τὰ πολλὰ,
Πολὺ μᾶλλον ἢ φαεινὸν,
Πολὺ μᾶλλον ἢ τὸ πυῤῥὸν
Ε' μεν ἐρέτη μέταλλον.
Η' ὅ τ' ὄρνιθος καὶ αὐτὴ
Ερυθρῆς δίκην μάκαρσιν
Σὴν ὁμέστιος θεοῖσι
Λίπε γῆς κακῆς βέρεθροι'.
Επὶ τῷ τρίτον δ' ἔνεστι
Οἱ ἐπώνυμον γυναικὶ
Λατίων φράσει Μοράτα,
Διὰ τοῦτο μούνον, ὅτι
Μέγ' ὑπείροχος γυναικῶν,
Μέγ' ὑπείροχος τε νυμφῶν,
Χαρίτων τε φῶς ἁπασῶν

Αρετῶν τρόποις ἅπασῶν
Πεποκασμένη, καὶ ἠθῶν.
Θεός εἰς βροτῶν ὅμιλον
Εκόμισε τήν δε κούρην
Χρόνον οὖσαν ἔνθα βαιόν.
Τίκτεν ἄρ' γυναῖκα ταύτην,
Τί κόρην λέγω θέαιναν
Πολὺ λῷϊον καλοίμην
Ατὰρ ὡς ἐῶ ποτ' αὐτὴν
Εχέμεν πόθῳ κατεῖδεν,
Ές ὄλυμπον αὖ αἰῆγε,
Γαμέοις νόμοις τ' ἔζευξεν
Νὶν ἑοὶ Θεὸ μέγιστος.
Παρὰ τῷ, νυνὶ θανοῦσα,
Καμάτων ἄτερ, πόνων τε,
Μαλακοῖσιν ὡς ἐν ὕπνοις,
Ες αἰῶνα πάντοθ' εὕδει.
Σύ καλῶς μὲν οὖλ' ὁ δεῖτα,
Σὺ μὲν εὐτύχει, καὶ ἰρὴν
Αρετὴν σέβε περὶ πάντων.
Αρετὴ μόνη γὰρ αὐτὰ
Δύναται βροτῶν ἁπάντων
Σὲ μακάρτατον ποιεῖσθαι.

ΤΕΛΟΣ.

D. OLYMPIÆ FVL. MORATÆ, QVÆ OBIIT VII. CALEND. NOVEMB. ANNO DOMINI M. D. LV.

EPITAPHIVM.

MICYLLVS FACIEBAT.

Italis hac tegitur telluris Olympia mole,
Pierios inter fœmina prima choros.
Quæ patria quondam cum coniuge sede relicta,
Ad uada consedit flaua Sueua tua,
Hîc vbi finitimos exercet vinea Frantos,
Et liquidis iuxta Mœnus aberrat aquis:
Mox sæuus incensa fureret cum miles in vrbe,
Ferret & hostili sacra profana manu,
Bis spoliata bonis, bis sæuæ proxima morti,
Venit ad hæc Nicri flumina iuncta vadis.
Addiderat Musis Græcorum scripta Latinis,
Et pariter lingua docta in vtraq; fuit,
Naturæ specimen rarum felicis, & vna
Ingenio cunctis anteferenda viris:
Sed neq; laudis honos retinet nec gratia parcas,
Occidit, & longa noctè sepulta iacet.
Cuius tu cineri requiem, placidumq; soporem,
Optes, ô hospes, cætera morte vacant.

Τέλος.

MEMORIAE OLYMP. MORATAE FOEMINAE DOCTISS. OFEMIANVS I. C.

Mortalem liquit doctissima Olympia vitam,
Sed quia cum multo fœnore liquit eam,
Non lugere decet: conscendit Ολύμπια namq;
Δώματα, quæ coluit, religiosa deûm.
In cœlo μακάρεσσι φίλη μιχθεῖσα θεοῖσι
Nunc est, cui mundus semper iniquus erat.

EIVSDEM.

Εἴ σαπφὼ δεκάτη μουσάων ἐστὶν ἀδόντων,
Ενδεκάτη γράφετ᾽ Ολύμπια θειοτάτη.

IDEM LATINE.

Si Sappho decimam Musarum dicere fas est,
Vndecimæ meritò nomen Olympia habet.

MEMORIAE ANDREAE GRVNTHLERI MEDICI OLYMPIAE MARITI NOSTRI COLLEGAE.

Amissa socia studiorum & coniuge lecti,
Illa inter Musas quæ numeranda fuit.
Cœlo animã, tumulo huic tua iam Grunthlere dedisti
Ossa, quòd haud vltra viuere dulce fuit.

CHI-

CHILIANI SINAPII I. C. IN OLYMPIAM MORATAM EPITAPHIA.

Omnibus ingenij præcellens dotibus olim
Lumen virginei, fœmineiq; chori,
Interijt lustris nondum ter quinq; peractis,
In Latio qua non doctior vlla fuit.
Moratæ cognomen erat, sed Olympia nomen
Præclarum, clari si quid Olympus habet.
Impia Pontificum detestans dogmata, Christi
Agnouit veram cum pietate fidem.
Marchio Franconicas latè vastauerat oras
Oras, quæ fati causa fuêre sui.
Raptantur ciues, spoliatur Olympia, coniunx
Andreas medica doctor in arte, fugit.
Tandem Heidelbergam venientes omine læuo,
Ad superos spacio scandit vterq; breui.

ALIVD.

Quos syncerus amor vita constrinxit in omni,
Morte quoque auelli non potuêre diu.
Qua iacet Andreas Grunthlerus, Olympia coniunx
Corpus humo posuit, spiritus astra tenet.

ALIVD.

Per varios casus conscendit Olympia Olympum
Splendida, perpetuæ munera lucis habens.
Sacra redemptoris celebrauit dogmata Christi,
Cui nunc cum Christo vita perennis erit.

ALIVD.

Si pietas, mores, candor, doctrina pudorq́;
Longæua facerent prosperitate frui.
Secula Cumææ vixisset Olympia vatis,
Quæ præmaturo funere rapta iacet.

ALIVD.

Si qua fuit veteres inter laudata puellas
Præstans doctrina, relligionis amans,
Hanc Morata sui superauit Olympia cultu
Ingenij, doctis doctior ipsa viris.
In primis Latiæ linguæ, Græcæq; perita
Incubuit studijs nocte dieq́; suis,
Sacrarum legum diuina volumina callens,
Eximium peperit nomen & inde sibi.
Proh dolor ante diem concessit Olympia fatis
Digna Sibyllinos viuere sola dies,
Sed tamen hac meliore sui quoque parte superstes
Viuit, & æterna gaudia lucis habet.

ALIVD.

Quali flagrabat quondam Costeria virgo,
Christi, & syncceræ relligionis amans,
Impigra cùm veterum turbam sermone diserto
Vicit, & euertit dogmata falsa σοφῶν:
Mente sua tales concepit Olympia flammas
Præ Christo mundi gaudia nulla ferens.
Asseruit Christum dum vixit Olympia, Christi
Defendens veram non superata fidem.

ALIVD AD CÆLIVM
Secundum Curionem.

Angusto spacio pij fruuntur
Vitæ, quam breuiore derelinquunt
Cursu, deterioribus dierum
Protractus numerus, Deo volente.
Nam quos diligit, ocyus recedunt
Lucis gaudia sempiternæ habentes.
Indulgent superi malis, vt inde
Pectus moribus imbuant probatis.
Sic Morata fuit, breues per annos
In terris, meliore digna vita,
Sic cùm Cælia sit recepta cælo,
Cæli ponere nos decet dolorem.

OLYMPIA, CASPARI STIBLINI EGLOGA.

Nox terris fuscas nebulosa offuderat alas,
Dum capio dulcis gratißima munera somni:
Ecce per obscuras tristi venit horridus vmbras
Latôus cultu. Non illi fulgor ab ore
Consuetus radiat, nec lauri fronde corolla
Nexa virescenti caput ornat, vt antè solebat:
Sed mœstus pullo penitus liuebat amictu,
Tristè gemens, lacrimis humentiaq; ora rigabat,
Inde addit tristes voces, ac talia fatur:
Plangite Pierides uestræ miseranda puellæ
Funera, lanificis nimium properata deabus.

Plangite facundi diuini Heliconis alumni,
Quos fouet in gremio Ioue nata cura Minerua.
Occidit indigno cælestis Olympia fato:
Deseruit mœstas cœlestis Olympia terras.
Nostra decessit prælustris stella choreæ.
Iam Nymphæ lugent, lugent & Oreades omnes,
Per rupes Venus ipsa querens sub valle profunda
Insonat: & Satyræ ruralia numina questus
Ingeminant: Eheu discessit Olympia nostra.
Quæ sæpe Eridani torrentia flumina cantu
Diuino tenuit, medioq́; absistere cursu
Impulit, atque imis nos exhilarauit in vndis.
Quæ iuga nubiferi resonabat & Apœnnini,
Ac latè syluas virides, lucosq́; sonantes
Demulsit: Quis te demersit Olympia casus?
Ipse licet subitus pauidos tremor iret in artus,
Aio tamen: Causas infaustæ ô Phœbe querelæ
Altius has repetisse iuuet, simul incipit ipse.
Fulsit in Hesperia longè clarissimus vrbe,
Quæ tenet à rigido non infima nomina ferro,
Vir pridem ingenuas cunctis venerandus ob artes:
Nomen erat MORATVS ei, quia moribus ille
Præstaret sanctis, vitaq́; exemplar honestæ
De se præberet. Ternas ex coniuge natas
Sustulit hic casta, sanctoq́; innutrit honesto
Vnguibus à teneris, necnon virtutis amorem
Ingignit, iubet & statim libanina Musis
Ponere prima sacris. Excelluit illa duabus,

Quam

Quam flemus, reliquis, longo discrimine vincens
Doctrina, ingenio, virtutibus, indole, mente.
Applicat ad Sophiæ libros puerile sacratæ
Pectus, & in celsas rupis Parnasidos arces
Suspirat, bis sex cùm vix exegerat annos.
Fauimus egregijs Musæ conatibus omnes,
Atque ego: dum sacris candentia labra rigaret
Fonte Medusæo lymphis carmenq́; cieret
Tangere docta fides digitis, vel quale Thalia
Ipsa audire velit, cupiatq́; Oeagrius Orpheus
Pro quo Mæoniæ malis vix carmina chordæ,
Nec laudes eius, quo floruit Ascra, Camœnam.
Doctiloqua Argolicæ vertebat pulpita gazæ
Sedula, post longa Ausoniæ commertia linguæ,
Nec minus Aonio stringebat versa tenore,
Quàm Latio filo ducebat nobile carmen.
Hinc fama cæli fulgentia contigit astra,
Atque per ora virûm ferri clarißima cœpit:
Hinc domina Eridani tantum decus allicit aulæ
Delicijs, magnoq́; simul dignatur honore:
Tanta fuit Morata tui admiratio cantus.
Sed strepitus tandem, & magnos exosa tumultus,
Virgo quietis amans, sublimem deserit aulam,
Ducere sueta prius tranquilla per otia vitam.
At suaues citharæ chordis elidere cantus,
Vtq́; sibi socium studij, vitæq́; pararet,
Gruntblerum elegit cupidis complexa lacertis,
Quem non obscuro genuit Franconia patre.

Ille Machaonia pridem clarebat in arte,
Ingenij præstans iuuenis, formaq́; decorus,
Req́; satis lauta, lingua bene doctus vtraque,
Et qui Morata prorsus sit coniuge dignus.
Is tali patrios repetit consorte penates,
Ingrediturq́; suam cunctis plaudentibus vrbem.
Sed cùm fatali rueret Suinfordia casu,
Sæuiretq́; feris vastator Marchio bellis,
Et vir præsentis fugeret discrimina Martis,
Heu misera in medijs errabat Olympia turbis
Incertum, illius nec erat reuerentia Musis.
Quò se tum rapiat? vel quò vestigia vertat
Tot iactata malis? eiecto ex vrbe marito
Qui solus poterat miseris solatia rebus
Præbere afflictæ, & tantum lenire dolorem.
Hanc tamen elapsam sæuis ex hostibus Heros
Mente Palatinus placida ad sua tecta recepit,
Cumq́; viro fouit lassam saturamq́; laborum.
Plangite Pierides vestræ miseranda puellæ
Funera, lanificis nimium properata Deabus.
Diræ profanorum Mauors stolidissime Diuûm
Contemptorq́; sacræ, quæ recreat omnia, Musæ,
Quem cædes, sanguisq́; beat, stragesq́; virorum,
Vnde tibi furor is, vnde hæc insania ferri,
Vt tantum iuuet innocuos excindere vates?
Qui sæpe infernum cantu flexêre tyrannum,
Eumenidesq́; truces, & cætera monstra paludis
Tartareæ, nulla solus leniris ab arte.

Perni-

Pernicies, luctus, clades, tua sola voluptas
Te cremet ardenti cœlestis Iuppiter igne,
Imponatq; tibi saxosa mole Pelorum,
Aut te in Caucaseas suspendat compede rupes
Arctôas, vt ferre niues, Scythiæq; pruinas
Aeternùm videant Themis, & Pax optima rerum.
Plangite Pierides vestræ miseranda puellæ
Funera, lanificis nimium properata deabus.
Dum sonat Aeolio blandißima carmina plectro,
Dum quoq; sublimem dulci rapit æthera cantu,
Dumq; hominesq; ferasq; trahit, venit horribilis vis
Suaueq; fundentem cithara melos interrumpit,
Qualis ad Ionium vicina morte Caystrum
Emittit liquidam cygnus de gutture vocem,
Dumq; canit vitam languens exhalat in auras.
Plangite Pierides vestræ miseranda puellæ
Funera, lanificis nimium properata deabus.
Quis te diua tuis inuidit Olympia Musis?
Tale quis Ausoniæ casus decus abstulit oræ?
Inclyta quod fausto tulerat Ferraria partu,
Quodq; Teutonicos, paucis voluentibus annis,
Transtulit: aduersum licet infremat Itala tellus:
Quis memorare tuas, quis posset Olympia laudes?
Aut quis triste tuum lacrimarum funus adæquet
Riuis? qua viua Sapphus iactura videri
Iam poterat leuior: fuerat quoq; doctè ferendum
Fatum Alcæe tuum: nec iam te lugubris Alcman
Vrgeret cœtus. Hæc omnia sola leuabat

Suauis Lesbiaco dum vixit Olympia versu.
Plangite Pierides vestra miseranda puellæ
Funera, lanificis nimium properata deabus.
Alcæi dum Dia sui modulamina Lesbos,
Archilochumq́; Paros, nec non Bœotides amnes
Pindaricæ citharæ modulos, Mythelena Pelasgam
Laudabit Sapphô, tam te Germanica rura,
Tamq́; diu Hesperiæ laudabunt carmine sylue.
Talia cùm Phœbus mihi lamentatur ad aurès,
Excitor è somno, dixitq́; nouissima Phœbus:
Aeternùm viuas ô dulcis Olympia, viuas
Fortuna, tuos pacabunt carmine manes
Vates. Per totum viuet tua gloria mundum.

IOANNIS DAMASII GANDANI.

Lucida quaque sacras auges quod Olympia Musas,
Tam rara merces dotis Olympus erit.
Inuidia es maior, nullus pertingit Olympum
Ventus: Parnaßi culmina sola petit.

DEO

DEO IMM. S.

ET VIRTVTI AC MEMORIAE OLYMPIAE MORATAE Fului Morati Mantuani, viri doctiss. filiae, Andreae Grunthleri Medici coniugis lectissimae foeminae, cuius ingeniũ ac singularis vtriusq; linguae cognitio: in moribus autem probitas, summumq; pietatis studium, supra communẽ modum semper existimata sunt. Quod de eius vita hominum iudicium, Beata mors sanctissimè ac pacatissimè ab ea obita, diuino quoq; confirmauit testimonio. Obijt mutato solo à salute D L V. supra Milles. suae aetatis XXIX. Hic cum marito & AEmilio fratre sepulta Heidelbergae.

Guilielmus Rascalonus M. D. B.B. M.M. P.P.

Εἰς Αἰμύλιον τὸν Μωράτον

Ἐπιτάφιον.

Καὶ σ' ἄρα φίλτατε παῖ βροτολοιγὸς ἀφείλετο μοῖρα,
Τ' ἄτεα μὲν νέον ὄντα, νόῳ δὲ γέρουσιν ὅμοιον.
Ὅσπερ ἀεὶ θείοισι λόγους περὶ πᾶσι φίλησας
Καὶ Χριστὸν τὸν μουνογενῆ Θεοῦ υἱὸν ἀδελφὸν
Πιστῶν τεὸν ἔμμεν', ἀπὸ μέλε' ἀμβλέα δύσας
Κάτθανες ἀσπασίως, καὶ ἂν ὀλύμπια δώματα βαίνων
Ἡμᾶς δυστυχίην οἰκεῖν κατὰ γαῖαν ἔλειπες.
Ἡ μὰν ἀργαλέως κοτέει Θεὸς, οὐ μόνον αὐτοὺς
Αἴρων τοὺς ἀγαθοὺς τῶν δυσσεβέων ἀφ' ὁμίλου,
Αὐτὰρ τῶν ἀγαθῶν καὶ ὑπόλοιπα τὰ σπέρματ' ἀναίρων,
Ὄφρα γε μήπω καρπὸν ὀφέλσιμον αἶα προβάλλοι.

LECTORI.

NE & hæc clara atq; erudita fœmina suo honore careret, huc eius elegantem elegiam apponere libuit, etsi in dispari argumento atq; nostra Olympia versetur. Sed prudens Lector, temporis, & personarum, & loci, quibus scripta est ratione habita, quicquid illud est in bonam partem accipiet.

HIPPOLYTÆ TAVRELLÆ Mantuanæ Epiſtola ad maritum ſuum Balthaſarem Caſtellionem apud Leonem X. Pontificem Rom. Oratorem.

Hippolyta εὐπράττειν iam dicit Caſtilioni,
Addideram imprudens, hei mihi, penè ſuo.
Te tua Roma tenet mihi quam narrare ſolebas,
Vnam delicias eſſe hominum atq; deûm.
Hoc quoq; nunc maior quòd magno eſt aucta Leone,
Iam bene pacati qui imperium orbis habet.
Hîc tibi nec deſunt celeberrima turba ſodales,
Apta oculos etiam multa tenere tuos.
Nam modò tot priſcæ ſpectas miracula gentis,
Heroum & titulis clara trophæa ſuis:
Nunc Vaticani ſurgentia marmore templa:
Et quæ porticibus aurea tecta nitent:
Irriguos fontes, hortosq; & amœna vireta.
Plurima, quæ vmbroſo margine Tybris habet:
Vtq; ferunt, lætus conuiuia læta frequentas,
Et celebras lentis ocia miſta iocis,
Aut cithara æſtiuum attenuas cantuq; calorem:
Hei mihi quàm diſpar nunc mea vita tuæ.
Nec mihi diſpliceant quæ ſunt tibi grata, ſed ipſa eſt
Te ſine lux oculis penè inimica meis:
Non auro aut gemma caput exornare nitenti
Me iuuat, aut Arabo ſpargere odore comas.

Non celebres ludos festis spectare diebus,
Cùm populi complet densa caterua forum:
Aut ferus in media exultat gladiator arena,
Hasta concurrit vel cataphractus eques.
Sola tuos vultus referens Raphaelis imago
Picta manu, curas alleuat vsq; meas.
Huic ego delicias facio, arrideoq; iocorq;,
Alloquor, & tanquam reddere verba queat
Assensu, nutuq; mihi sæpe illa videtur
Dicere velle aliquid, & tua verba loqui.
Agnoscit, balboq; patrem puer ille salutat,
Hoc solor, longos decipioq; dies.
At, quicunq; istinc ad nos accerserit hospes,
Hunc ego quid dicas, quid facias'ue rogo.
Cuncta mihi de te incutiunt audita timorem,
Vano etiam absentes sæpe timore pauent.
Sed mihi nescio quis narrauit sæpe tumultus,
Misceriq; neces per fora, perq; vias.
Cùm populi pars hac Vrsam, pars illa Columnam
Inuocat, & trepida corripit arma manu.
Ne tu, ne quæso tantis te immitte periclis,
Sat tibi sit, tutò posse redire domum.
Romæ etiam fama est cunctas habitare puellas,
Sed quæ lasciuo turpiter igne calent.
Illis venalis forma est, corpusq; pudorq;,
His tu blanditijs ne capiare caue.
Sed nisi te captum blanda hæc iam vincla tenerent,
Iam longas absens non paterere moras.

Nam memini cùm te viuum iurare solebas,
Non anima nec me posse carere diu.
Viuas Castilion, viuasq; beatius opto:
Nec tibi iam durum est me caruisse diu.
Cur tua mutata est igitur mens? cur prior ille
Ille tuo nostri corde refrixit amor?
Cur tibi nunc videor vilis? nec vt antè solebam
Digna tori socia, quam paterere tui?
Scilicet in ventos promissa abiêre, fidesq;
A nobis simul ac vestri abiêre oculi.
Hic tibi non forsan subeunt fastidia nostri,
Fortè graue Hippolyta nomen in ore tuo est.
Me tibi, teq; mihi sors & Deus ipse dedêre:
Quodnam igitur nobis dissidium esse potest?
Verùm vt me fugias, patriam fugis improbe? nec te
Cara parens, nati nec pia cura tenet?
Quid queror? en tua mi scribentis epistola venit,
Grata quidem, dictis si modò certa fides:
Te nostri desiderio languere, pedemq;
Quamprimum ad patrios velle referre lares,
Torquerisq; mora, sed magni iussa Leonis,
Iamdudum reditus retinuisse tuos.
His ego perlectis, sic ad tua vota reuixi,
Surgere vt æstiuis imbribus herba solet.
Quæ licet ex toto non ausim vera fateri,
Qualiacunq; tamen credulitate iuuant.
Credam ego quod fieri cupio, votisq; fauebo
Ipsa meis, vera hæc quis neget esse tamen?

Nec tibi sunt præcordia ferrea, nec tibi dura
Vbera in Alpinis cautibus vrsa dedit.
Nec culpanda tua est mora: nam præcepta deorum
Non fas nec tutum est spernere velle homini.
Esse tamen fertur clementia tanta Leonis,
Vt facilè humanas audiat ille preces.
Tu modò & illius nōmen veneratus adora,
Pronaq; sacratis oscula fer pedibus.
Cumq; tua attuleris supplex vota, adijce nostra:
Atq; meo longas nomine funde preces.
Aut iubeat te iam properare ad mœnia Mantûs:
Aut me Romanas tecum habitare domos.
Namq; ego sum sin te, velut spoliata magistro,
Cymba procellosi quam rapit vnda maris.
Et data cùm tibi sim orba viroq; puella parente,
Solus tu mihi vir, solus vterq; parens.
Nec minus ingrata est vita, hei mihi, namq; ego tantum
Tecum viuere amem, tecum obeamq; lubens.
Præstabit veniam mitis Deus ille roganti
Auspicijsq; bonis & tibi dicet, eas.
Ocyus huc celeres mannos conscende viator:
Atq; moram statim rumpe, viamq; vora.
Te læta excipiet festis ornata coronis:
Et domini aduentum sentiet ipse domus.
Vota ego persoluam templo, inscribamq; tabella:
Hippolyta salui coniugis ob reditum.

EPITAPHIVM.

HIPPOLYTAE TAVRELLAE VXORI DVLCISSIMAE, QVAE IN AMBIGVO RELIQVIT, VTRVM PVLCHRIOR AN CASTIOR FVERIT, PRIMOS IVVENTAE ANNOS VIX INGRESSAE. BALTHASAR CASTILIONIVS INCREDIBILITER MOERENS. P. I.

M. D. X. X. V.

C. AELII S. C.

SELECTARVM EPIſtolarum Libri duo.

CAELIVS S. C. IOANni Balmæ Perano, R. E. Protonotario, S. D.

TVÆ nobilitatis odor, Ioánes ſuauiſsime, me iſtinc afflauit, excitauitq́;, vt ad te animum obuerterem, ac de te propiùs aliquid cogitarem. Tua illa tam officioſa ſalutatio, quam Cognatus meus, vir ſingulari humanitate, tuo nomine adſcripſit, in te verám, non fucatam eſſe nobilitatem declarauit. Quanti enim eruditionem ſapientiamq́ue facias, in eo apparet, quòd eos in quibus aliqua virtutis & doctrinæ ſignificatio, aut vmbra ſaltem elucet, admiraris, atque ad tuam amicitiã applicare ſtudes. Dicam de me, qui cum antea tibi ignotus eſſem, vbi aliquid noſtrarum ſcriptionum guſtare cœpiſti, illico ad me amandum ſic excitatus es, vt quin id aliquo pacto ſignificares, te continere nequiueris. Meritò igitur ego te viciſsim redamare

cœpi, ac de mea hac voluntate, tibi aliquo ſigno indicanda, ne ingratus eſſem, cogitare. Nihil enim homini, præſertim liberaliter inſtituto, turpius, quàm in amore non reſpondere. Cum autem multa & varia occurrerent, quibus, quod volebam, aſſequi poſſem: nihil inueni tuę iſti ætati ac ſtudijs aptius, quàm ſi in tuo nomine aliquot noſtræ Epiſtolę & Orationes appa ‹r›erent. Nihil enim in eis eſt, quod non ad pectus melioribus ſententijs imbuendum, linguamque expoliendam, conducere poſſe videatur. Humana ſunt, ſed ita tamen vt ad finem quoque bonorum, etſi minus fortaſsis appareat, pertineant, eoque ſpectent. Ineſt præterea varietas rerum & argumentorum, in qua miram delectationem natura collocauit, remouit ſatietatem. Hæc igitur tua cauſa collegimus, atq; in vnum corpuſculum redegimus, vt ſimul omnia, non ſparſa legerentur. Et quanquam pauca quædam horũ antè edita fuerunt, meliora tamen nunc etiam ipſa, emendatioraque proferuntur. Quod ſi nihil eſſet aliud noui, pręter duas illas Agrippę & Mecœnatis contrarias de Principatu orationes, quas tua etiam cauſa ex Dione hiſtorico nobiliſsimo conuertimus, ſatis erat in hoc opere nouæ vtilitatis & commendationis. Nunc autem cum alia multa acceſſerint, quæ iuuentutem ad virtutem, bonasq; artes capeſſendas excitare atque extimulare debeant, tibi gratum hoc noſtrum

munus

munus fore, non dubitamus. Et quanquam cùm familiæ vestrę laudib. abundes; tum propria iam non modò indole, sed etiam virtute, ex literis & moribus lucere splendereq́; incipias: tamen cum accedit incorrupta vox bene iudicantium de tua virtute, non parum huiusmodi testimonio laus ipsa cumulatur, & maiorem in modum illustratur. Vt igitur opus ipsum iuuentuti, tuo inspecto nomine, erit gratius: sic nostra hac quasi dedicatione, nomen tuum aliquáto erit celebrius & clarius. Quod nunc pusillum est, si tibi gratum esse sensero, aliàs fortassis augebo: atq; ita vnà cum ætate tua crescet opus, crescet etiam eruditio, crescetque nomẽ tuum: ideinq; eueniet, quod literis in arboris tenerę cortice incisis, quæ arborẽ crescente, crescunt. Vale. Basileæ, Anno Christi Seruatoris M. D. LII.

CÆLIVS S. C. BASILIO Amerbachio, per Christum Iesum S. P. D.

VIX credas, mi Basili, quàm cupidè reditum Comitis tui expectarim: tam mihi credè cupidè, quàm si meus aut Oratius, aut Leo, aut Augustinus isthuc profectus esset. Rediit tandem (nam iam de eius reditu patrem tuum, iam sororiũ compellaram)

atque mihi à te literas, easq; humanitatis, officij, amoris, dicam vno verbo, Basilio meo dignas, reddidit: quæ mihi eo fuêre gratiores, quòd ex tempore exaratæ fuerunt. Non quòd non laudem in adolescente, præsertim in scribendo curam, quæ mater est elegantiæ, immortaliumq; scriptorum: sed quòd temporis angustijs districtus, & multis, nouus hospes, rebus procurandis distractus, tamen ad me scripsisti. Quid enim, nisi magni cuiusdam tui erga me amoris in eo signum ostendisti? Accedit etiam, quòd ad me, non de me, tuisq; rebus tantùm, sed etiam meorum amicorū, tam diligenter perscripsisti. Nā vt ad id primùm responde-am: Hieronymus noster tibi gratias agit, quòd tāta diligentia, quę nosse cupiebat, inuestigasti & explicasti. De me verò, quid dicā? cuius nescio quę beneficia prędicas: quę si fuerūt, ea tu maiora illustrioraque ingenio isto tuo, sedulitate, industria, prædicatione facis. quod mihi tamen est longè gratissimum. Quod autem meę commendationi tribuis ex parte, quòd ab optimo viro ac iurisconsulto præstantissmo Varnbulero fueris acceptus, in eo vtriusq; vestrûm humanitatem agnosco, in alienis officijs extollendis: tuam, qui quod gratiæ, parentis tui virtute & bonitate, tuaque suauitate, apud bonum virum inuenisti, mecum communices: Varnbuleri verò, quòd hominis ignoti literas & commendationem tanti apud se pon

deris esse voluit. Hoc scito, mi Basili, nihil mihi gratius posse contingere, quàm si videam, me meaque à talibus viris probari. Sed finem faciam. nam plura scribere vix vacat, propter tabellarium iam abeuntem. plura fortaßis, vbi de tuorum ordine & constitutione studiorum scripseris. Interea vale, mi charißime Basili: & scito me nullum lætiorem nuncium acceptu-rum, quàm cùm te bene valere, atque his rebus quæ tibi abeunti mandaui, operam naua-re intellexero. Salutat te vxor mea, cum filiabus tribus, & Augustino tuo. Salutat & reliqua familia, quàm tu saluere tam officiosè iußisti. Oratium, ac D. Grybaldum tuo nomine proximè salutaui. Tu verò isthic mihi D. Varnbulerum, hospitem tuum humanißimum, & præceptorem, vt spero, diligentißimum, quàm fieri poßit amanter salutabis. Basileæ, quarto Nonas Octobris.

BASILIVS AMERBACHIVS
Cælio S. Curioni, præceptori suo,
S. D.

NOlui committere, præceptor doctißime, vt qui tibi has dabit, sine meis ad te proficisceretur literis: quibus cum de nulla re, certè de valetudine, studijsq; meis, te facerem certiorem. Itaq; scito, præceptor charis-

ſime, me firma corporis eſſe affectione, atq; cœlum peregrinum (quod ferè alios commouere ſolet) me rectiſsimè ferre: qd' Chriſto optimo maximo primò atque præcipuè, tum etiam huius aeris clementiæ acceptum ferendum eſt. Eſt enim hæc ciuitas tum amœnitate, tum aeris ſalubritate, habitationi aptiſsima. Nam colles conſiti vineis, arboribus agri diſtincti, atque Neccarus limpidiſsimus fluuius, ciuitatis mœnia præterfluens, nullo modo nō magnam ciuitati amœnitatem, incolis verò delectationem atque voluptatem conciliare poſſunt. Minimè autem inſalubrem eſſe, aut peſtilentem, ſed ſanitatem potius atque ſalutem afferentem, quid melius, quàm quòd à peſtilentia (quæ iam ferè vbique incrudeſcit) tutus eſt locus hic, declarare poteſt? Profeſſores (vt ad ſtudia veniam) qui iura doceant, conſtituti ſunt ſex: quorum duo, Pontificum Canones: cæteri ciuiles leges Iuriſperitorū interpretantur: verùm ob mortē Ioannis Sichardi, qui primas in hac tenuit Academia, quinque tantùm publicè docent, donec alius in locum eius ſubſtituatur. Hos ego, Iura ciuilia interpretantes, omnes audio, excepto vnico Pandectarum explicatore: ex Pontificijs autem vnum. Materiæ autem quas iam in manibus habent, hæ ſunt. Iacobus Cappelbockius tit. de minoribus xxv annis, in Digeſtis explicat. Nicolaus præceptor meus, ex Codice, de donationibus

materiam

materiam exponit. Chilianus Voglerus ante paucos dies librum Institut. incœpit aperire. Gebhardus, de foro competenti, in Sext. tit. in manibus habet. Quid igitur, dices? nullâ ne, quam audias præterea, in humanioribus disciplinis est lectio? Nulla prorsus. Doctores artium habet hæc schola aliquot insignes: quis enim Scheggio (ne quid de cæteris dicam) naturæ secreta melius explicat? quis Imsero & Scheubelio Mathematices subtilitates acutius demonstrat? Verùm cum omnia ad eum quem spectes finem sint dirigenda, minus hi atq; similes, mihi iuris studioso prodesse possunt. Vnicum Ciceronem atque Aristotelem, tum ob alterius eloquentiam (quæ Iurisperito maximè necessaria est) tum ob vtriusque quam tradunt doctrinam, quę viuendi explicat rationem (originem scilicet atque verum Iurisprudentiæ fontem) mihi audiendum, legendum, atque penitus ediscendum, tum à viris doctissimis, in quorum numero tu primus occurris, accepi: tum etiam priuatis studijs vtcunq; cognoui. Iam quod ad Aristotelis Ethicorum doctorem attinet, doctus is est, quis enim negat? sed tamen quo minus audire possim, impediunt non pauca. Alter autem, cui Ciceronis incumbit lectio, in Aristotelicis iam, quas vir ille ad Theodecten scripsit, Rhetoricis versatur. Vtilius autem esse, dicendi facultatē non præceptis tradere, sed exemplis eorū, qui eius do-

ctrinam in foro oratione explicarunt sua, & quasi ob oculos posuerunt, atq; ad suum eius præceptiones vsum accommodarunt. tu testis es optimus & locupletissimus. qui qua eruditione polles, quo amore complecteris discipulos, nequaquam commissurus eras, vt cum tot annos Oratoriam tibi artem explicandam sum pseris, Ciceronis ferè potius diuinas orationes quàm eius de ratione dicendi libros aperires, atque auditoribus demonstrares tuis: non inquam hoc faceres, nisi melius & commodius & vtilius esse scires. nō enim in Orationib. solum (quemadmōdum in libris Rhetorum accidit) nudæ præceptiones proponuntur, sed etiam antiquitatis exempla discutiuntur, leges conciliantur, grauissimi loci tractantur, quid fas, quid nefas demonstratur, atque alia innumera: tum multa etiam, quæ Rhetorum libris comprehendi non possunt, orationibus possunt: ea inquam, quæ ad exponendum, ornandum, probandum & persuadendum pertinent, traduntur atque explicantur. Accedit & illud quod complurium mensium tempus in illis libris docendis consumpsit: ego verò in peregrinam, quasi incognitis prioribus, accederem materiam. Has ob caussas, præceptor suauissime, nullas ego in artibus humanioribus mihi lectiones audiendas hactenus existimaui. Quæ mea tamdiu firma atque stabilis erit opinio, donec vel tuo, vel alterius docti viri cor-

ri corruat iudicio. Quamobrem vehementer oro, quid mihi faciendum, omittendumúe cen seas, proximis tuis aperias literis. Habes epistolam satis verbosam. non enim vereor, ne non scribendo te expleam, præsertim cum in eo genere studium meum te sciam non asperna ri. Valetudinem tuam diligenter cura, præceptor charissime. nam mihi & scriptum & nunciatum est, pestilentiam supra modum Basileæ grassari. Vxorem cum Augustino, atq; tota familia, meo nomine saluta. Præceptori meo, tuo nomine plurimam salutem dixi. Is tibi amanter gratias egit, pro tua in se beneuolentia, ac te mutua salute impertit: rogatq; ne, quòd literis quas ad eum meo nomine scripsisti, non responderit, ægrè feras. nam negotijs tam impeditus atque districtus, vix respirandi habet potestatem. Sed quamprimùm paululum ocij nactus fuerit, de sua erga te voluntate atque beneuolentia ipse certiorem faciet. Iterum vale. Tubingæ, tertio Nouembris. Anno M. D. LII.

BASILIVS AMERBACHIVS Cælio S. Curioni S. D.

Vm has, quas vides, Præceptor charißime, abſoluiſſem literas, is qui ad vos iturum ſeſe promiſerat, præter omnem ſpem, animi propoſitum, neſcio qua ratione, ſubitò mutauit. Dum ergo interim de aliquo vndique circumſpicio, neque vllum qui has ſuſcipiat inuenio, literæ tuę, beneuolentiæ pleniſsimæ, mihi adferuntur, ex quibus non plus grauiſus ſum, quàm dolui. tot enim præſtantes viros, tot fœminas, tot pueros, tot adoleſcentes à peſtilentia ſublatos, ingemiſcendum eſt. Velit Deus opt. max. vt quæ optimo iure pœna nobis infligitur, benignitate atque miſericordia ipſius leniatur: neq; ſcelera noſtra, quæ certè grauiſsima ſunt, ſed placabilitatem ſuam reſpiciat. Te autem cum vxore, liberis, atque domeſticis bene habere, cùm omnibus, tum mihi præcipuè lætandum eſt. Faxit Chriſtus, vt valetudine non incommodiore ſemper vtaris. Per bibliopolas noſtros Francofordum ituros, patri nuper ſcripſi: & inter cætera, vt me tibi excuſaret rogaui, id quia ipſum feciſſe exiſtimo, pluribus nó agam: non ignorans, te tam humanũ atq; benignum eſſe, vt mihi veniá facilè ſis conceſſurus. Plura ad dulciſsimas tuas literas non reſpondeo, incertus

certus qua hora, qui tibi has dabit, sit abiturus nuncius. De studijs atque valetudine, superiori te certiorem feci epistola, quam propter temporis angustiam, qua impedior, planè non muto, corrigóve. Ea quæ de curanda valetudine atque studijs admones, diligenter curabo. Bene vale, præceptor clarissime. toti familiæ, & in primis Augustino meo, cui præ cæteris ob missas literas gratias ages, salutem dicito. Iterum vale. Tubingæ, III. Non. Decemb. Anno 1552.

CÆLIVS S. C. BASILIO Amerbachio Bonifacij F. S. D.

BInas à te eodem tempore simul cõplicatas literas accepi, longiores alteras, alteras breuiores: illas III. Nouemb. has III. Nonas Decembris scriptas: vtrasq; verò mihi & gratissimas & iucundissimas, vt omnia tua esse consueuerunt. In primis quidẽ tua me afficit in scribendo diligẽtia, tum quòd nullum ad nos venire sine tuis ad me literis patiaris: tum quòd, quę scribis, cum cura & diligẽti meditatione scribas: quorũ altero vt facilè scribas, altero vt purè, latinè & dilucidè, consequêre. Quòd autem de istius vrbis amœnitate & salubritate scribis, id mihi cùm aliorum, tum tua maximè causa periucundũ est. Ex qua descri-

ptione, video te, quæ vrbi amœnitatem con-
cilient, quæ etiam commoditatem, intellige-
re: Vitiferi colles, florida prata, irriguus ager,
campi patentes, fontium limpidissimorum
scaturigines, viridicatæ syluæ, fluminum pi-
scosorum cursus: & quod caput est, quódque
hisce omnibus moderatur, cœli aspiratio tem-
peratioque salubris ac vitalis. Quæ omnia
cum Tubinga ista vestra habeat, haud mirum,
si à pestilentia immunis sit. Piè tamen tu ac re-
ligiosè id Deo potissimum tribuis, qui autor
horum omnium est, & conseruator. Gratulor
igitur tibi, mi Basili, tum istius vrbis tam com-
modam, tamque iucundam habitationem:
tum vel maximè istam tuam piam religiosam-
que mentem, quæ viua, sancta, Deoque ac-
cepta hostia est, & (vt Paulus noster ait) λογι-
κὴ λατρεία. De iuris autem interpretibus, alia-
rum item artium, quibus Academia ista ex-
ornatur, per mihi gratum fuit cognoscere. Il-
lud verò permolestum, te neminem isthic pe-
ctore & lingua præstantem, vel Aristotelem,
vel Ciceronem, duo disciplinarum eloquentię-
que lumina, explicantem audire posse. His e-
nim iuris studium alitur, roboratur, exornatur
maximè. Quid autem tibi hîc faciendum, o-
mittendumúe sit, rogas? Ego verò, mi Basili,
isthuc suadeo, vt quæ ab alijs audire non pos-
sis, ipse per te legas, inquiras, tecum meditere,
atq; exerceas: quod clarissimi in omni doctri-
narum

narum genere viri, ac præſertim iuriſconſulti ſemper fecerunt. Ac ne exempla longè repetam, neminem tibi in hoc genere patre tuo, clariſsimo viro, meliorem poſsim ſubijcere: qui ita ſtudia ſemper moderatus eſt ſua, vt ex iuriſconſultorum libris & commentarijs, nunc ad Ariſtotelem, nunc ad Ciceronem, atque id genus ſapientiſsimorum eloquentiſsimorumq; virorum ſcripta, mentem animumq; conuertat: rurſumq; ab his ad illos, tanquam in proprias ſe recipiat ſedes: adeò vt, ſi quando illi locus aliquis ex iure ciuili ſit explicandus, non nudè ac ieiunè, vt pleriq;, ſed ornatè & copiosè diſſerat, ſumma cum ſua profeſsionis dignitate. Hunc igitur tibi propone: ad eius conſuetudinem moremq; tua dirige ſtudia.

Ex reliquis tuis ſtudijs, quę cognitioni iuris impendenda ſunt, horam vnam aut alteram ſeiunge, in qua vel Ciceroni, vel Ariſtoteli, ſed potiſsimum Ciceroni diligentem naues operam vel legendo, vel ſcribendo. Nam quod legis, vt idipſum ſtylo atq; exercitatione exprimas, tibi conandum eſt, ſi fructum aliquem colligere tuorum ſtudiorum velis. Hæc ego breuiter, ad id quod quærebas, reſpondeo. Quòd reliquum eſt, caue putes, vllam à te epiſtolam mihi verboſam, aut longam videri: imò quò longiores ſunt, eò me magis delectant, deſideriumq; magis accendunt meum. Videor enim mihi tum legendis tuis, tum ſcribendis meis,

tecum confabulari,& præſentes audire & reddere voces. De vrbe nunc quidem ferè abijt peſtilentia: quæ quandiu fuit, neque me, neq; quenquam alium in familia,Deo protegente, attigit. Tui quoque omnes ſalui ſunt. Nullus eſt in familia noſtra, qui tibi ſuo nomine ſalutem adſcribere non iuſſerit: ſed vxor præſertim, & Auguſtinus meus, qui tui deſiderium vix fert. Saluta præceptorem,hoſpitem tuum humaniſsimum: & ſi qui pręterea ſunt,quibus nomine ſaltem notus ſim. Vale. Baſileæ,Idibus Ianuarij.

CÆLIVS S. C. IOANNI KEko, equiti ſplendidiſsimo, Eduardi VI. Regis Anglię præceptori, S. P. D. per Chriſtum Ieſum.

QVum ſcirem nullam amicitiam nouam dici poſſe inter eos,qui vnum Deum, vnum eundemque Chriſtum, eodem animo & ſpiritu, atq; eodem ritu colunt: non putaui me,cùm ad te ſcriberem,Keke doctiſsime,ad nouum amicum ſcribere. Nam ſi qui in vna domo habitant, ſunt inter ſe conſuetudine coniuncti:nos qui non ſolùm in vna Dei domo ſumus, ſed etiam eiuſdem Patris cœleſtis filij (quæ bonitas eius eſt) quibusq; vnus eſt animus,vnum cor,vna ſententia, qui eiuſdem cor

poris

poris & capitis membra sumus, noui amici dici non possumus. Quæ res facit, vt ad te tanquàm ad amicum veterem, sine vlla dubitatione scribam: neq; dubitem id à te per literas petere, quod mihi omnium est maximum, maximeq́; necessarium. Scripsimus in Philippicas Ciceronis commentarios, qui cuiusmodi sint, tu ipse pro tua singulari eruditione & candore iudicabis. Hæc regi vestro, qui literis istis elegantioribus à te excolitur, & ad omnes regias virtutes informatur, dicauimus. Mitto exemplaria bina, quorum alterum Regi per te tradi velim, alterum tibi muneri dono. Alius liber minor de Amplitudine misericordiæ Dei, filij mei est, quem etiam eadem opera Regi, nostro nomine donari cupimus. Te igitur per istam tuam singularem cum pietate coniunctã eruditionem, etiam atq; etiam oro, vt Rege isto verè sancto, nostro nomine reuerenter salutato, munuscula hæc nostra eidem tradas: nosq́ue officiosè, quod potes, commendes. Reliqua, quæ breuitas literarum non fert, à sapientissimo sene Bernardino Ocello cognosces.

Vale, & me tuum esse scito. Basileę Nonis Septembris.

CÆLIVS S. C. IOANNI Baptistæ Bernardino, patritio Lucensi, S. P. D.

VIncentius Castruccius ciuis tuus, bonus planè & cordatus homo, & amantissimus mei, scripsit ad me de filio tuo, quem optares mihi bonis literis bonisq; moribus expoliendum tradere. Plurima quoq; addidit de tua humanitate, fide, præstantiq; virtute: tum etiam de gnati tui indole sanè bona, & ad omnem virtutis formam sequaci. Ego quem nihil tantopere delectat, quàm eiusmodi viros, talibus præsertim officijs demereri, ex quibus cùm iucunditas atque vtilitas, tum magna solent ornamenta familijs & patriæ comparari: illico non mediocri medius fidius gaudio me affici sensi, cùm viderem duos sapientissimos amplissimosq; viros, tam bene de me atq; magnificè sentire. Deinde paternam istam tuam laudaui pietatē, solicitudinem & prudentiam commendaui. Quapropter cùm ita videam te cùm in me, tum erga filium tuum affectum, vt & me filij tui longè carissimi præceptorem, & illum nobis esse bonum docilemq; discipulum velis, plus etiam tibi polliceor: & illi me alterū patrem, & illum nobis filium dulcissimū fore spondeo & recipio. Id enim Castruccio nostro in primis debeo, tum tibi ipsi, tum etiam vestrę ciuitati,

ciuitati, quæ nos & commodè accepit aliquandiu, & non incommodè dimisit: quod honoris causa à me dici existimes velim. Vale, Lausannæ: quarto Idus Februarij. M. D. XLIII.

FRANCISCVS A STAVIO Baro, Cælio S. Curioni, S. D.

QVum ætatem tuam venerabilem, ingenij magnitudinem, eruditionis fœcunditatem, meam adolescentiam, ingenij inopiam, doctrinæ sterilita em animaduerterem, vir omnium eruditissime, & è regione causas quamplurimas contemplarer, quæ literas à me exigerent: dubitaui aliquandiu, scribendúmne mihi, an tacendum foret. Quam quidem dubitationem, dum diu conatus eximere, nihil agerem, humanitatis tuæ mihi in mentem venit: ea spem bonam præbuit, te boni consulturum, quicquid id esset epistolij, quod à me mitteretur: qua benignitate fretus, ausus sum has meas breuissimas literas Antonio Cognato, Gilberti Cognati præceptoris mei fratri, ad te perferendas tradere. Militia enim multos præclaros reddidit, sed tum maximè, cum viri essent: eruditio multos fecit celebres, sed post multos labores in studijs collocatos. At quanto ego nunc illis felicior fue-

ro, ſi mihi contingat tua amicitia, & per te alicuius nominis eſſe? & nunc præſertim, cũ nec in rebus bellicis ætas, nec in literis iudicium vllo modo clarum me reddere queant. Hoc poſſe fieri eſt manifeſtius, quàm vt negari poſſit: cum tu ob egregias virtutes tuas & ſingularem eruditionem, dicaris eſſe, & re ipſa es, inter doctos doctiſsimus. Vale. Datum Nozerethi.

CAELIVS S. C. FRANCISCO Stauio Baroni S. D.

AB Antonio noſtro amiciſsimo tuas ſuauiſsimas literas accepi: quibus tamen vereor, ne quas mihi laudes tribuis, eas potius aliorum rumore & opinione tribuas, quàm quòd ita eſſe reipſa cognoſcas. Nam vt de ætate concedam, quam proculdubio ſentio ingraueſcere: de ingenij magnitudine, deq; eruditionis fœcunditate certè non concedo: facile tamen te in hoc patiar errare, modò hæc cogitatio te deinceps à ſcribendo non deterreat. Cogita igitur quod voles: modò ſimul me ea facilitate eſſe tibi perſuadeas, vt non ipſe modò, qui & familiæ claritate, & ornamentis ingenij, & gratia plurimùm polles, verumetiam quiuis alius de media plebe, & ad me literas dare, & me liberè conuenire poſsit. Illud autem rectè facis mi Franciſce, qui amicitiam omnibus

mnibus rebus anteponas. Omnium enim rerum quas ad beatè viuendum sapientia comparauerit, nihil est maius amicitia, nihil vberius, nihil iucundius. Quòd verò meam amicitiam expetere videris, id mihi demum iucundissimum est. Neque enim assentior nunc Aristoteli, qui negat, cum adolescentulis veram & stabilem amicitiam esse posse: tum quòd illi amicitiam voluptatis tantùm caussa suscipere videantur: tum quia mutata ætate, alia sequuntur, quæ delectent: idcirco repentè & amicos fieri, & ab amore desistere. Ego verò ita censeo, siue cum adolescente, siue cum viro amicitia cõstituatur, modò virtutis caussa constituatur, cuius manet certa & stabilis possessio, eam quoque amicitiam certam, firmam & stabilem fore. Cuiusmodi hæc est, quam tu mecum instituere cupis, in quo non modò præclara indoles virtutis, verumetiam virtus quędam amabilis iam apparet. Itaq; te, mi Francisce, libenter accipio, amplector, exosculor: sed ea lege (nam leges etiam in amicitia constituuntur) vt cogitatione bellorũ relicta, tè totum sapientiæ tractandum, formandumq; tradas. Nam hac ratione Deo in primis Opt. Max. & sapienti, deinde mihi, meiq́ue similibus charus esse poteris. Vale.

Basileæ.

XYSTVS BETVLEIVS, CÆlio S. C. ſuo S. D.

NIhil nobis mutuò debeamus, clariſſ. Cæli quàm charitatem, quæ monet nos de rebus agẽdis, omittendisque. Quare non eſt cur mihi de hoc officiolo ſolicitè grasatias agas. Ita ſi facultas admittit, amicis inſeruire ſoleo, vt mihi de ipſis polliceor. Congratularer tibi, de honore tibi iſthic habito, ſi ſcirem te nugas iſtas magnifacere. Honore hoc tuo, meritò affectus es. Nõ caret ſingulari fructu. Iuuentus ſtudioſa iam intelligit, quibus rectè hic honor debeatur. Multi vidẽt, quàm longè ab hoc faſtigio abſint, qui titulo inani fulgent. Aliter rutilat aurum, aliter aurichalcum. Alius rurſus fructus, quòd iuuentus in eloquentiæ tuæ admirationem rapta, ad imitationem iſtius accendatur. Noſtri tuam orationem, quam de ſtudiorũ pręmijs te habuiſſe affirmant, ita laudib. vehunt, vt nihil aliud æquè. Iam proximũ erit, vt imitentur, æmulatione honeſtiſsima ducti, & componant ſe ad veram imitandi rationem, cuius te non ſolùm ductorẽ fidelem, ſed etiam exemplum ſibi propoſitum habent. Quòd tibi noſtri ſint commendati, ſuis ſubinde ad me literis teſtantur liquidiſsimè. Quare tibi gratias habeo: ſi modò ipſi ſe tibi, bonisq; omnibus ſuis morib. ita probarent, vt & ſibi honeſtatis

aliquam

aliquam opinionem pararent, & mihi meæq; disciplinæ nullũ dedecus adferrent. Quemadmodum ille, qui nuper vulneratus, maculam Augustano nomini attulit. Musculus pari studio te resalutat. Vale, Augustę Vind. Pridie Calend. Mart. 1548.

XYSTVS BETVLEIVS CÆlio C. S. S. D.

SPorinus noster, ornatiss. Cæli, Francfordia nuper tua nobis in Antonianas commentaria misit: opportunissimè sanè: nam pueris meis enarro easdem orationes. Vsus hactenus fueram ijs commentarijs, quæ Parisijs excusa fuerunt, variorum: quem librum Vuolfius mihi noster communicauerat. Maturantius historias & res ad negocium præsens memorabiles, dignis modis enarrat. Latomus & Hegendorphinus in artificio enarrando diligentes sunt. Sed Cælius præter hæc, mentem autoris, quod interpretis officium proprium est, ita explicat, vt nihil ambiguum relinquat. Hæc singula ita exactè, vniuersim, acsi singulariter singula instituisset. Quæ antehac mihi obscuriora erant (sunt autem plurima) in ijs mihi nullo modo satisfaciebam: ea ita sustulisti, vt iam sine magno negocio legã. Quare pro me tibi maxi-

mas ago gratias, quòd tuis crebris & doctissimis lucubrationibus nos minorum gentium magistros labore leuas. Hæc ideo scribo, ne putes, Xystum in tanta scribendi copia, tibi, quem vnicè colit, scribere noluisse. Vale. Augustæ.

HENRICVS BVLLINGERus Cælio S. C. suo S. D.

Legi tuas magna cum voluptate, colendiss. mi Cæli. Nam omnia tua me oblectant, & chara sunt. Quòd iam mensibus aliquot nullas ad te scripsi, non ideo factum est, quòd tui sim oblitus, aut tui memoria apud me viluerit: sed quòd plus satis oppressus publicis & priuatis negocijs) qđ iam sępe apud te questus sum) nō semper possum quod volo. Oro itaq; vt bene interpreteris meum silentium: & si nō toties scripsero, quoties tu pro tuo in me amore cupis, non ita interpreteris, quasi minus diligam. Gratissimus mihi etiam fuit tabellio humaniss. & mihi chariss. Petrus, amicus cōmunis: cui si aliquid gratū facere possem, lubenti animo facerem. Rectè verò tu iudicas, tempora nostra esse calamitosissima. Sunt etenim quod dicūtur: sed ita sunt propter peccata nostra. Multis iam ab annis strenuè prædicatū est Euangelium Christi, sed spretū est constantissi-

tiſsimè, imò pertinaciſsimè. Adeſt ergo Deus iuſtus,& viſitat peccata pcpuli ſui. Quòd ſi hic clamarit ad Dominum, & pœnitentiam e erit vitæ prioris, dubium non eſt, quin liberaturus ſit nos ex manibus impij militis: qui ita impiè, impurè, inhumaniter, atrociter vel impunè furit & libidinatur, vt iuſticia diu a non ſit ferendo. Videbis breui, tametſi pœnitentia iuſta non fuerimus conuerſi ad Dominum, impios iſtos milites pœnam daturos iuſto iudici Deo: qui vel Turcum, vel alium ſęuum excitabit hoſtem, quo ſcelera hæc excindat è terris. Miſera hæc eſt conſolatio: ſed ne conſolatio quidem. Pij norunt, Patrem illum cœleſtem omnia facere in emolumentum ſanctorum: omnes ergo caſus boni conſulunt, in vera fiducia & ſpe in Deo optimo & clementiſsimo conquieſcunt. Satis felices fuerimus, ſatis conſolationis habuerimus, ſi pectora noſtra conſecrauerimus Deo. Hic erit cùm tutiſsima, tum optima in aduerſis & tempeſtatum procellis anchora. Oremus interim Dominum, vt nos tales faciat, quales ſunt qui ipſi probantur. Pro libro eleganti & vtili, miſſo filio meo Heinricho, gratias ago maximas: & oro, vt Ioanni Rodolpho meo ſimile exemplum mittas, ſed tua manu ſcriptum, vt teſtimonium hoc ſit etiam apud liberos ſuos, ſi quos dederit Dominus, & vixerit, quòd Cælium habuerit præceptorem & fautorem. Vide autē quàm ſim impudens, qui

auſim & alium librum poſtulare. Sed inde volo te colligere, me vti te tanquam intimo meo. Perge ita ſtudijs & ſtudioſis prodeſſe. Præmium condignum adnumerabit Dominus. Orationem tuam qua Florebelli calumnijs reſpondes, & veram defendis Eccleſiæ authoritatem, quo plus lego, hoc plus amare & laudare cogor. Vtinam & alia quoq; huiuſmodi plura ſcribere tibi libeat. Sperarem fore, vt Italia veſtra paulatim miteſceret, erroresque cognoſceret. Itaque perge in confeſsione veritatis, ac viue & vale cum chara coniuge, & liberis chariſsimis. Salutat te & totam domum vxor mea, & tota familia mea. Tiguri, 30. Auguſti.

CÆLIVS S. C. HENRICO Bullingero, Tigurinæ Eccleſiæ paſtori, S. D.

AB Hieronymo Mariano ſuperioribus diebus tuas ſuauiſsimas literas accepi: is mihi tuam erga ſe charitatẽ narrauit, prædicauitq; quod quidem mihi nouum non fuit, qui toties à te humaniſsimè acceptus, & dimiſſus fuerim. Noui ego Bullingeri pietatẽ ſingularem, & animum ad calamitoſos ſubleuandos, & veritatis cauſa vexatos flagrantiſsimũ. Hoc demum eſt epiſcopũ agere, & eruditione

qua-

quadam eximia Christianaq; eloquentia mentes regere populorum & calamitosorum, præsertim bonorum, inopiam hospitalitate leuare: quæ duo sanctissimè Paulus in episcopo requirit suo, cum & ad docendum aptum, & hospitalem illum esse dicit oportere. Hosce tu numeros & alios omnes implesti. Quare tu, tu inquam, tu optime frater, tuique similes, non qui tiaris & mitris quibusdam venditant sese, & estis episcopi, & iure potestis appellari. Sed vt ad Hieronymum redeam: ego illum quandiu voluit, alui. Verùm bonus vir & prudens, vbi agnouit se ad nullum apud nos munus idoneum esse, ad Rhetos proficisci voluit, sperans se illic aliquo pacto vtilem fore. Equidem hominis consilium, præsertim nō malum, impedire nolui. Quòd serò nobis Biblia, tuum, Bullingere amantissime, munus sanctissimum pariter & preciosissimū, reddita fuerint, non sine iusta causa factum fuisse scio. nam & is cui mandaras negocium, literas ad me dedit humanissimas, pietatisq; plenissimas. Neq; ipse vnquam moram sinistrè fueram interpretatus: tantùm te certiorē facere visum fuit quid esset actum in ea re, ne silentio tantum munus à tali amico missum, velle præterire videremur. pro quo immortales tibi gratias ago: nam me relaturū esse, polliceri non possum. Tua autem illa hortatio, qua me in extremis literis tuis ad fortiter ferenda aduersa, gloriamq; Domi-

ni & Ecclesiam propagandam adhortaris, ea me vehementer incendit. Et cuperem sępius tali voce excitari. nam cùm sæpenumero langueo, tum etiam monstra quædam me hominum terrent: qui cum homines appellentur, & Christiano nomine censeantur, belluas tamen & Scythas ipsos crudelitate & impietate vincunt. nam nihil quàm humanum cruorem, & Reipublicæ Christianę veræq; Ecclesiæ ruinam sitire, moliriq; videntur. Scis quid dicam. Sed tamen confido breui Dominum nostrum, regem illum regum, supplicia & quidem atrocia, de omni immanitate impietateq; sumpturum. His paucis tecum agere volui, propterea quòd nuncium ex animi sententia nactus sum: is est meus famulus, quem mecum ex Italia duxi, quem tu vidisti. In Italiam proficiscitur, vt videat patrem. Si quid illi mandare velis, diligenter curabitur. Vale per Iesum Christum: & vxorem liberosq; dulcissimos, meo & vxoris nomine saluta. 29 Iulij.

MARTINVS BORRHAVS Cælio S. Curioni suo S. D.

HAs literas, quas Petrus noster tibi reddet meo nomine, Cæli vir doctissime, non spernas rogo, quia longæ non sunt: sed potius gratæ sint tibi, quia breues, partim quòd exemplo

gemmæ

gemmarum, viribus, non magnitudine æstimari cupiant: partim verò, quoniam regnum Dei non in sermone, sed in virtute positum est. has mearum etiam literarum primitias, quas tibi consecro, potius velim amoris cœlestis vi ponderari, quàm verborum copia: à te præsertim, quem vt amarim propter laudem ingenij & singularis pietatis, etiam si nullum literarum præsidium accedat: ita quoque tu amare me vicissim vt incœpisti pergas. non quia dignus sim tuo amore, sed quia deceat ex lege diuina, à te etiam eum amari, qui minimè dignus sit vt ametur: quòd Christus peccatores non speuerit, & hostes suos dilexerit, iure suo ad supplicium damnatos. Vale, vir optime, & me ames: & Petrum non meum, neque tuum, sed communem vtriq; foueas. 26 Octobris.

CÆLIVS S. C. MARTINO Borrhao S. D. per Christum Iesum.

ET si periucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus intellexi tuam in me beneuolentiam, aut potius singularem quandam pietatem: me tamen sic genus ipsum scribendi permouit, vt ad respondendũ mihi omnem adimere facultatem videretur. pudore enim eo me affecerũt, vbi primùm eas literas legere cœpi, vt perlegere, finemq; (quanquam tu breues

eas appelles, & ſint) videre vix ſuſtinerem. nã ſic cogitabam: Oportet hunc prę ſtantiſsimum virum, aliam de te opinionem habere, quàm vel tu Cæli agnoſcas, vel veritas ipſa patiatur. Vnde autem id in mentem venerit, dicam. Nã quòd initiò me rogas, ne literas ſpernam tuas, quia longæ nõ ſunt: ſed potius ſint gratæ, quia breues: quis te in hanc ſententiam ſeu mauis dubitationem adduxit, vt me aut ſpernere breues literas putares, aut longas adamare? præſertim à te: cuius breuitas, ſemper mihi multo & charior & gratior fuit, quàm aliorum longitudo? Mihi exordium illud viſum eſt hominis quidem modeſtiſsimi, ſed qui aut ſublimius de me ſentiat quàm par eſt, aut me moroſiorem arbitretur. Verùm vtrunq; deponas licet. Etenim nec quicquã in me eſſe agnoſco, quod ſit magnopere ſuſpiciendum: nec vſqueadeò moroſi ſumus, vt nobis nõ ſatisfaciat ipſe Demoſthenes. at rectè illud addidiſti; amoris cœleſtis vi, non verborum copia, literas tuas & æſtimandas eſſe, & ponderandas: cùm præſertim regnum Dei non in ſermone, ſed in virtute poſitum eſſe videatur. Ita enim ſe res habet. Neque alio me loco habere tua omnia exiſtimare debes, quàm gemmarum, & earum quidem quæ non ex Aethiopia vſq; ſunt, ſed è cœlo ipſo atq; ex diuinę ſapiẽtiæ theſauris fluunt & manant. Quid ais, mi Borrhae? te mihi tuarũ primitias literarum cõſecrare? An non dixi, te

(quæ

(quæ modeſtia tua eſt) ſublmius quiddam, diuiniusq́; de me arbitrari, quàm merita fuerant mea? Sum enim homo, & quidem infra omnium hominum dignitatem poſitus. Et ei homini tu ſanctas iſtas primitias conſecras, quem tu olim iam abſens ad cœleſtem ſapientiam erudiſti? feciſtiq́; vt paulò diligentis res diuinas inueſtigaret, quàm vulgò fieri videamus. Quamobrem æquius multo fuerat, vt ipſe prior ad te ſcriberem, tuam amicitiam ambirem, tibi gratias agerem, meq́; totum tibi dicarem, niſi planè agreſtis & ruſticanus extitiſſem. Cœpi quidem te iampridē diligere, facta primum mihi tuæ probitatis, ingenij, ſpiritus, ſanctitatis, ex tuis literarum monumentis ſignificatione: verùm vbi loco propior factus ſum, vbi cum ijs qui te norunt, qui te audiebant, qui multa à te beneficia accipiebant, de tua humanitate ſermo haberi cœpit, admirabilis quædam exarſit beneuolentiæ magnitudo, quę vix vltrà augeri poſſe videbatur. Quid eſt igitur, quod me, vt te amem, rogas? non quia dignus ſis, ſed quòd diuino iuſſu, vel indignos, atq; etiam Chriſti exemplo hoſtes & impuros amare debeamus? Verùm intelligo, & quid ſibi iſta tua rogatio velit, perſpicere videor: hoc nempe, vt ſi etiam indignos, & inimicos, & improbos diligere debemus, quo amoris ardore dignos, bonos, & eos fratres erga nos mirificè affectos, ꝓſequi decet? Sic ego accipio tuas illas

verborum faces, quibus me ad redamandum, hoc eſt, ad gratiam referendam conaris accendere. Sed bono ſis animo, habes quod optaſti, imò vt orator bonus euiciſti. Sentio (mihi crede) amoris erga te mei acceſsionem non paruam (etſi nihil accedere poſſe videretur) ex tuis literis factam: ſic vt mihi nunc deniq; amare videar, antè dilexiſſe. Itaq; nihil iam aliud ſupereſt, quàm vt officijs certemus inter nos, ijsq; mutuam teſtemur charitatem. Equidem te etiam atq; etiam oro, vt mea omni opera, ſtudio, diligentia ſic vtare, vt eius qui te mirum in modum & amat, & colit, & obſeruat. Quod vt liberius facias, incipiam ipſe, mea quędam conſilia tecum communicare. Dialogum conſcripſimus de Amplitudine regni Dei, in quo ea quæſtio perdifficilis ſanè diſputatur, ſit ne Antithei regnum, ſiue tyrannis potius, multitudine maior futura, quàm Dei noſtri potentiſsimi & clementiſsimi Reſp. quam verè regnum, & vſitato nomine ſanctam Eccleſiam appellamus. Tota diſputatio eſt (vt mihi quidem videtur) nec inutilis, nec inepta. Illud tamen vereor, ne mea perſona ad eam rem parum idonea, quòd non eo diſſerendi acumine, eaq; facultate dicendi ſim, quæ tantam rem deceat, eſſe videatur. Quare viſum eſt, ea de re te certiorem facere: primùm vt dum adhuc in integro ſunt omnia, ea cogites, & pro tua ſingulari ſapientia ſtatuas: deinde etiam, quo de editio-

editione, qualeq; putes doctorum & vulgi iudicium fore, ad me liberè, pleneque rescribas. Eum librum ad te nunc mitterem, si & descriptum alterum exemplar haberem, & fidelem nuncium nactus essem. Curabo tamen describi, vt ad te primo quoque tempore transmittatur. Reliquum est, vt tibi gratias agam, quàm possum maximas, de maximis & innumeris beneficijs, quibus quotidie fratres nostros Italos cumulas. Tuam enim istam eximiam pietatem, charitatemque prædicare non cessant. Sunt ista quidem, mi Borrhae, veri doctoris insignia, non solum excellenti doctrina homines perpolire, sed fideli etiam consilio, humanissima consolatione, Christianaq; liberalitate iuuare. Quod in te minus mirandum est, qui pietatem singularem, cum præclara eruditione, cœlestiq; sapientia coniunxisti. Et quanquam nihil est opus, tamen tuæ humanitati iuuenes nostros tibi sic commendo, vt maiore studio nō possim. Valde enim de ipsis laboro, ne quo incommodo cogantur eò proficisci, vbi tutò esse, aut satis religiosè non possint. Vale per Christum Iesum. Lausannæ, viij. Idus Decembris.

NICOLAVS ZERCHINTES
Cælio S. Curioni,
S. P. D.

TErrorem non ignauum literæ tuæ cum literato munere allatæ, primo intuitu mihi incusserunt, doctißime Cęli, quòd dedicationem lucubrationum tuarum præ se ferebant. Quanquam enim de integritate virilis tui animi nihil addubitabam, verebar tamen ne more publico, aut nimio mei amore aliquantum adductus, aut nimis anxiè meas laudes augeres, aut certè aliquas esse diceres, cum ego planè nullarum mihi sim conscius, hocq; vnico elogio inter nostros claream, quo boni ciues omnes: nempe quòd citra Reipub. noxam annos aliquot patriæ debitam operam impenderim. At postquam libellum tuum attigi, qui nihil in Præfatione adulationis, reliqua sui parte multam eruditionẽ, singularem pietatem, & animum totum in cœlo hærẽtem continebat, illicò metum posui, hilariq; fronte munus excepi. Pro quo magnas tibi ago gratias, eo maximè nomine, quòd homo doctus nõ dedignaris me parte aliqua studiorũ tuorum, quamuis ineruditum alioqui, & vix prima literarum elementa adgressum. Id vtcunque habeat, oro atq; obsecro te mi Cæli, ne hoc genus beneficentiæ intermittas, quod doctis placere,

pijs prodeſſe, me verò & doctiorem facere, & ad amorem literarum excitare poteſt. Ego verò non abſque prouidentia factum reor, quòd Comitijs proximis Nouiodunenſis præfectura in Sebuſianis mihi ſuffragijs ceſsit. Nam quo tibi, Vireto, Comiti, & reliquo veſtri ordinis doctorum cœtui ero vicinior, eo magis magiſque potero veſtra opera, extimulatione & exemplo, gradum aliquem me dignum, ad meliora facere. Vale. Raptim, inter vndas negociorum, Bernæ, ſexto Septembris.

NICOLAVS ZERCHINTES Cælio S. Curioni, per Chriſtum S. P. D.

SVm ſæpe tibi congratulatus tacitè apud me, quòd onere maximo conuictorum, quos ſumptu alebas publico, te extricaſſes: id nimirum mecum reputans, quàm viro docto, imò mediocriter ciuili, moleſtum ſit inter proteruam iuuentutem contundi. Quantoq́; magis mihi hoc tuum probatur factum, tanto minus audebam ego tibi nouæ moleſtiæ eſſe author. Moleſtiam non ab re voco, conſilium quod dudum inieram, committendi tibi Samuelem noſtrum. Quem ego hoc vno nomine ſemper felicẽ eſſe ratus ſum, quòd in tua incidiſſet tempora, teq́ue præce-

ptore aliquando posset vti. Interea ne ego solus abolitum iam conuictorum fastidium renouarem, circumspexi omnia, si quò puellum meum possem abstrudere, ne tibi circa illum foret desudandum. Sed alibi alia impedimento fuêre. Ad te itaq; confugere visum ast, hac lege, vt si citra molestiam, meum hunc, vnáq; alterum eiusdem cum eo ætatis, Tribuni Bernensis, optimi viri (pro quo ego spondeo) filium, in tuum contubernium recipere velis, aut posis: neq; vel ratio rei tuæ familiaris obstet, vel alia te absterreant: ego vicissim me annua præstaturum iusta pollicear, quę inter nos conuenerint: & vltra pecuniolam, perpetuam quoque gratitudinem. Meus puer culcitram, omni que secum feret lectisternia, quo minus tibi sit in supellectili domestica molestus, quá scio studiosis esse minus copiosam: minimè verò omnium tibi, qui vix necessariam à Senatu efflagitaueris. Fac me, Cæli colendissime, tuæ voluntatis (quam erga me optimam alioqui esse scio) certiorem. Vale. Nouioduni, 28. Septembris, ad lucernulam.

NICO-

NICOLAVS ZERCHINTES, Cælio Secundo C. S. P. D. per Christum.

Literæ tuæ, quibus in grauiss. tuum auditorium Samueli nostro, immò tuo, aditũ referas, fuêre mihi gratissimę, nõ eius tantùm profectus causa, quem filiũ apud te in literis facturũ confido: sed quòd hac occasione ego tua eruditione, humanitate & virtutibus (nisi studiũ mihi & diligentia defuerint) commodius perfrui, ac concitato gradu si te non assequi, certè sequi tamen potero. Neq; enim quisquã est, quem ego mihi toto conatu ęquè ac te, imitandum proposuerim. Tantopere arridet genuinus ille tuus candor, omnis hypocriseos expers. Hæc seriò. Istud per iocum: Scripseram me cum puero lectisternia missurum, nimirum apparatũ Iouis epulis in Deorum templis dicatum. Tandem vbi iam epistolium manus nostras effugerat, in mentem venit: stragulam vestem sufficere puero literis operam nauanti, non sacrificaturo. Quod verbum illud citra censuram dimisisti, ideo fortè factum, ne examinanda tibi essent reliqua omnia. Nam offensam apud me nullam putaueris. Ideo enim scribo & rescribo, opportunè importunè, vt te prouocem, non ad laudandum; sed amicè castigandum, quæcunque

in studiorum & vitæ meæ genere animaduersione digna existimaueris. Cæterùm quod ad annua puerorum alimenta attinet, postquam non tibi mecùm tantùm, sed cum Tribuno quoque transigendum est: operæ precium erit vt scribas, quanti quemque puerorum alere annuatim possis & velis, vt eius certiorem faciam Tribunum. Præstat enim ea de re prius inter vos conuenire, quàm postea licitari, vbi pecunia tibi annumeranda erit. Meo puero nolo dari nisi exiguum vini cyathum singulis cœnis, reliquam sitim aqua restinguat. De cibi genere nihil præscribo, stomacho est valido: iusculum, bubulam, pultes, panem secundarium, & quicquid apposueris, omnia concoquet. Vbi primùm ars tua Grammatica exierit, fac habeam exemplar. Vale, Nouioduni. quinto Octobris.

CÆLIVS S. C. NICOLAO Zerchintæ, Nouiodunensi præfecto, S. P. D.

NOn tam mihi molestum fuit accusari abs te officium in scribendo meum, quàm iucundum, requiri: præsertim cum in eo quòd meas literas tãtopere desideras, præ te fers perspectũ mihi quidem, sed tamen dulcem & optatum amorem tuum. Nam neq;

obliuio-

obliuione amicitiæ nostræ, neque intermissione consuetudinis meæ superiorib. mensibus ad te nullas literas misi: sed quòd verebar, ne tibi in noua prouincia, in qua multa solent vos attentos suspensosq; tenere, molestus essem: atque etiam, quòd quotidie sperabam me Geneuam iturum, & te, quem hîc videre non potuissem, in ipso itinere visurum. Cum enim ignarus istius vestri sim moris, & prouinciarũ: nõ potui sanè diuinare, quo die Nouiodunẽsis præfectus hac esset facturus iter: nisi mihi aliquis significasset. Ignosces igitur mihi, si te, dum in prouinciam ires (nam postea te hîc vnam tantùm noctẽ fuisse accepi) non te vt par quidem fuerat, salutaui, tibiq; nouam sum præfecturam gratulatus: quod nunc facio, tibiq; gratulor, etsi serò, istam dignitatem. At sera gratulatio (vt omnium morum & rerump.ub. peritissimus Tullius affirmat) reprehendi non solet, prȩsertim si nulla culpa prȩtermissa est. Longè enim à publico itinere absum, audio serò. Sed tibi iterum gratulor, & vt sempiternæ laudi tibi sit iste magistratus, exopto. Id quod fore nõ dubito, si omnia gubernes & moderêre prudentia tua, nec te auferent aliorum consilia: nemo est, qui sapientius tibi suadere posit te ipso: nunquam labêre, si te audies. Et quanquam tibi gratulor, hoc tamen libentius fecissem, si tibi Lausanensis prouincia decreta esset. Nam sic & tua sapientia, istaq; humanitate

dignum munus habuisses, & nostra studia idoneum essent nacta patronum. Sed quando omnia diuina prouidentia gubernātur, nihil pręter nostras miserias & sordes deplorabimus: & quòd nobis non sis datus, nostris peccatis ascribemus. Quòd autem dicis, te ad me interpellandum, & rigida hæc mea studia interturbanda, quasique barba prehensum, à libris retrahendum cogi, vt aliquando vultum isthuc obuertam vobis, in eo agnosco raram istam humanitatem tuam, & amorem erga me tuum. Sunt mihi ista (mihi crede) tam grata, quàm quæ gratissima: tametsi hoc quod agis, interpellare non est, nec à studijs reuocare, sed allicere potius, atq; ad sapientiam, segnem atq; languentem incitare. Neq; vultum necesse est ad te obuertam meum, qui abs te interuallo locorum diuisus, animo, fide & beneuolentia, quæ nullis locorum spacijs intercludi possunt, coràm semper sum, tecumq; coniunctus. Quare si tibi nemo est charior (quòd & scribis, & facilè mihi persuadeo) est quod præter cæteros omnes gaudeam: verùm non dubito, vt me in amore vincas: te enim sic diligo, colo, obseruo, vt nemo à me tibi anteponi posse videatur. Et meritò: nam ea in me beneficia extiterunt tua, vt non satis esse arbitrer, in amore respondere, nisi etiam superem: quod si minus queam, vitam mihi acerbá putem. Et quanquam in referenda gratia par esse non possum, in habēda tamen

men non ſolùm parem, ſed & ſuperiorem me fore non dubito. Ago enim tibi, & habeo gratias immortales, habeboq́; dum viuam.

Quòd verò Pythagoreos eſſe exiſtimas, quotquot à nobis iſthuc veniunt, non malè exiſtimas: non ob ſilentium ſolùm, quod quidem ſæpenumero laudabile eſt: verumetiam ob ſuperſtitionem, qua non Pythagoreos modo, verùm Eſſenos quoque longè relinquunt, vt qui piſcibus ſolis victitantes, piſcibus muti magis efficiantur. Non mirum igitur, ſi & nos, qui cum illis ſumus muti penè efficiamur, nunquam enim homines à Gratijs & Muſis: ſed finem facio, ne (vt ſtulti) dum vitium vnum fugio, in contrarium incurram. coràm enim, ſi me ex quibuſdam negocijs expediero, cum cœlum præſertim clementius fuerit, confabulabimur, & ridebimus. Vale, & ſi tecum (quod non dubito) vxorem & familiã totam habes, eam meo & vxoris nomine ſalutes rogo amicè, honorificè & officiosè. Quinto Calendas Ianuarias. Lauſannæ.

CÆLIVS S. C. RAIMVNDO Fuggero S. D.

CVm hac iter faceret vir omni genere humanitatis prędituſ, Thomas Marcus Florentinus, oporteretq́; illum hic aliquot dies eſſe, vt equum de iti-

nere feſſum reficeret, ſecundo (vt mea opinio fert) meo fato contigit, vt eius conſuetudine fruerer. Nã vt eſt eius humanitas & mos, cùm quæreret à quibuſdam, Ecquis nam hìc eſſet, qui cum de genere aliquo virtutis colloqui poſſet? oblatus ſum ei ego, non qui talis eſſem, ſed quem talem arbitrarentur. Verùm qualis ipſe cunq; ſim, ſecunda (vt dixi) mea fortuna id accidit, quod mihi poſſum iure gratulari, qui ex eo congreſſu duorum præſtantiſsimorum virorum notitiam habuerim: quos ego mihi libenter patronos optauerim, ſi me eum eſſe putarem, quem ipſi idoneum clientem habere dignarentur. Nam cum inter nos de viris hoc ſeculo præſtantibus & claris, qui cum generis ſplendore, felicitateq; fortunæ virtutis ac literarum cultũ coniunxiſſent, ſermo haberetur: te vnum mihi prædicabat, in quo fortunæ & corporis bona, cum animi atq; ingenij bonis, pulcro quodam, quaſiq; aureo nodo necterentur. Illud autem mihi ſupra huius tempeſtatis morem, planè diuinum eſt viſum, quod ab eodem audiui, te in tantis bonis, tanta modeſtia atq; humanitate ornatum eſſe, vt neminem aſperneris: in quibus autem aliqua ſignificatio virtutis appareat, eos & colere & amare, & prę mijs afficere conſueueris: adeò vt quę res alios pleroſque inſolentes faciunt, eæ res tuum animum ad omnem humanitatem inſtruxiſſe videantur. Quo fit, vt ab omnibus vicißim ame-

ris, colaris, obferueris. Præclarè Ouidius mihi fenfiffe videtur, cum cecinit:

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt,
Pectora molleſcunt, aſperitasq; fugit.

De te enim verè iſta dici poſſunt, qui cum dignitate Principibus par ſis, facilitate tamen quouis homini inferior eſſe videaris. Verùm ne tua iſta facilitate hiſce meis literis abuti videar, ad te vt ſcriberem, Thomas eſt adhortatus: meq; duobus numiſmatis aureis, eisq; ſatis grauibus, donauit, illud tamen præfatus: Hoc munuſculũ accipies Cæli, quaſi de clariſsimi Raimundi Fuggeri manu. nam & ſi ille hoc ignorat, qua tamen animi amplitudine eſt, & erga doctos propenſione, ſcio me illi rem gratiſsimam facere, qui bonos viros ad eius applicem amicitiam: erit tibi hoc eius in doctos animi & voluntatis indicium. Itaque ſi quid à me peccatum eſt, in eo quòd te à grauioribus curis ad haſce meas literulas ſum auſus reuocare, eidem aſcribes, eiq; ſuccenſebis, non mihi, qui humaniſsimi & prudentiſsimi viri, erga te verò mirificè affecti, conſilio acquieui. Sed nihil eſt quòd hoc timeam: quando ea eſt tuorum lenitas morum, atque ſuauitas, quæ vel ineptiſsimorum poſsit ineptias ferre.

Vale. Idus Februarij. 1548.

FVLVIVS PEREGRINVS M. Cælio S. C. suo S. P. D.

QVoníam priusquam rus abirem, dilectißime frater, te conuenire non potui, ex composito (non enim mihi licuit per improuisam abitionem) dedi negotium vxori meæ, vt ad te mitteret ancillam nostram, quæ te admoneret de meo repentino ac coacto discessu, & eum excusaret apud te: præterea meo nomine & suo te inuitaret, oraret ac obsecraret, nostri Ambrosij bona venia ad nos diuerteres, vbi tu, opinor, minori incommodo esse posses, quàm alibi, cum hospitium nostrum nunc vacuum sit, & maximè nostra bibliotheca, vbi non absque magna voluptate esse posses quietus, tacitus, ignotus, nesciusque. Quod si adhuc non fecisti, vt facias, precibus abs te contendere non cessabo, dum te fecisse audiero. Post primam pluuiá mensis Augusti, tutius poteris te in viam dare. ardentißimi enim calores deferuebunt: & ita ibis, vt diuidas ac disponas certum numerũ viarum, non magnis itineribus currens, proinde ac equis bene dispositis volares. Qua de dilatione ac mora, & formula eundi, cum Pontano, Francisco & Ambrosio collocutus sum: quibus consilium nostrum facilè probaui, pro eo quanti

faciunt

faciunt tuam salutem: quæ vt video omnibus nobis non minus chara est, quàm nostra ipsorum, & iure quidem debet esse charior, quo longè fructuosior est. Quoties commouetur mare, ingentes exprimit diuitias. Reliquum est, vt cum perueneris, quò tendis iter tuum, memor sis ad nos scribere de statu tuo, & mittere quicquid scriptorum colligere poteris, quæ existimes referre ad bene beateq; viuendum, & maximè quæ strenuè demoliũtur arces perfidorum impostorum, & fallacissimorum satrapum. Quod vt facias, te vehementer etiam atq; etiam rogo. Vale optimum organum ac vas electum ad Dei gloriam. Christus Iesus tibi det ducẽ Tobiæ tuo in itinere, qui te incolumem ducat & reducat. Vale, ex agro Vercellensi, pridie Calend. Sextilis.

FVLVIVS PEREGRINVS Moratus, Cælio Secundo C. S. D.

SI corpora humana, posteaquam animæ ab illis emigrant liberæ ac solutæ, quicquam sensus haberẽt, ita vt nihil penitus habẽt: ego nũc hanc comparationem facerem ac dicerem, nullum vnquam corpus humanũ tam pertæsum in discessu animæ suæ, aut post eius discessum tantum doloris sensisse, quàm mihi fuit & est graue ac triste, te videre abijsse, & me sine te, cũ

videam me priuatum meo diuino præceptore, à Deo ipso ad me, ad meam eruditionem ac institutionem misso. neque cogito, Ananiam Pauli magistrum plus sanctis admonitionibus ac disciplinis Christianis illum docuisse, cum CHRISTO initiauit, quàm tu me. Dolorem meum nonnihil lenit, credere quidem me in nostri CHRISTI sinu esse, & illum non discingi: quia eo in articulo cum laborarem, vt destitutum vndique, & me in magno periculo viderem frigidiorem gelu ipso: ecce tu à Deo missus ad nos rectà diuertisti, præteritis multis heroibus, qui te hospitem ambirant. Ego aliquádo vltrò, cum mihi vacaret, per multa auocaméta (raró auté vacat) defraudans momento horulę meum malè affectum corpusculum, & ætatem iam ingrauescentem, legebam quidem, melius dicam, lingebam quicquam Ioannis ac Pauli, aut aliarũ sacrarum literarum: sed tua viua vox, & ingens spiritus, quo totus scintillas, & alios irradias, tam viuaciter & efficaciter me mouit, affecit, excitauit ac calefecit, vt nunc norim meas tenebras & iam viuá, non ego, sed CHRISTVS in me, & ego in CHRISto. Quid quæris? E famelico me vomitorem fecisti, ex ipso frigore ipsum ignem. Nunc non tantùm sentio me vegetum ac viuacem nutriri, & feruentem: verùm etiam possum participes facere multos alios tua opulentia, cuius me implesti. Reliquum est, vt Deum ores assiduè,

fiduè, vt custodiat luxuriantem tui seminis segetem, ad bonam messem absque vlla calamitate, ad fructus gloriosos nostro Duci vero, cui sempiterna laus: in cuius gratia, tu cum omnibus tuis, & fratribus nostris, viue & vale. datæ Ferrariæ, 3. Calend. Nouembris.

SEBASTIANVS CASTAlio C. S. Curioni S.

ME à te amari, mi Cæli, nunquam dubitaui. Tu vicissim caue, ne amorem non mutuum esse putes. De rebus meis, eæ optimè habent, est Deo gratia. Biblia latina facio. Mosem post nundinas spero publicatum iri. Sibyllas iampridem latinas reddidi: sed adhuc premuntur. Si mihi, qui semper adfuit, Deus aderit (spero autem adfore: nunquam enim mihi quicquam, quod sit æquum, tam bonus pater denegabit) conabor & illi laudi, & hominibus esse vtilitati. quod vt fiat, eum precor: teque, vt eundem idem precêre, precor. Mitto tibi libellum, viro puerilem, magno paruum, latinogræculum ex parte. Vides quàm conueniẽtia sint mea munera. Sed mihi persuasi, nihil à me tibi mitti posse, quod non boni consulas. Misissem & antè Ionam, nisi id Oporino noluissem præripere. Sed hoc te rogo, vt quando mea à tuis legun-

tur (qua tu quidem re facis, vt mihi non displiceam, qui tui similibus placeam: sed Deo gloria, qui solus placere nobis debet) si quid Sabaudicum, id est malè cultum, aut parum aptum & latinum videbitur, id mihi significandum cures, deinceps vt caueam. Hæc mihi res futura est gratissima: nam plures plura vident. Vale. Basileæ, 22 Martij.

THOMAS ERASTVS HELuetius Medicus, Cælio S. Curioni S. P. D.

SI tanta tua est erga illos, quos ne de facie quidem nouisti, humanitas: qua te beneuolentia atque amore complecti eos cogitabimus, ex quorum consuetudine voluptatē, familiaritatē fructū, opera vtilitatem cepisse te, aut capturum intelligis? Ego certè si is essem, de quo præclari aliquid atq; te dignum expectari posset, minus dubitassem hactenus, aliqua mihi ratione ad tuam amicitiam aditum parare, & quasi fores patefacere. Non enim iam primùm cupio animū tibi meum cognitum, fidem perspectam, obseruantiam certam, & beneuolentiā declaratam: verùm quæ & quanta eá sint, quæ in hunc vsque diem & hodie adhuc meum consilium remorantur, hoc tempore certo quodam consilio commemorare non institui; ne dum vacare cul pa vi-

pà videri cupio, in grauius me imprudens discrimen conijciam. Nam vt ille inquit, σιγὴ ποτ' ἐστὶν αἱρετωτέρα λόγου. Hoc in præsentia solùm dicam, paucos admodum esse vel hìc vel isthic, vel etiam alibi, me tui amantiores. Quòd si nō antea tibi animi mei voluntatem explicaui, quàm Ioan. Iac. meus tuis me verbis salutaret, non alia causa factum existimes velim, quàm quòd me non dignum tanti viri familiaritate iudicare sum ausus. Verùm angustia temporis non patitur longiores nos esse, qui alioqui impigri admodum ad scribendum sumus. Neque enim abitum illius hominis intellexeram, priusquam pransurus accubuisset, atq; iam ocreatus à prandio abire voluisset. Equidē quot literas paucissimis horis perscripserim, credi non posset fortassis, si scriberem. Et vt finem scribendi faciam, & tabellarium vrgentem dimittam, sic statuas velim: Erastū tui obseruantissimum, nominis & dignitatis fautorem, ingenij atq; doctrinæ prædicatorem, semper & fuisse, & futurum esse. Datum octauo Idibus Septembris, 1552.

Bononiæ.

nam & eis rebus nostra imbecillitas sanè indiget. His omnibus accessit, quòd nos pulcherrimo munere donasti, eoq; à Musis, quas colimus nequaquam abhorrente. Nam Bacchus & Apollo idem sunt, si veteribus ijsq; sapientioribus credimus. Apollo autem Musarum antistes perhibetur. Quid, quòd Bacchus pacis concordiæq; σύμβολον esse dicitur: vt hac re ei quoq; cum Gratijs, quæ comites sunt Musarum, præclarè conuenire intelligamus. Lagenæ verò forma & artificio, quid venustius? Laudauit quidem pastor ille Menalcas apud Maronē nostrū, diuini opus Alcimedontis. Verùm si ista vestra toreumata, quæ ad D. Claudij elaborantur (qui vtinam ob hoc solùm adiretur) vidisset, ne sua illa præ istis contempsisset. Quare cùm pro tam eleganti munere, tum pro isto tuo erga me animo, tibi quas possum gratias ago. nam me relaturum esse, polliceri non possum: habiturum certè possum. Hoc tamen tibi persuadeas velim, qui te magis amet, colat, tuamque scribendi elegantiam (aliquot enim tuas lucubrationes degustare cœpi) magis admiretur, te inuenturum esse neminem: quod quidem, si libeat periculum facere, facilè cognosces. Vale, & tua ista literarum suauitate fac me sæpius perfundas. Basileæ, Nonis Ianuarij.

1558.

IACOBVS BALDEMBERgius Cælio S. Curioni S. D.

Vereor ne turpe sit, præceptor honoratissime, ad te literas dare: cùm multa sint, quæ me à scribendo deterrere debeant. Nec verò me fugit, minimè decere adolescentem natu grandi, barbarum latino, rudem docto, obscurum claro, ineptum occupatissimo molestiã exhibere. Sed quia te summa humanitate, quæ semper est cum perfecta doctrina coniuncta, præditum scio, non possum intermittere quin te interpellem. Maxima sunt tua in me beneficia, & quæ in me publicè docendo, & quæ priuatim contulisti: quibus quoniam satisfacere non possum, vitam mihi acerbiorem puto. Tu mihi Latini sermonis mysteria patefecisti: tu elegantiam Romani sermonis explicasti, tibi potissimum, si quid in me est ingenij, quod sentio quàm sit exiguum, debeo: tibi doctrinam, si quam in me agnosco, acceptam fero. Nunc demum magno cum dolore sentio, quæ bona abs te abstractus iam feram. Vtinam Basileæ essem, maiore te audirem diligentia. Quòd si Augustæ Rauracorum habitarem, quotidie Basileã vel turbulentissima tempestate te legentẽ auditum venirẽ. Scio multa mihi deesse, noui me rudem linguę

 Latinæ,

Latinæ, qui me erudiat, qui scripta emendet, nemo est: neq; multum temporis datur hisce rebus operam dandi. Nam concionandi munus tantum mihi negocij facessit, vt bonas literas negligere cogar. Itaque in fœda ista barbarie, quam semper odio dignam putaui, perpetuò versari oportet. Medicus ille qui tecum Basileæ fuit, venit ad nos: quem cùm non potuimus ijs honoribus afficere, quibus dignus erat, magnum nobis attulit dolorem: sed certè alieno tempore aderat. Nā diu in itinere commorati, paulò antè in patriam redieramus: in egestate versabamur pecunia omni cōsumpta: quid de nobis in Senatu ageretur expectādum erat: denique ad futuram orationem, quæ ad vniuersum populū habenda esset, nobis parandū. Sed iam dabimus operam, vt docti in posterum ac sapientes magnificè tractentur. Vadianus noster quem putabamus aliquid præstiturum, hei quantum mutatus ab illo pristino Vadiano? Nam periculoso morbo est affectus, peritissimi quiq; de illius vita actum esse arbitrantur. Ex eo die, quo discessit hinc, doctus ille tuus hospes, paulatim conficitur. Deus illum non solùm nobis patriæq; communi, sed omnib. bonis atq; pijs restituat. Tibi alteram Petri epistolam, ac Iacobi, à me versam mitterem: sed libros nostros, quos Basileæ habuimus, nondum accepimus. Si aduecti fuerint, & tibi non molestum sensero, ad te vt corri-

gas, mittam. Vale, & te tibi & Academiæ incolumem conserua. Sangalli, tertio Calendas Ianuarij, 1551.

CÆLIVS S. C. G. N. S. P. D.

ET literas tuas amantissimas superioribus diebus accepi, & hodie quoq; Magdemburgensium deditionis capita: pro quibus omnibus tibi gratias ago. nam in vtroque tuam in me beneuolentiam declarasti, qui nullis locorum & temporum interuallis, amicitiæ inter nos diuinis auspicijs initæ memoriam obscurari finis. Nec est quòd de meo animo dubites: prius enim cœlum, & reliqua: quàm Curio tuus, te tuaque curare, summoque opere amare desinat. Mutari omnia possunt, quin potius mutentur, & intereant necesse est, quæ hominis manu & ingenio facta sunt: sed quæ digito Dei (vt consecratis verbis vtar) sunt effecta, ea non viribus vllis, Frangere, nec duro poteris conuellere ferro. De conditionibus illis, aliter qui hîc apud nos fuit legatus Magdeburgensium narrauit: nimirum æquissimis conditionibus, & talibus, quas nunquam sperare ausi essent, compositionem factam esse: atq; etiam totius obsidionis commentarios attulit. Sed tamē existimo, etiam

etiam quæ ad me misisti, non esse prorsus vana: siquidem à fidis, vt arbitror, accepisti. De concilio verò nihil habeo quod dicam: nisi id esse Gigantum cum Deo bellum. nam conantur Pelio imponere Ossam, Scilicet atque Ossæ frondosum inuoluere Olympum: Tu quæ sequantur, nosti. Trium principum ludum, tibi, vt iussisti, Latinum feci: sed crede mihi, non potest natiua illa Italici sermonis vis in tali ludo seruari. tota enim res sita est in quibusdam proprijs ludi formulis, atque genere. is apud nos vocatur, Il giuoco de la Primiera. Fortassis erunt apud vos, qui cur ita appelletur, melius intelligant: nam ego prorsus rationem eam ludendi ignoro. Tu verò ea etiam intelliges, quæ à me satis exprimi non potuerunt. Vale, & Christo viue. Basileæ, quinto Februarij.

G. N. CÆLIO S. CVRIONI S. P. D.

MIraberis (scio) pro tua grauitate, vir doctissime, tã longè transmissam epistolam, sub manu (quod aiunt) natam ac rudem. Sed quid agerem? Iampridem incredibiliter ardebã tui vel videndi, vel per literas certè salutandi studio: cuius exempli occasionẽ faciliorẽ, hac tua Basiliẽsi profectione nactus sum.

Illud tibi velim perſuadeas, neminem eſſe ex literatis omnibus, cuius ego nomine ac laudibus vehementius afficiar. Quod quum facio, nihil me plus tibi, quàm quod cæteri omnes, tribuere intelligo. Itaque nihil eo nomine mihi abs te deberi exiſtimo. Tibi enim tuũ quum datur, gratiæ nihil poſtulari conuenit. Vt igitur me dignum tua neceſsitudine tuaque amicitia facias, mihi etiam atque etiam orandus es. Quod ſi impetro, iuuabit tum me talem in te humanitatem eſſe expertum, qualem doctrinam antea cognouerim. Oratio tua in Florebellum, & opulenta, & grauis, plenaque eximiæ eruditionis, ad nos plauſibiliter peruenit. Nam penè quantum per occupationes noſtras licuit, legendo contriuimus. Vale, & me tui amantiſsimum ama, vir doctiſsime atque integerrime. Septimo Calendas Septembris.

G. C. N. CÆLIO S. C. S. P. D.

Nuiſit me Guilielmus noſter, qui has tibi reddit, Secunde doctiſsime, multa de te candidè referens. Ego verò, licet amiciſſimus, non potui tamen vitę tranquillitatem, literarium iſtud ocium, in quo frequens es, non inuidere. Deus bone,

bone, quæ fors, quæ rerũ volubilitas res meas versat? Hoc institutum in primis optarem: sed cùm non possim consequi quæ cupiam, ferenda certè sunt, quæ vltrò impetunt. Perpetuò voluendum istud mihi est saxum. Atque vtinam liceret ab hoc bonarum mentium præcipitio diuelli, tecum aliquot dies esse, tuis istis dulcibus ac toties desideratis frui complexibus, te audire, tuas Musas prouocare, quæ me à studijs disitum & penè alienum, postliminio reuocarent. Plurib. de his tecum, fortassis familiarius ago: verùm efficit illa cum eruditione summa humanitas, vt nugas ac quæuis etiam leuiora amicè ab amico excipias. Scripseram Bartholomæo Lugdunensi medico amico, vt Ioannis Pici Mirandulæ aduersus diuinatricis Astronomiæ imposturas duodecim libros mitteret. Ita enim cupiebam temporis tędium succisiuis horis fallere: sed nusquam inuenisse rescripsit. Quo fit, vt de horum lectione desperem, ni tu suppedites. Tuam enim audio bibliothecam vt locupletissimam, ita bonorum abditorumq; authorum refertissimam esse, in quorum albo hic profectò omnium testimonio est habitus. Rogo itaq; per amicitiam, si non molestũ sit, cõmodato: aut quod magis optarim, indicato precio mittas, & primo quoq; nuncio summá quam significaueris persoluã: tum si quid tua causa vicissim possum, omnem operã tibi polliceor. Deus optimus maximus

te longæuum, votorumque compotem seruet. septimo Calendas Iulij.

BEATVS COMES MEDIcus Cælio S. C. compatri charissimo S. D.

Summam tuam de omni artificio differendi atque tractandi, cum suauissimis literis tuis accepi, cōpater mihi longè charissime: proque tam eleganti munere, quibus possum verbis, gratias ago, ac doleo vehementer, a me non esse eruditione neque ingenio, qui huius generis aliqua meditari queam, & in amicorum gratiam tandem emittere. Verùm non omnis fert omnia tellus. Quanquam non tantopere hanc ob causam doleo, quàm verè & ex animo raram istam eruditionem atque eloquentiam tibi gratulor: quam ego semper, si quisquā alius, amaui, laudaui, demiratus sum. Quod autem petis, vt indicem de eo libro, deque responsione tua ad Florebellum: videre mihi planè videris, aut amore mei cæcutire. Itaq; nescius non es, ea me neque doctrina, neque ingenij dexteritate esse, vt de talibus scriptis iudicare possim. Adde quòd nihil à te potest exire, quod tanquā meum mihi non mirabiliter & sapiat, & placeat. Quid igitur? egóne rectè iudicē, amore tui ebrius? At quoniam id tam

tam seriò à me petis, accipe quid sentiam de tuis omnibus scriptis. Omnia sunt ingeniosè inuenta, prudẽter disposita, subtiliter & acutè tractata: vbiq; clarissima atq; illustratissima tum sententiarum grauitate, tum verborum pondere, tum deniq; rebus personisq; aptissima. In quibus vtrum potius mirari debeã, nescio: eloquentiámne, eruditionem, an eruditissimam eloquentiam? Habes paucis meam de tuis scriptis sententiam. Filiola tua valet optimè: teq; matremq; suam vt suo nomine salutarẽ, hodie mane infantili nescio quo risu mihi significare visa est. Cæterùm rogo te, compater optime, vt Hipprocratis opera, nõ ita pridem à doctissimo quodã viro Latina facta, ad me primo quoque tẽpore mittas. Valde enim cupio hanc nouam versionem conferre cum vetere. Eadem opera & libri precium significabis: & quid expectare de Cęsaris comitijs debeamus, scribes. Vale, Lausannæ, septimo Calend. Septembris.

PHILIPPVS MELANTHON clarissimo viro Cælio S. C. S. D.

Est omnino imago naturæ & animi oratio. Cum igitur tua quædã scripta legissem, viderem q; orationis formã generosam esse, & congrueret in te Homericum illud Σοὶ δ' ἐ-

νι μὲν μορφὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαὶ, te etiam priusquam sciebam vbi viueres, dilexi. Postea magis amaui, cum audirem Lælium, non solùm eruditionem & eloquentiam tuam prædicantem; sed etiam pietatem & animi fideiq; constantiam in perferendis ærumnis, quas propter veræ sententiæ confessionem sustines. Talis viri beneuolentiam cum faciam plurimi, ad te hanc epistolam misi, qua vtrunq; tibi significare volui, & te à me verè diligi ac fieri plurimi, & me tuæ amicitiæ cupidissimum esse. Minus deformis est Ecclesia in tantis ærumnis, donec mediocre est agmen eruditorum coniunctum sententijs, & vera beneuolentia. ac sæpe hos versus à Platone citatos, inter amicos recito:

οὐ χρυσὸς ἀγλαός,
οὐδ᾽ ἀδάμας οὕτως ἀστράπτει πρὸς ὄψιν,
ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφραδμῶν νόησις.

Quare & beneuolentiam alamus, si quibus possumus officijs, & coniunctioné nostram tueamur. Ego sicubi ergà te vel tuos declarare meam beneuolentiam vsquam potero, perficiam studio & fide, vt intelligas te à me verè diligi. Bene & feliciter vale.

Calendis Maij.

CÆ.

CÆLIVS SECVNDVS CVrio, clariss. viro Philippo Melanthoni suo, per Christum Iesum S. P. D.

IAm tertia hæc est epistola, quam ad te ab eo tempore, quo ad me scripsisti, hoc est, à superioris anni Maio dedi: nihil tamen literarum ego à te interea temporis accepi. Quod si idcirco accidit, quòd aut meæ tibi redditæ non sunt: aut quia tuæ ad me siue hominum negligentia, siue perfidia non sunt perlatæ, ferendum vtrique est. quanquam vereor, ne hisce calamitosis temporibus, ac in tanta Germaniæ perturbatione, interceptæ potius fuerint. Semel ego Francfortum miseram, deinde Nurembergam Christophoro Lindnero: hanc autem tertiam omnino ad te perferent, ni fallor, duo hi iuuenes Suedi, quos tibi notos esse non dubito, vt pote qui diu sub tua disciplina fuerint: quos tibi rursum commendatos esse cupio. Quod alijs meis literis scribebam, illud erat, me non minus cupidum tuæ amicitiæ semper fuisse, quàm te literis ad me tuis mei studiosum esse declarasti: optauiq; semper occasionem aliquam dari meę erga te voluntatis testificandæ: quod si fieret, videres te hominem nactum esse, cuius fides, beneuolentia, studium, obseruantia, nulli

tuorum amicorum postponenda esset. Equidem admodum adolescens adhuc, cum prima tua monumenta legissem, te ita amaui, vt vix vlterius progredi meus in te amor posse videretur: quem tamen processu ætatis subinde augeri sensi, ita vt sępenumero præsens præsentem complecti concupiuerim. Sed multa & varia pro sanctißima religione certamina, tum etiam vxor charißima, multitudoq́; liberorum, præsertim verò aduersa valetudo, impediuerunt. Sperabam autem me huius perpetui desiderij compotem fieri aliquando posse, si tu, quod rumore ferebatur, propter patriæ tuæ perturbationem ad nos transiuisses. Et quanquam id in tantis malis solatio mihi, & huic gēti ornamēto fuisset: tamē gauisus sum, cùm audirē vos isthic firmam de religionę sententiam retinere, & bonarum artium studia vtcunq; tueri posse. Itaq; mi Philippe, quāquam nec quæ tu mihi tribuis, nec quæ L. S. noster apud te de me prædicauit, agnosco, nisi quòd amborum erga me voluntatis significationem libenter amplector: tamen ita me tuis illis literis, nouo quodam amoris vinculo deuinxisti, vt nulla dies vnquam id remittere vel tantillum, ne dicam soluere vllo modo poßit. Nihil scribo de rebus nouis, deq́; omnium rerū confusione, quam continuis prosequor lachrimis: quod hi iuuenes, qui ex ipsa vrbe Roma recenter veniunt, & Germaniā peragrarūt, tibi, quæ agan-

agãtur, narrare poterũt. De Logodędalo, illud quoq; ſcripſeram ad te, mihi videri eius ineptias eſſe refutandas: ac non dubitare me, tibi idem videri: quamuis temporibus hactenus fueris retentus, & à ſcribendo retardatus: ac fortaſsis etiam nouis veſtrorũm quorundam Theologorum diſſenſionibus profectò ſatis intempeſtiuis. Sed ita fieri neceſſe eſt, vt probati in religione viri, atq; ex altera parte inconſtantes & vani pateſiant. Oremus patrẽ cœleſtem, vt errantes in viam reuocet, ac perfidiam hominum impiorum in lucem pertrahat. Antequam epiſtolam claudam, eſſent tibi à me agendæ gratiæ, de eo quòd te tuaque omnia mihi tam humaniter obtuliſti: ſed quibus id verbis faciam, non inuenio. tantum illud dicam, te ea tibi de me polliceri poſſe, quæ de intimo ac germano fratre pollicerere. Vale, & aliquanto ſæpius ad me de veſtris rebus perſcribe: equidem idem ſum familiariter, diligenterq; facturus. Calend. Decembris. Baſileæ.

FRANCISCVS DRYANDER Cælio S. Curioni ſuo S. D.

ALlatæ ſunt literæ tuæ in meam domum, cum ego eſſem peregrè profectus: quas legi reuerſus, nec antea reſpondi, quoniam habui neminem qui Baſileam profici-

ſceretur. Quod ſcribis de quorundam inuidiã & maleuolentia, quorum ſimulata pietate, factum arbitraris, vt nebula quædam inter te & me offunderetur: non ſatis poſſum affirmare quos homines intelligas, & quamobrem hæc abs te dicantur: alioqui reſponderem candidè quod ſentirem. Poſſem fortaſſe diuinare, ſed non libet eſſe ſuſpicioſo. Ac in ea parte probo ſententiam tuam, qui non eſſe candidi amici ſtatuis: vel ipſum eſſe ſuſpicioſum, vel ab alio oblatas criminationes temere admittere. Valeant hæ parum honeſtæ delationes, mi Cæli, & ingenium tuum & omnium bonorum in alia potius re vtili ac laudabili, quæ profectum aliquem ſit allatura communi ſaluti reipub. exerceatur. quod te hactenus feciſſe, & vidi ego cum voluptate: & legent ſtudioſi adoleſcentes, ſicut ſpero, cum vtilitate. Ego quid proficiam neſcio, certè laboro integra conſcientia, cuius rei teſtem Deum appello: è quo ſpero dignam mercedem meis laboribus, etiamſi nullam ab hominibus huius ætatis referam gratiam. Spero tamen venturos aliquos meliori iudicio præditos homines, quibus non erit inutile noſtrum ſtudium. Deum autem oro toto pectore, vt actiones noſtras & vniuerſum vitæ curriculum ipſe dirigat ac gubernet ad gloriam ſuam, & aliquam Eccleſiæ vtilitatem. Pro officio tuo & Marſi in mittendis literis ex Italia, gratiã habeo: ad quas ego reſpõdi etiã

antea,

antea, quàm has acciperem, per hominem certum quem ad me miserunt quidam Ferrarienses. Itaq; non est opus vel tibi vel illi molestiam exhibere. Si quid erit posthac scribendum, non dubitabo meis literis vos onerare: quorum in gratiam eundem, vel similem laborem sum libenter suscepturus. Bene vale cariss. Cæli: & si quid tua causa facere possum, senties me cũ omni candore atq; integritate esse paratum. Argentinæ, 8. die Ianuarij.

MICAELVS TOXITES CÆlio S. C. suo, S. D.

EA est natura mea Cæli, vt quem semel amare cœpi, eum haud facilè negligere posim. Quàre cum te ante annos multos & coluerim syncerè, & veneratus sanctè sim, vti meritus es: non potui committere, vt te his meis ineptis literis nón salutarem. Videor enim mihi partem Sturmij nostri nactus in te esse, qui non solùm amicus illi es, sed mihi quoque, sed eiusdem etiam eruditionis, sed pietatis æquè studiosus. Eiusmodi ego homines, dijs propè similes iudico: quę causa est, vt à me summo habeantur in precio. Ac mihi quidem in vita nihil iucundius posset contingere, quàm vt vobiscum agerem. Sed feram communẽ fortunam. Te mi Cæli deamo, te colo, te veneror, te

rogo, in tuorũ me numero esse patiaris. In me quamuis nihil sit quod amari dignum videatur, fidem tamen & candorem in me nunquam desiderabis, quæ potissimum in amicitia requiruntur. Vidi quæ proximè in Philippicas cumulatè lucubrasti, & in Iuuenalem & Persium annotasti: quæ mihi valde probantur: sunt enim Cælij ingenio digna. Gaudeo te non modò Oratores tuos, verumetiam poetas nostros illustrare. Vtinam pergas in reliquis eodem modo. Mea quæ ad te misi, vt legeris, quomodo tibi placeant, fac sciam. Volo enim te meorum scriptorum Aristarchum esse. Salutat te Sturmius: & cupit vt tuas quas de libris Aristotelis rationes habes, quòd eius illi libri non sint, ad eum scribas. Idem enim ille tecum sentit: & statuit dialogo explicare. Inducet te loquentem, & rationes tuas cum dignitate explicantem. Rhetoricis dialogis quos conficit, nihil vidisti pulchrius. Hortare eum vt pergat, eosque absoluat. Vale mi optime Cæli, atque hos meos extemporales & malè coctos versus tibi consecrari, meæ erga te beneuolentiæ testes patere.

MICAE-

MICAELVS TOXITES R.
Cælio Secundo Curioni, viro doctißimo S.

TE saluere meus, Cæli doctißime, ußit
Sturmius, Aonij gloria vera chori.
At mihi non tantum concessum est hactenus oci,
Vt possem præsens commemorare tibi.
Tempus erit, quo te coràm fortasse videbo,
Quo tibi non falsus iunctus amicus ero.
Cui non ingenium, cui non doctrina, salesq́,
Cui non est virtus nota, Secunde, tua?
Quæ mihi si propius semel inspectare licebit,
Colloquioq́ frui, tempus inane, tuo:
Tunc ego præsentem præsens venerabor, vt absens
Absentem colui, scripta diserta legens.
Sic Deus incolumem studijs te seruet honestis,
Semper vt humanis rebus adesse queas.

CÆL. ORATIVS CVRIO,
Castrucio Castrucij filio, per Christum Iesum S. D.

COgitauimus diu pater & ego de aliquo munusculo, quod ad te mitteremus. Sed cum ijs reculis quibus nos pueri delectamur, nō indigeas, vel abundes potius (vt pote qui in ista ciuitate es tā lauta quàm nobi-

li, merciumq; omnis generis refertiſsima) non facilè inueniebamus, quod iſta tua ætate, nobilitateq; dignum videretur. Tandem à patre mihi oblati ſunt libelli duo: quorum in altero ſacra religionis Chriſtianæ ſumma continetur, in altero ſelectæ aliquot Ciceronis, Latinæ linguæ principis, epiſtolæ, huic noſtræ ætatulæ accommodatiſsimæ. Quibus accedit Educatio puerilis linguæ Græcæ, cum quibuſdam Aeſopi fabellis Græcis & Latinis, quæ pariter ad hanc noſtram educationem, tanquam infantiæ iucunda verba!, ſelectæ fuerunt: illico rogaui patrem, num eiuſmodi libelli idonei eſſent, qui ad te mitterentur. Annuit pater, ac ſubridens: Bene habet, inquit, iam Oratius noſter amicitiam incipit colere, ſimulq; alteros pares habendos curauit. Hos igitur ad te nunc, mi Caſtruci, dono mitto. Curabis tu, vt à pædagogo tuo atq; adeò noſtro (quãdo vnà principia literarum ab eodem didicimus) tibi hi libri explicentur, quod & mihi pater facit, vt ſimul fundamenta iacias cùm elequentiæ, tum ſinceræ religionis: quo fiet, vt & Deo & hominibus cari ſimus. Vale, & ſaluta meo nomine matrẽ tuam ornatiſsimã, quæ & mihi, dum tecum eſſem, mater erat: & ſorores tuas elegantiſſimas, Catarinam & Lucretiã, & paruulum fratrem, & præceptorem, & quotquot de familia ſunt. Vale per Ieſum. VIII. Calend. Iulias.

SELE-

SELECTARVM EPISTOLARVM CAELII S. C. Liber II.

CAELIVS S. G. NOBILISS. adolescenti Abrahamo Sbaski, equiti Polono, per Christum Iesum S. P. D.

QVID querar, chariss. Abrahame? tene oblitum esse nostri; quem in oculis ferimus, quem deperimus? an tempora hæc calamitosa; an perfidiam siue negligentiam tabellariorum accusabo? Te oblitum esse nostri, quos tãtoperè diligas, vir omnium humanissimus & gratissimus, qui tam sanctè, tam sæpe, te ad me scripturum pollicitus sis, mihi persuadere nõ possum. Itaque aut literæ nõ sunt mihi redditæ, aut grauissimis de causis scribere nõ potuisti. Equidẽ bis ad te Norembergam, vt condixerimus, literas dedi: à te autem nullas vnquã, post Schafussianas literas accepi. Quòd nisi proximè à Stãcaro nostrò literas accepissem, quib. intellexi meas ei à te redditas esse Francforti ad Viadrũ; ne quid in itinere, tam perturbatis omnib. ti-

bi accidiſſet, vehementer metuerem. Fleuimus omnes tuum diſceſſum, præſertim eius temporis, Deumque pro veſtro felici itinere continenter ſumus precati: quod vos etiam ſenſiſſe non dubitamus. Dolia tua adhuc hîc ſunt: nam ita iuſsiſti, ne ſine tuis literis & iuſſu mitterentur: nec etiam ſi iuſsiſſes, in tanta pericula tantamq; prædonum licentiam, cùm nulli alij mitterent, miſſuri eramus. Iam igitur tuum erit videre & mandare quid fieri velis: vereor enim ne aliquid eorum quæ incluſa ſunt, præſertim veſtes, corrumpantur. Quare, vt dixi, quid cupias ſcribe. Cupimus autem ſcire quid rerum agas, quæ tua ſtudia, quæ exercitationes, qui profectus in literis, in religione ſanctiſsima, in Repub. & quid valeat ſanctiſſima fœmina ſimulq; nobiliſsima mater, ſoror, frater, propinqui: quorũ omnium bono haud ſecus quàm noſtro proprio gaudeo. Nos hic, Domini beneficio valemus, vxor, liberi, Hieronymus. Munſterus noſter, paulo poſt tuum diſceſſum: aliquanto pòſt etiam Myconius, primus in hac vrbe miniſter & paſtor, ex hac vita migrarunt. Bellum ingens in Lotharingia geritur, ad Metim vrbẽ in Mediomatricibus, quã Diuodurum à veteribus appellatam puto. Metim Cæſar obſidet, Galli tuentur. tota Belgica bello maximo flagrat: incenſis innumerabilib. oppidis, caſtellis, villis, ac miſerorũ incolarum direptionibus: nec vlla cõpoſitionis ſpes, niſi altero

altero deleto. In Italia quoq; ingens renouatur bellum, propter Senam Hetruriæ vrbem clarissimam, à Gallis captam. Patria est Lęlij nostri: à quo proximè literas accepi, in quibus Sbaski humanissimi suauissimam & amantissimam, plenamq; desiderij mentionem facit: rogatq; vt si quid de te acceperim, ad eum perscribam. facit tamen sui ad nos reditus spem. Ac de his hactenus. Venio nunc ad quoddam meum consilium tibi explicandum. Scripsi de Amplitudine regni Dei opus varium, ex diuinorum oraculorum penetralibus erutum, solidæ consolationis ac doctrinæ plenum. Dialogis duobus summa grauitate res agitur, suo tamen sancto lepôre sermo condítus est. Operis magnitudo erit pulcherrimis typis, ac mediocribus, triginta foliorum, octauæ formæ. Hoc opus cui dicare cogitem nosti: sed prius velim audire consilium tuum. & si probes per quem sit offerendum: per té ne, an per alium per te mihi conciliatum. Quamobrem te etiam atq; etiam oro, vt mihi respondeas, vt intra Martiũ ad summum, tuas literas habeam: & simul eius titulos mihi conscribas, vt omnia plenissimè cumulemus. Poteris facilè mihi literas tuas curare per idoneos mercatores, easq; non solas, sed per alios atq; alios duplicatas, vt aliquę salutem ad me perferantur. Est aliud opus in manibus, quod tibi, vbi de statu tuo certior factus fuero dicabitur. Quamobrē si me amas, si meis li-

beris bene & fortunatè cupis, confice quæ postulo. Et caue putes te hominem habere, qui te magis amet, quàm Cælius tuus. Saluere te de meliori nota iussit vxor mea : itemque Augustinus meus, & Angela, & Cælia, & Felix : crescunt, discunt, teque omnes amant. Noster Hieronymus breui medici insignia accipiet. nam bellè profecit: iussitque te eius nomine salutarem. Offert operam suam: si medicum Italum, ac tui amantissimum non asperneris. Vale mi charissime Abrahame : & matrem clarissimam fœminam, sororemque & alios propinquos meo nomine saluta, qua vales humanitate, humanissimè. Basileæ, Calend. Decembris. Salutabis nobis Stanislaũ tuum, iuuenem moderatum, & mihi periucundum.

CÆLIVS S. C. PER Christum Iesum S. P. D. G. C. N.

GRatæ literæ, grata munera, sed omniũ gratissimus tuus iste in me amor: è quo tanquam limpidissimo fonte illa hucusque redundarunt. De caballis risimus. Nam cum quid caballarum nomine intelligeres, hæsitarem (existimabam enim te mecũ amicè iocari, aut aliquam subesse ἀλληγορίαν) idq; tuus

nuncius

nuncius subolfaceret. facetè illicò: Faxo, inquit, vt mox intelligas, ipsasque bestias videas: simulq; arrepta crumena, totidem equos repræsentauit, quot tu caballas scripseras. Mihi hic meus error non mediocrem attulit voluptatem: præsertim cum viderem, me non modò in sexu, verumetiam in vsu lucrum fecisse: quippe cum pro fœmellis masculos, pro fœniuoris argenteos acceperim. Itaq; longè pluris hic tua ista munera fiunt, quàm isthic: vt intelligas huius vrbis vim quandam diuinam, in qua rerum naturæ in melius commutantur. Permagni enim refert natura loci, vt de pomis Perseis legitur: quæ cum in Persia læthifera sint, aliò translata, salubria atq; innoxia fiunt. Item quę de quodã Pannoniæ fonte, in quem coniectum ferrum, in æs purissimum commutatur. Vide quid agam, qui in tanta omnium rerum perturbatione, tecum iocer. Sed quid agas? sinamus Principes insanire, nos de nostris literulis, de bene beateq; ex Christi Domini voluntate vita traducenda, inter nos agamus: mutuò cohortemur, ne incassum cucurrerimus, aut curramus in posterum. Atq; ad hoc facit, quod anno superiore, de mercatore & mercibus scribebam: quod quidẽ te, quo vales acumine, intelligere nõ dubito. nam &, vt ita inter nos ageretur, cùm hîc esses, erat cõstitutũ. Gallicus Pasquillus placet: & vera sunt quę dicit si modò Gallo initio belli aliud non fuit propősi

tum: à quo proditionibus, perfidiosisq; artib. quorundam aberrare necesse fuerit. Verùm, vt dixi, ista summus rerum arbiter viderit. Tu fac, quemadmodum polliceris, proximo Februario nobis adsis: qua re nihil gratius mihi potest contingere. Sed ea lege, vt mecum diutius sis, quàm tunc fuisti, vt sit de multis commentandi & colloquendi spaciũ. De isto nobilissimo adolescente, gratissimum est quod monuisti: & curabo, vt breui in eius nomine aliquod nostrum extet monumentum. Tu interea illum meo nomine plurimùm salutabis, nosque in eius gratia conseruabis. Sed velim ad me quàm primùm eius titulos & patriam, & familiam, & studia conscribas: vt clarum, & nostri studiosum adolescentem, pro eo ac ipsius dignitas meretur, exornare possim. Mitto tibi Magdeburgensis obsidionis commentarios: neq; pro tuis donis præstantibus tibi, vt debeo gratias ago, quoniam quibus verbis id faciam, non inuenio. Verùm pro gratiarum actione, amorem mutuum, fidemq; repono: quibus te in sinu fero, nec discingor. Vale mi charissime N. per eum qui solus salutem atque immortalitatem donare potest. Basileæ, decimosexto Calendas Ianuar.

AN

AN LIBRI QVI ARISTOtelis nomine circunferuntur, sint Aristotelis, nec ne.

CÆLIVS S. CVRIO OCT. Fer. suo S. D.

PEtis à me, vt quid de libris, qui Aristotelis titulo & nomine circumferũtur, sentiam, tibi perscribã, Aristotelis ne esse germanos putem, an falso Aristoteli adscriptos? Quæ res etsi inuidiæ plena hac tempestate futura est, non possum tamen te amicum singularem, meam celare sententiam, quicquid contra me dicturi sint Aristotelici nostri: qui si sectæ suæ autorem velint (vt debent) exprimere & imitari, nihil temerè iudicabunt, sed rationis regula omnia metiri volent. Equidem rationem ipsam ducẽ, tum maximorũm autoritatem virorum sequar. Ac primùm Strabo Geographus certissimus, & Plutarchus vir copiosa quadam eruditione præditus, apertè narrant, Aristotelis volumina excidisse omnino, & obliterata fuisse: ac qui philosopharentur, eos tantum scripta quorundam veterum Peripateticorum habuisse. Deinde M. Tullius ad Lentulum scribens, se libros treis de Oratore, in dialogo, Aristoteleo more, scripsisse dicit. Iam si Aristoteles hunc morem

habuit, vt dialogis ſuas diſputationes explicaret, credibile eſt eum multa volumina, nedum vnum ea forma conſcripſiſſe: id quod tituli & inſcriptiones librorum (quanquam & quoſdam dialogos nominatim profert) quæ apud Laertium leguntur, oſtendunt: vt Sophiſta, Menexenus, qui de moribus diſputant: & Nerithus, & Gryllus de oratoria facultate, cuius etiam meminit Quintilianus: & Eudemus, ſiue de animo dialogus. At vbi dialogos hodie huiuſce philoſophi reperias? Simplicius quidem, Græcus homo, qui Ariſtotelis multa non minus acutè, quàm diligenter explicauit, eum philoſophiam dialogis complexum fuiſſe confirmat. Et eſt quidem veriſimile, illum ſui temporis morem fuiſſe ſequutum, in quo ferè quicquid literis mandabatur, de philoſophia præſertim, dialogi lepôre, & varia perſonarum venuſtate, atque decoro condiebatur. Id quod Platonis, & Xenophontis, & aliorum diuina ſcripta teſtantur. Marcus quoque Tullius, Simplicij opionem mihi ſanè confirmare videtur, qui in quadá ad Q. Fratrem epiſtola, Ariſtotelem (inquit) quæ de Repub. & præſtante viro ſcribat, ipſum loqui: cum in ijs quæ ipſe non probet, alios loqui faciat. ex quo ſatis apparet, eum de ſcribendi genere eo ſentire, in quo perſonæ loquentes inducuntur. Et vt reliquas meas rationes conferam, idem Cicero adeò Ariſtotelis eloquentiá admiratus eſt,

vt eum flumen aureum orationis fundere scripserit, in Academicis: in Topicis autem, vnumquenq; non modò rebus ijs quæ ab illo dictæ & inuentæ sunt, allici debere, sed dicẽdi quoq; incredibili quadam cùm copia, tum etiam suauitate. Et de Finibus, eius splẽdidã & illustrem appellat orationem. Sed quid locis colligendis immoror? cum vbiq; illum eloquentissimum, ornatissimumq; dicat: ac cùm aliquid ornatius se scripsisse vellet innuere, se aristotelica pigmẽta consumpsisse dicat, eaq; cum Isocratis myrothecijs coniungat. Atq; etiam Epicuro minus delectari quosdã existimat, quòd illa Platonis, Aristotelis, Theophrasti orationis ornamenta neglexerit. Vbi autem in ijs quos habemus libros, istam tam splendidam eloquentiam? vbi flumina? vbi eloquendi suauitatem tantam, copiamq; inuenias? Quis ex tanta hominum doctissimorum, Græcaq; scientium multitudine, dictionis hunc splendorem, hanc vbertatẽ admiratur, aut videt? Omnes quidem fatẽtur, pura & propria esse quæ legunt, ornata autem & splendida negant. Quamobrem & librum de Mundo, plerique Aristotelis esse nolunt, cùm quod alijs quę huic autori attribuuntur monumẽtis, longè tersior sit, & maiore ornatu copiaque instructus esse videatur: tum etiam, quod longo cum exordio ad regem Alexandrum sit missus, quod in alijs (vt apparet) factitare non

consueuit. Verùm ego ijsdem argumentis, quibus illud opus Aristoteli detrahunt, Aristoteli vendicarem. Primùm enim à copia & ornatu (si Ciceronis de Aristotele iudiciũ sequimur) Aristotelis esse illud opus probabili9 est, quàm reliqua omnia quæ illius cum nomine circumferuntur. Deinde, quod de prooemio dicunt, non ita dicerent, si Ciceronis epistolã ad Atticum 83. animaduertissent, in qua sic loquitur: Itaq; cogitabam, quoniã in singulis libris vtor prooemijs, vt Aristoteles in his quos ἐξωτερικοὺς vocat, aliquid efficere, non vt sine causa istum appellarem. ἐξωτερικοὺς autem Cicero dicit Aristotelem quosdam libros appellasse, propterea quòd duo librorum genera ab eo edita fuisse constat, quorum alios ἐξωτερικοὺς, alios ἀκροαματικοὺς, seu ἐγκυκλίους appellarit. In priore genere populariter omnia scribebat, alterò limatius quod in commentarijs relinquebat, vt Cicero in quinto de Finib. & Gellius libro 20. capite 3. testantur. Ex his iam satis constare puto, eum librum de Mundo, & vnà Rhetorica ad Alexandrum, non esse ab Aristotelis familia remouenda, quòd cum aliquo splendore & ornatu cõscripta sint, seu quòd prooemio longiore sint munita: cum neutrum ab Aristotelis more & cõsuetudine abhorrere videatur. nã Rhetoricam Cicero ad Atticũ, libro epistolarũ 12. nõ obscurè tribuere videtur Aristoteli. Sed iã ad certos libros veniamus, vt quod in re vniuersa

sa

ſa oſtenſum eſt, in parte quoq; comprobetur. Ac primi veniant libri de Moribus, quos Cicero Arpinâs Nicomacho filio Ariſtotelis attribuit, libro de Finibus quinto, tametſi Ariſtotelis eſſe dicerentur. Deinde, qui libri Rhetorici ad Theodectem circumferuntur, eos Theodectis eſſe, Fabius Quintilianus, & alij nonnulli putarunt: qui libri ſi Ariſtoteli forent aſsignandi, duo tantùm eſſe deberent (tot enim Diogenes Laertius eſſe dicit) ex quo eos non eſſe Ariſtotelis cõfirmes. Poeticorũ autem opus, an ſit Ariſtotelis, omnes ferè ambigũt eruditi. Equidem non leui coniectura, id opus non eſſe Ariſtotelis vt putẽ, adducor. Lego enim in Simplicij commentarijs, quæ in Categorias conſcripſit, vbi de Homonymis loquitur, eum Homonymi definitionem ex Poetica Ariſtotelis depromere: quam definitionem ſæpe in eo libro quæſiui, nec inueni tamen: quod ſatis arguit, Ariſtotelis Poetica iſta non eſſe. Qu d quod Diogenes Laertius, & Plutarchus tres eſſe Ariſtotelis de Arte poetica libros confirmant? cùm vnũ modò habeamus, qui quidem omnia eius artis præcepta complecti videtur, nec tamen ſequentes alios libros pollicetur. Libri verò de Anima, quî poſſunt Ariſtotelis eſſe? cùm à Diogene Laertio vnus (quem Eudemum dialogum eſſe conijcio) tantùm numeretur? Quid librum de Vita, obitu, memoria, reminiſcentia, de diuturnitate vitæ, ac breuita-

te, de insecabilibus lineis, & id genus multa commemorem? quorum nulla apud Laertium fit mentio, cum tamen is diligentissimus in huiusce philosophi libris recensendis fuisse videatur. Quid problemata? quæ non esse Aristotelis, præterquā quòd multa in his sunt inaniter repetita, multa pueriliter soluta, & explicata (quod à tanti sophi maiestate nimis alienum est) illud preclarè probat, quod à Diogene Laertio sic inscribuntur: Problematum ex Democrito libri sex. At hæc nostra sic: Problematum sectiones duodequadraginta: nam librorum numero nullo distinguuntur. Taceo Magna moralia appellata, & alios de moribus ad Eudemum, Mirabiles illas narrationes seu auscultationes, & alia innumera, de quibus doctissimi quiq; se omnino ambigere, ingenuè fatentur. Et vt tandem quod cœpi absoluam, Categorias quoq; ab Aristotelis familia remoueamus, & ad suum authorem & dominum transferamus. Simplicius, is quem suprà citauimus, cum Categorias explicat, Andronici paraphrasin citat multis locis, quæ vbique fe rè cum his, quas habemus, Categorijs congruit: & cum ijs, quas Simplicius enarrabat, dissidet omnino, vt nulli iam dubium esse possit, hasce nostras Categorias ad Andronicum, non ad Aristotelem pertinere. His igitur tot argumentis, coniecturis, testibus, in eam sententiam venio, vt paucissimos eorum

quì

qui extant (libris semper de Animalibus exceptis, alijsq; quos suprà nominauimus, quibus ὄργανον addi mihi posse videtur) Aristotelis veros & germanos libros esse existimem. Tu verò quid sequaris vide. Equidem tibi morem vt gererê, hæc pauca quę veniebant in mentê (non enim mihi diligentius inuestigandi ocium fuit) in hanc epistolam contuli: quæ non dubito, pro mutuo nostro amore, te in bonam partem accepturum. Vale.

LITERARVM ET MERcaturæ comparatio.

CÆLIVS S. C. Th. Tr. suo S. P. D.

QVi isthinc ad nos veniunt, nobis renunciant, te non crebrò in publicum prodire: cum verò prodis, se magna tui miseratione moueri, quòd pallidus totus, ac squalidus, mortuisq; quàm viuis similior illis esse videaris. Hoc nisi vestras istas literas, & studia efficere certò scirem, Cupidinis philtra, maloq; veneno intincta tela, esse non dubitarem. Quid tibi animi est? an tibi eadem opera, te tuosq; omnes perdere est constitutum? Equidem satis perspicio, fateriq; non dubito, istum viuendi morê, ista studia, non modò ipsi tibi (cuius me

longè magis quàm aliorum miſeret) verum in numeris quoq; alijs partim damno, partim dedecori fuiſſe. Equidem veterum memoria dubitatum fuit, noſtraq; ambigitur, bonine an mali plus attulerit hominibus & ciuitatibus cognitio literarum: quas vt modicas probo, ita ſummas atque immodicas mehercle nequeo non ſummopere improbare. Nam & cum noſtræ ciuitatis aliarumq́ue detrimenta conſidero, & maximorũ virorum veteres animo colligo calamitates, non minimam video ex literis manare partem incommodorum. Verùm ne in noſtrorum hominum offenſionem cadam, veterum potius quàm nouorum exempla mihi breuiter repetẽda ſumam. Inter quos Socrates mihi primus occurrit, Apollinis oraculo ſapientiſsimus iudicatus: is tamen cicutum bibere, Ariſtoteles & Demoſthenes ſolum exilij cauſa vertere, Plato pediculos (quis hoc credat?) ad necem vſque pati coactus eſt. Ciceroni quidem & manus, & caput (nefas) iſtæ vſque adeò laudatæ literæ, arteſque præclaræ abſtulerunt. Quid reliquos numerem? Fuerunt & ſunt innumerabiles, quib. literę nõ modò probro, verumetiã exitio fuerunt. Nam vix vnus aut alter reperietur, cui non maiori diſpendio quàm compendio, ignominiæ quàm ornamento ſumma cognitio extiterit literarũ. Ex his enim morbi exitiales & pernicioſi, vnde interitus: ex ijſdẽ rei familiaris neglectus, vnde

egeſtas

egeſtas, ex egeſtate contemptus hominum, ex contemptu deſperatio, à qua deinde difficilimum omnino non cadere (vt natura in deteriora ſemper proni ſumus) in flagitiũ aliquod deteſtandum ad perpetuam hominis infamiam, & magnum ciuitatis damnum, & ſæpenumero poſteritatis vniuerſę. Verùm donemus, ex tot laqueis alios nonnunquam euadere poſſe: haud video quî tu omnes poſsis effugere. non quòd tibi diffidam: ſed humanæ conditioni, temporibus infirmæq; corporis tui conſtitutioni: quam exercitationem moderatumq; laborem deſiderare crediderim, quo animus fiat ſerueturq; alacrior, corpus vegetius: vel qualis hæc mercatura, quam ego vtilitate, eaq; non minus publica quàm priuata, dignitate & laude, cunctis artibus, nedum literis præferre non dubitem. Ac primùm exercitatione corporis & labore hominem totum melius habere, magisque vigere, non modò à medicis dictum eſt, ſed reipſa ſæpiſsimè compertũ: quod qui negant, hi non vident, vt equum ad curſum, canem ad indagandum, bouẽ ad arãdum, ſic hominem eſſe natum ad agendũ: quod tum profana, tum diuina ſcripta teſtantur. Pręclarè Celſus, Hippocrates ille Romanus: Ignauia, inquit, corpus hebetat, labor firmat: illa maturã ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit. Iam agris colendis operam dare, atq; artibus eiuſmodi, quarum omne opus eſt in faciendo,

aut agendo (quanquam ſpernendæ non ſunt) non omnes ſatis decet. Mercatura huiuſmodi eſt,vt quodlibet imbecille corpus firmare, quẽuis animum triſtem ſua illa varietate (in qua ſola omnem voluptatem & delectationem natura conſtituiſſe videtur) oblectare,exhilarare & conſeruare poſsit: tam honeſta & liberalis, vt homines alioqui clariſsimos priſcis temporibus hanc ſequi atq; exercere non puduerit. Inter quos, vt à Plutarcho accepimus, magnus ille Solõ fuit, qui ſaluberrimas Athenienſibus leges tulit: & Hippocrates Cous,omnis medicinæ parens, cuius decreta etiam nunc velut oracula habentur: & diuinus ille Plato, qui ſi in ea perſeueraſset, nec in tanto hominũ odio fuiſſet,nec tam miſerabiliter mortem oppetijſſet. Noſtra quoque ætate an non hæc peculiare quoddam ornamentum, deliciæq; virorum principum eſt? Quid ad tantam potentiam Venetos,Genuenſes, Lucenſes, Florentinos,Nurebergenſes, Auguſtanosq; perduxit? Quid Italiæ tot familias, ad ſummam ferè nobilitatem extulit? quid infinitis propè opibus adduxit, niſi mercatura? Teſtes ſunt Fuggeri, Grimaldi, Saulij, Bonuiſij,Strozzę,Medices,cum quibus Reges Cæſareſque ipſi connubia,affinitateſque coniungere non dubitant.Laurentij enim Medicis filiam, Clementis põtificis Romani neptem, filio ſuo Henrico, Regi Galliæ deſignato, Franciſcus rex eius nominis

primus,

primus, despondit & copulauit. Carolus verò Cæsar, filiam Alexandro Medici, primo Florentinorū Cæsaris authoritate principi, in matrimonium tradidit. I nunc, & mercaturam ignobilem aut indecorā dicere aude, cum qua coniugia & affinitates terrarum domini contrahere, sibi laudi & commodo fore ducunt. Atque ita quidem conuenit, vt cum deorum inuentum sit, heroum quoq; & principum sit illa proprium & munus & ornamentum. A libero enim patre hanc asserit Plinius esse inuentam, tametsi Diodorus huius præclaræ facultatis Mercurium inuentorem esse velit. Non deinde paruo mercatura pręsidio est, sed maximo, maximeq; necessaria, vtpote cuius beneficio regiones ciuitatesq; plurimæ natura steriles, & quæ alioqui in summa rerum omnium versarentur inopia, fœcundę opulentæq; redduntur: cuius rei, Venetiæ, Genua, Andouerpia, atque aliæ pleræque testes locupletissimæ esse possunt. Multarum quoque ac magnarum rerum experientiam, vsumque, vnum prudentiæ sapientiæq; parentem homines docet. Ad hæc, amicos nobis nusquam non comparat, & ad principum familiaritatem contrahendam momentum magnum habere censetur. Quapropter à Marco Tullio haud temerè dictū esse puto, Mercaturam copiosam iure optimo posse laudari. Quin & legumlatores in suis ciuitatibus, hanc non in postremis haben-

dam censuerunt. Quid verò tale habent vestrę istæ disciplinæ Theoreticæ, quæ in sola ingenij atque animi cognitione versantur, semper quidem famelicæ, semper sepultæ, hominum ignauorum, nulliusq; precij & inuenta pariter & delinimenta? Quid ignauis atque ociosis illis artibus homini opus erat? cùm & corpus ad omnem functionem habile, & rationem orationemq; à natura, aliaque adiumenta rerum gerendarum haberemus. Innumeros semper homines excellenti animo ac virtute fuisse & sine doctrina, naturæ ipsius habitu propè diuino, per se ipsos & moderatos & graues extitisse, non ignoramus. Quod ego Deum optimũ maximum singulari consilio ostendere voluisse credo, quo nos doceret quàm vani essent isti labores, & sciendi cupiditates effrenatæ: probaretq; nobis sæpius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quàm sine natura valuisse doctrinam. Quòd si sapientissimorum quoque de hac re sententiam audire cupis, accipe quid vnus pro omnibus mortalibus sapiẽtissim. mortalium Solomo dicat: Animum, inquit, ad scientiæ stultitiæq; & prudentię cognitionẽ appuli meum, & deprehendi eam quoque esse animi molestiam. Nã cum multa sapientia, multa quoq; coniuncta molestia est. Et qui scientiã acquirit, simul acquirit quod eum discruciet. Sed nolo de ijs tecũ pluribus agere: si ad nos veneris, & hanc nostram

merca-

mercaturum aliquot dies deguſtaueris, dices (ſcio) hanc viam eſſe felicitatis, & proprium hominum munus, deorum munere commonſtratum: vmbratiles verò iſtas literas, ſtudia infaceta & incondita, calamitatem, peſtem, perniciemq; miſerorum eſſe mortalium. Vale, & ne me εἴρωνα.

LOCVS ARISTOTELIS EX tertio Rhetorices libro, de Frigidis, explicatus, & ad Ciceronis Fabijq́ præcepta accommodatus.

CÆLIVS S. C. MARTINO Borrhao ſuo, S. D.

OPportunè tu quidem de frigidis quid ſentirem petiuiſti: nam & reipſa hoc tempore frigere honeſta & præclara omnia videntur. Sol enim longius à terris noſtris ſolito videtur receſsiſſe: ac cōtrà multo feciſſe, ac Phaëtontis imperio fecit. Tunc enim ad terras inclinato præcipiti curru, tantus fuit æſtus, vt omnium rerum conflagrationem metuerent mortales. Sed hæc tempora ſunt Thyeſtea, quibus ſol auerſus equos à noſtris terris procul extimulat. Quòd niſi ſol ille diuinus, qui Chriſtus eſt, nos reſpexerit, hoc frigore interire hominum genus neceſſe eſt. Verùm nos

ad ea frigida, quæ in oratione verſantur, quæ tu requiris, veniamus, vt Ariſtotelis ſiue Theodectis locum ex Rhetoric. tertio breuiter explicemus.

Τὰ δὲ ψυχρὰ ἐν τέτ]αρσι γίνεται.

Frigida, inquit, quatuor modis fiunt. Frigida, quædam elocutionis vitia dicuntur ab Ariſtotele, quæ nihil mouent, ſed frigidos & languidos faciunt auditores: quoniã ab eis tanquam inepta & inania contemnuntur. nam vt caloris eſt mouere, agere, animare: ſic frigoris, ſiſtere, languidos facere, exanimare. illius enim eſt motus, ſenſus, alacritas: huius quies, ſtupor, languor. Et quanquam Cicero nihil de frigidis verbo præcepiſſe videatur, re tamen in eadem propè vitia notauit. Nam primum l. de Oratore, in iocis, frigidiora dicit verba vitanda eſſe. At de Clar. orat. de M. Piſone oratore loquens: Habuit, inquit, à natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limauerat, quod erat in reprehendendis verbis verſutum & ſolers: ſed ſæpe ſtomachoſum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum.

Deinde cum quatuor frigidorũ genera fecerit Ariſtoteles: primum, quod in inſolenti & inepta verborum coniunctione verſatur, notauit Cicero de Orat. lib. 3. cum de nouandis coniunctione verbis diſſereret: citat enim ibi exempla poetarum, nulla oratorum. Et rectè. nam dixerat paulò ante, ea eſſe poetarũ licẽtię liberiora,

quàm

quàm oratorum: qualia sunt illa Ennij, expectorare, & versutiloquus, & exsacrificare. Iam autem nouis & putidis coniunctionibus verborum vsus vix est Cicero, nisi si quando ex Græcis poetis (qui vt licentiores, ita feliciores in coniungendis verbis fuerunt) versus conuertit. Tunc enim & Vastificū, & Altisonum, & Regificum dixit.

Secundum frigidorum genus, in peregrinorum verborum vsu versatur. Hanc peregrinitatem fugiendam esse intelligit Cicero, cum Latina verba in oratore requirit: quibus peregrina opponūtur. quæ si crebrius vsurpet orator, barbarismi vitium non vitabit. Vt enim (inquit in Oratorijs partib.) in simplicibus verbis, quod non est Latinū: sic in coniunctis, quod non est consequens, vituperandum est. Ac peregrinitate & barbarie quadam Latinum sermonē fuisse Romæ corruptum, queritur Cicero de Cla. ora. vbi de elocutione emendata loquitur: & in principio libri tertij de Oratore. Atque etiam peregrinitate corrumpi sermonē Latinum testatur Fabius Quintilian9. Hoc Theophrasto, diuinæ eloquentiæ viro, ab Attica anicula: hoc Liuio mirę facundię historico, ab Asinio Pollione datum vitio est, qui eius orationem Patauinitatem quandam redolere existimauit. Sunt tamen quædam ita recepta, vt pro peregrinis ne tempore quidem Ciceronis haberentur. quod genus sunt: rheda Gallicū vocabulum, & esse-

dum Britannicum,& mappa Hispanum,& gaza Persicum,& alia nonnulla:mastrucam verò, quod Sardum est verbum, pro toga, & ab eo mastrucatum, vt togatũ, illudens potius, quàm seriò vsurpauit Cicero.

Sequuntur tertio loco Epitheta, quæ à Cicerone in Oratorijs Partitionibus & addita, & adiuncta ad nomen, appellantur: à Quintiliano, apposita. Hæc quoniam poetica sunt omnino, eo præcepto Ciceronis libro 3. de Oratore, comprehensa esse intelligendum est, quo raró etiam in oratione poeticum aliquod verbum habere dignitatem monet: id quod & Aristoteles & Quintilianus perspicuè testantur. Quintilianus enim poetas frequentius & liberius vti Epithetis, quàm oratores, ait: atque apud eosdem, nisi eis aliquid efficiatur, redundare. Aristoteles oratori tria in Epithetis vitia vitãda esse monet: vt ne longa sint, vt ne inepta, vt ne crebra. Sensus indigenitalis, & incuruiceruicum pecus, longa, intempestiua & inepta sunt, nix candida, album lac, nigri Æthiopes, humida vina. Crebra quæ sint, omnes norunt.

Postremum ex ijs quæ frigida appellantur, & vitiosa, & molesta in oratione, sunt ineptæ translationes: quarum vitia Cicero in tertio de Oratore diligenter notauit: in quibus non eum discrepare ab Aristotele cognoscet, qui conferre inter se vtriusq; præcepta voluerit.

Ex his igitur & similibus vitijs atq; ineptijs, quæ frigida nominauit Aristoteles, conflatum est quoddam tumidum, inflatum, & (vt Cicero in Oratore dicit) florens & pictum orationis genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum sine delectu illigantur lepôres. Hoc totũ è sophistarum fontibus defluxit: sed spretum à subtilibus, repulsum à grauibus, sine modo exultans, ab Asiaticis oratoribus receptum est. Hoc genere delectatus Hieronymus Dalmata, inter primos alioqui Theologos numeratus, cùm de maris procellis quodã loco scriberet: Iacentis, inquit, elementi terga crispantur: apud quem innumera penè huiusmodi leguntur. His ineptijs etiam totus scatet Politianus. Inter poetas autem etsi liberiores illi sint, in hoc genere Claudianus excellit, in opere de Raptu Proserpinę: adeò vt inflatu plusquam tragico, nemo sit cum eo poeta comparandus. quanquam etiam Lucanus hoc vitio à nonnullis notetur. Reliqui saniores sunt: etsi Horatius à Fabio, feliciter audax in translationibus esse dicatur. Et de his hactenus. Quæ si tibi probantur, bene habet: sin minus, nihil erit mirum, nos in frigidis explicandis conglaciasse. Vale.

LIBROS RHETORICORVM ad Herennium, non Ciceronis esse, sed Cornificij.

CÆLIVS S. C. FVLVIO PEregrino Morato suo S. D.

MEas rationes, quibus Rhetoricos ad Herennium libros non esse Ciceronis, sed Cornificij potius, adducor, Fului charissime, vt ad te mittam, proximè literæ tuæ ef flagitarunt. Ais enim te in eadem esse sententia: sed quoniam res tibi est cum homine molesto, cupere te meas cum tuis rationibus conferre, vt non modò argumentis sis, verumetiam mea autoritate firmior. Tibi hoc negare, mi optime Fului, non possum, qui cum mihi omnia mea esse communia statui, vt pote qui reuera sis mihi, quod Cicero noster de vero amico dicit, vt is sit tanquam alter idem. Hac igitur epistola, quandam cum insano quodam grammatico Papiæ habitam disputationem, breuissimè complectar: quam tu pro tua magna eruditione, dicendique facultate exornabis. Ita enim fiet, vt siue autoritas nostra aliquid sit, ea grauior tuo ingenio videatur: siue nulla sit, tuis lacertis contorta tela aduersarium prosternant. Iam igitur hinc ducamus initium. Si libri Rhetoricorum ad Heren-

rennium Ciceronis sunt, eos aut adolescentulus conscripserit oportet, aut ætate grauiore. Adolescentulum eos non scripsisse, cùm ex ipsorum librorum procœmio, quos à patrefamiliâs conscriptos esse, atque ætate iam matura viro, vel cæco perspicuum esse potest: tum ex eo, quod isti nobis imperitè nimis obijciunt: Tullius heres meus Terentiæ vxori meæ XXX pondo vasorum argenteorum dato, quæ volet, &c. Nam si ex his verbis eorum librorum autorem volunt esse Ciceronem, non iam adolescentulus, sed vir & pater erat, cum illa conscriberet. Relinquitur ergo, vt grauiore ætate eos perfecerit. Sed cùm pleraque alia, tum illud repugnat maximè, quod ipse Cicero in procœmio libri primi de Oratore ad fratrem scribit: sibi, quæ de Rhetorica scripserit, puero atque adolescentulo inchoata atque rudia excidisse. Ex quibus verbis duo conficiuntur: alterum, quoniam ipse adolescentulus scripserit, eos non esse Ciceronis. deinde, non ad Herennium, sed de Inuentione libros esse, quos adolescens scripserit. Nã inchoatos cum dicit sibi excidisse, partẽ aliquam illis deesse ad Rhetoricæ absolutionem significat. De quinq; enim officij oratorij partibus, vnam tantùm tractarat Inuentionem: relinquebantur quatuor. rudes verò, non satis expolitos & limatos esse: quòd verbis quibusdam in his libris vtitur, quibus nunquam postea vsus reperitur: vt propo-

ſitio, pro ea quam maiorem in ratiocinatione vocant, quam ſemper alibi propoſitum maluit appellare, & definitiuam conſtitutionem, & id genus alia: neq; pari elegantia, atq; in reliquis, eſt vſus. Quòd ſi quis dicat, poſt eos de Inuent. hos ad Herennium fuiſſe elaboratos: tum quæro, vnde id colligant? Cum enim libros de Oratore ad Q. Frat. ſcriberet, dicit ſe eos pro illis inchoatis & rudibus ſubijcere. at ad Herennium libri, omnibus Rhetoricæ partibus & numeris abſoluti perfectiq; ſunt. Nullos igitur præterea ſcripſerat, præter eos qui de Inuentione inſcripti ſunt. Poſt autem illos de Oratore, cur hos ſcriberet, nihil erat: cũ longè præſtantiores iam elucubraſſet. Quòd ſi neque adoleſcens, neq; grauiore ætate, hoc eſt, neque ante libros de Inuentione, neque poſt, Cicero eos ſcripſiſſe libros probari poteſt: non ſunt igitur Ciceronis. Nec eſt quòd quis tergiuerſetur: ſunt enim hæc argumenta firmiſsima. Adde quòd neque Cicero ipſe vſquam eorum mentionem facit, neque Quintilianus, qui alioqui nullius vel minutiſsimi Rhetoris ſcriptum reticuit. Neque minus illa firma ſunt, quòd librorum ad Herennium autor, Hermetem, qui libros eos conſcripſit, ſibi fuiſſe præceptorem affirmat, cuius nulla ſit vſquam à Cicerone mentio; cum tamen ille ſuos præceptores non vno loco ſcriptis ſuis celebrarit. Quid? quòd autor ad Herennium dicit, ſe cum

Herennio amicitiam habere, cuius initium cognatio fecerit, cætera philoſophiæ ratione fuiſſe confirmata? Sed vbi 'nam reperiemus, Herenium aliquem, tanta amicitia aut cognatione cum Cicerone fuiſſe coniunctum? Quæ autem iſti contrà afferunt, vt eorum librorum Ciceronem autorem faciant, tam leuia ſunt, & penè puerilia, vt refelli non mereantur. Quid enim, ſi vel Hieronymus, vel Priſcianus, vel alij hos libros eſſe Ciceronis putarunt? Non hæc agebant viri illi, non hanc quæſtionem tractabant. videbant eos cum Ciceronis libris coniunctos: non inſcriptionem aliquam priuatam, ſed communem librorum ſequebantur: proinde pro Cicerone citabant. Conſueuerunt etiam Nonius Marcellus, & Plinius Secundus, quod & hodie pleriq; faciunt, omnes epiſtolas Familiares, quas vocant, Ciceronis appellare: cum tamen quartam earum partem, aut eo amplius, aliorum eſſe perſpicuum ſit. vt VIII. librum taceam, qui totus eſt Cælij: & XI. qui totus ferè eſt Bruti. Hoc autem dico, etiam ſi nunc alterius fortè, non Ciceronis nomine inſcripti libri eſſent: ſimilitudo autẽ præceptorũ in his & illis qui de Inuentione libris inſcripti ſunt, non tanta eſt, vt iſti garriunt, ſed magna potius diſsimilitudo: id quod vel in partib. orationis, vel in cauſarũ & conſtitutionum generib. explicandis, atq; alijs multis apparet. Sed omittamus quæ, vt dixi, quoniã le-

dissima sunt, sua leuitate euanescunt: & vt omnem controuersiam tollamus, verum & legitimum autorem eorum librorum edamus. Mihi dubium non est, quin sit Cornificius is, cuius sæpe mentio fit apud Quintilianum. Principio cum lib. 3. Inst. Or. temporum ordinem secutus, Rhetoricę scriptores enumerat, statim post Ciceronem, Cornificium recenset: Scripsit, inquit, de eadem materia non pauca Cornificius. Deinde libro 9. vbi de figuris sententiarum agit, quam Græci παῤῥησίαν, licentiam Cornificium vocasse scribit: autor autem ad Herennium ita illam appellat, & præterea nemo latinorum: (loquor enim de eius ornamenti appellatione.) Est igitur id opus Cornificij. Cum autem idem verbum crebrius ponitur, mutata tantùm vel syllabæ mora, idem Quintilianus dicit, Cornificiũ traductionem appellasse: quod totidem syllabis in his, de quibus loquimur Rhetoricis legitur. atq; etiam eodem inter reliqua, quo Quintilianus, vtitur exemplo: Amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Quòd si hi libri erant Ciceronis, cur non potius eius, quàm Cornificij, aut (quod de Cornificio & Rutilio fecit) vtrunq; citat autorem? Atque eodem libro, definitionem à Cornificio atque Rutilio inter Schemata verborum recenseri dicit: at hoc noster hic ad Herenniũ autor facit: est igitur Cornificius. Rutilius autem, ne quis fortè ad eum ista refe-

rat,

rat, in manibus est. Et aliquanto pòst: Cornificius, inquit, adijcit figuris verborum interrogationem, ratiocinationem, subiectionem, translationem, permutationem: præterea sententiam, membrum, articulum, interpretationem, conclusionem. id autem in quarto libro ad Herennium eisdem omnino nominibus appellari, omni luce clarius est. Verùm ne longiores in re perspicua simus, vnum addamus, deinde concludamus. Idem Quintilianus, inter eos qui propriè libros integros exornationum descriptioni dedicauerunt, Cornificium nominat. Autorem autem ad Herennium id fecisse videmus: quod quidem, cum ijs quæ iam exposuimus, ostendit, eorum librorum verum, solum & legitimum autorem, Cornificium esse. Vale, Venetijs. 1540. Calend. Februarij.

CÆLIVS S. C. FVLVIO Peregrino Morato suo, S. P. D.

CVm Timotheus noster in vrbem vẽiret, ei vt te adiret mãdaui: quo si q̃d noui haberes, præsertim de reb. vrbanis, ad me scriberes: falsẽ vt dies æstiuos huiusmodi sermunculis fallamus. Equidẽ dum solis ardores hic vito, diuertit ad nos Ioan. Chiros Hispan9,

qui cum mihi vetus intercedit necessitudo: cuius initium literæ fecerunt, cætera religionis perfectissima ratio confirmauit. Atq; inter alia quæ in xysto confabulati sumus, breuiter mihi iter ab Hispania Cottiaram vsque, quæ hodie Calecut vocatur, descripsit. Nec me latet, quosdam Camanem antea appellatam putare, quæ nunc Calecut dicitur: sed errore, vt arbitror. nam Camane hodie, Curati appellari existimo. Est autem, inquit, ea vrbs caput eius regni, quod nostri nautæ Cambaicum appellant, ad Indi fluminis hostia, quæ India intra Gangẽ à Geographis solet appellari. Primùm igitur, inquit, cum nostri in Indiã volunt transmittere, portum sanctum, Mederam, quæ Cerne veteribus fuit, & Iunonis insulam, quæ Autoloe, itemq; ad Fortunatas insulas adnauigãt: quæ nunc ab vna Fortunatarum, atq; à canum copia, Canariæ nominantur. Hinc ad caput album, quæ Soluentia extrema Ptolemæo dicitur, portus est Africi itoris, vbi polus xviij. gradus attollitur. Ab hoc portu soluentes, cursum in Seneganum dirigunt regnum: sic à flumine Senega, quo tota ferè Aethiopia irrigatur, appellatum: Nigrim Geographi, eas autem gentes omnes quæ circà incolunt, Hesperios Nigritas appellant. Non longè ab huius fluminis hostio est Ryssadium, siue potius (vt ego ex Ptolemæo conijcio) Aethiopum celebre promontoriũ, quod Caput viridę à nostris

à

à colore quem procul ostentat, nominatur: cuius altitudo nostri poli est graduum xiij. Ibi sunt Hesperides illæ insulæ, fabulosis narrationibus notæ. Ad dexteram ex aduerso fluminis Nigris, insula in alto mari relinquitur, quæ ab Hispanis Bonavista dicta est. Aethiopum promontorio relicto, Austro flante ad ostium Gambrę amnis veniunt, à quo totum illud regnũ nomen capit. Hinc soluentibus occurrit Sacrum promontorium, qd' etiam nunc nomen vetus retinet. Inde profecti, amplissimam Aethiopum oram legentes, quæ Agisymba dicta veteribus est, hodie Mellorũ regnum dicitur, ad Bonæspei promontorium appellitur, quod extrema Africæ Meridiem versus tenet loca. Ptolemæus Prassum promontorium videtur appellare, frontem Africæ Mela, propterea quòd illinc paulatim nautę æquatorem versus cursum inflectunt. ibi regnum est Melindæ. Sequuntur Troglodytæ, qui litoris Arabici oram incolunt. Sed ego de insula Troglodytarum intelligo, in qua aurifodinę sunt, quæ ipsorũ lingua Zaphallę nominantur. Et quanquam auro abundant, eo tamen nobis feliciores sunt: quòd nullus eis, vt apud nos, habendi amor: à diuitijs enim, paupertate se abdicarunt voluntaria. Non longè hæc insula à sinu Arabico distat. Alia litoris huius promontoria, insulas & oras omitto, quæ passim in hoc itinere occurrunt ijs qui tam longam circum sef-

Aa

quitertiam orbis terrarum partem, nauigationem instituunt. Tandē igitur Arabico ac Persico superato sinu, ad Indi fluminis ostia, moxq́ue Cottiaram, hoc est, Calecutum perueniunt, Orientis celebre emporium: vnde in omnes orbis terrarum partes, odores & aromata exportantur, quanquam ibi minima portio oriatur.

Ab Lusitania igitur Cottiaram vsq;, LVII. DC. stad. numerantur. Et est, vt constat, iter non directum, sed in Austrum, deinde in Orientem deflexum & circumductum. In hoc itinere quanta nominum mutatio facta sit, vides: Tantum æui longinqua valet mutare vetustas, vt poeta ait. Sed parum hoc esset, nisi vnà cum nominibus etiam vrbes & regna interijssent. Quot oppida regnaq́; quondam florentissima fuerunt, quę nunc prostrata & quasi cadauera proiecta iacent? imò quorum ne vestigium quidem cernitur? Hæc nos ad cœlestem Hierosolymam, regnumq́ue Christi stabile atque æternum contendamus, inuitant, vbi veræ opes, veraq́ue gaudia nobis suppeditabunt.

Vale.

CÆLIVS S. C. IOANNI Sturmio ſuo, S. D.

ET tu quoque ſalue mi Sturmi humaniſsime. De Brocardo noſtro quod ſcire cupis, nihil dum accepi: & vt magis mirere, ab eo tempore, quo hic fuiſti, de filio meo, qui agit Patauij, nihil prorſus intellexi: quæ res valde me angit. Sed tamen ſpero, breui me aliquid de vtroque accepturum. Quòd ſi fortè Brocardus nonnihil recuſat, faciam vt mones, hominem vrgebo. De vxoris obitu, quod ſcribis, antea ignoraui: indoluique vehementer. Et vellem tibi aliquam conſolationem non vulgarem afferre: ſed nullam equidem homini iſta doctrina, religione, conſtantia, ignotam, & non præceptam poſsim. Nam quæ ſumma erat conſolandi ratio, Deum videlicet optimum maximum, quod optimum ac beatiſsimum dari poteſt, ei dediſſe, præſertim hoc tempore: eam te tibi ipſi ſubieciſſe, qui quæ de Trophonio & Agamede memoriæ prodita ſunt, teneas, minimè ambigo. Eam verò quam Paulus ille diuinus tantopere probat, excitandê nimirum è cineribus & inferis ad beatam immortalitatē, vxorem tuam optatiſsimā homini tot annos in noſtræ religionis ſanctiſsimæ verſato myſterijs, & confirmato, in memo-

riam si reuocare vellem, ineptus haberi meritò possim. Quamobrem illud tantùm dicam, si quid mœroris ex charissimæ coniugis desiderio superest, quod quidem secus fieri non potest, à doctrina ista tua præstantissima, hoc est, à te ipso remedium & leuationem pete. nemo enim te melius quàm tu consolari potest. Fac igitur vir fies: atque istis Analyticis conficiendis, alijsque huiusmodi Herculeis operibus lucubrandis, tempus atque vnà ægritudinem fallas. Quòd autem rogas, idq; scholarcharum nomine tam vehementer, vt scholæ & ecclesiæ fauere atque adiumento esse velim, ad aliquem omnibus numeris absolutum virum inueniendum: primum tibi gratias ago, quòd mea opera in re tam honesta & sancta vtendum esse duxisti. nam in eo non modò quanti me facias, verumetiam quantopere me ames, non obscurè cognoui. Dabo operã diligentissimè, omnemque mouebo lapidem, vt talis vobis contingat. Et iam ad aliquem scripsi virum nõ vulgarem: à quo vt primum responsum accepero, id erit fortassis intra mensem ad summum, de omnibus te certiorem faciam. Et bona est spes, vos quod optatis, quanquam magnum, imò maximum est, consecuturos. Interea negocium sustine, ad nosq; sæpius scribe, qua ratione partem etiam ægritudinis minuere poteris. Vale: ac de Toxite, quid agat, fac me vt sciam. Idibus Decembris, Basileæ.

CÆ-

CÆLIVS. S. C. IOACHIMO Vadiano ciuitatis Sangall. Medico, Paſtori, Conſuli, S. P. D.

DIſpeream, ni hanc occaſionem ad te ſcribendi omnibus regum fortunis redemiſſem. Nam in Italia, in Gallia, in Germania, vbicunq; fui, tuam iſtam raram & multiplicem eruditionem, cum ſingulari pietate & ſincera religione coniunctam, quæ mihi tuis præclaris monumentis & hominum ſermone cognita eſt, ſemper amaui, colui, prædicaui, cernere quoque corâm magnopere cupiui: ſed cùm alia, tum familia mea & numeroſa & imbecilla, quæ mea præſentia carere non poterat, meum ſemper impediuit, non extinxit ardorem. Ardeo enim cupiditate incredibili talem videndi & ſalutandi in Repub. principem virum, qualem Plato in ſua Repub. optauit, & quo gubernante, ciuitatem beatam fore exiſtimauit. Et rectè quidem Plato. nam non ex opibus & cenſu, ſed ex ſapientia & moderatione animorum, beatam ciuium vitam metiebatur. Quanquam ante Platonem Moſes ille magnus, & Dauid Rex, eiusque filius Solomo, idem ſtatuerunt. Huius enim eſt illa vox, Felicem terram, cuius rex canus, ſapiensq; eſt. Eſt proculdubio, eſt ei, cui Reſp. commiſſa eſt,

necessaria oratio & sapientia, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua confirmet religionem, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet clarós viros, qua præcepta laudis & salutis edat suis ciuibus, qua hortari ad dẽcus, reuocare à flagitio, consolari posit afflictos, factaq; & consulta fortium & sapientũ cum improborum ignominia sempiternis monumentis prodere. Hæc omnia cum in te vno sint, & multò quidem plura (accedit enim facultas, qua tuorum ciuium corporibus mederi posis, eorumq; vitæ & incolumitati consulere) quæ omnia inquam in te diuino munere sint, iure beatam istam vestram ciuitatem iudico, meritoq; tui vidẽdi desiderio teneor. Quod quia nondum mihi cóceßum est, vtar (vt dixi) præsenti occasione, à me tantopere, tamdiu cupita: & quod coram non licet, literis saltem assequar, vt te salutem atq; alloquar, animo verò vt reuerenter amplectar. Redeunt, à vobis reuocati in patriam hi tres iuuenes, Iosua Keslerus, Iacobus Baldembergius, & Dauid Vueterus: qui cum mihi præsentes propter ingenij bonitatem, & morum suauitatem, & vitæ innocentiam fuerint semper charißimi & iucundißimi, non sum paßus eos in patriam sine meis ad te literis redire. Nõ est autem quòd à me de singulis iudicium expectes. Nam vt in triangulo, anguli omnes inter se ęquales sunt: sic in his tribus iuuenibus, quẽ cui anteponas, vix inuenies.

nies. Par mihi videtur ingenium, similis eruditio, eadem modestia. Breuiter ea singuli specimina ediderunt in Latinis, in Græcis literis, in artibus ingenuis, in philosophia & in cognitione rerum magnarum, vt vix vllum hîc apud nos fuisse ab aliquot annis eius ætatis sciam, qui cum his conferri, ne dicam anteferri posse videatur. Etsi quid opus est me tibi, viro docto & sapienti de alicuius eruditione fidem facere, qui per te quæ cognoscenda atque exploráda sunt, omnia facile consequi possis? Quod reliquum est, hosce meos charissimos filios, tibi etiam commendo, vt eos absoluas: ipsorumque studijs, quod possis fastigium imponas. Vale vir sapientissime, & Cælium tuum in tuo ære esse patere. Basileæ, die 23. Decembris.

CÆLIVS S. CVRIO FORtio Colletto, per Christum Iesum S. D.

TAndem literas accepi dignas Colletto, plenas eruditionis, humanitatis, officij, diligentiæ. Consuetudo videlicet bonorum, doctorumq; virorum te totum conformauit, & perpoliuit. Gratulor tibi mediusfidius istum tam magnũ, tam repentinũ profectum: mihiq; non mediocriter gaudeo, quòd nõ per-

functoriè, neq; oscitanter, negligenterúe ad me scribere cœperis, sed magna cum animaduersione, iudicioque singulari. Etenim quàm magni referat, quibus modis, quaúe dexteritate amicitiæ fores aperiâtur, & qualis primus ad amicos aditus fiat, acutissimè peruidisti. Id quod ego in ista tua ætate, natura, conditione, sum non parum admiratus. Verùm ita nescio quo fato comparatum est, vt alij se studijs, inedia, siti, vigilijs macerent & conficiant, neq; proficiant hilum: alij obsonent, potent, dormiant, neq; literas, aut vllam bonam artem curent, docti tamen & prudentes videantur. Id quod de sterilibus & fœcundis terris vsuuenire cernimus. At dicas, vnde ista deprehendis? Dicam. Insignes sunt aliquot notæ, quæ me de ijs monent. Primùm enim non obscura ostendis argumenta Dialecticæ subtilitatis. Nam quid subtilius illo tuo principio esse potest, quod à doctorum hominum sententia & testimonio sumptum est? Cum multorum, imò omnium doctorum hominum iudicio constet, mi gratissime D. Cæli, amicum esse qui quæ amico bona fore putat, ea propter ipsum agit: non insumam tempus in demonstrâdo amico. Nónne hoc spumosum, & cortice pingui, Vt ramale vetusúe grandi subere coctum? Et illud: Sapientia enim bonum & prudentem virum facit, teste Valla. Sequuntur deinde conclusiones argûtissimę, ductę à coniugatis & casibus,

ſibus, & in ſoritis formam conglobatæ, quam Rhetores Latini gradationem, Græci κλιμάκα appellarunt: Bonus & honeſtus honeſta, clemens clementer agere vtique clementia. Capita ipſa modò attigi, reliqua longa ſunt. Inſunt præterea diſtributiones bellæ, nonnullæque definitiones, vt Dialectici numeros omnes abſolueres, qui ſunt, definire, diuidere, argumentari: quorum omnium ſpecimen in vna epiſtola præbere voluiſti. Quid de oratoris vi & facultate dicam? Tu apertè & breuiter doces, tu motum animis admoues, & in quamuis partem lectorem inclinas. Tu mira quadam copia & ornamentis ita delectas, vt vel ipſum Heraclitum in Democritum mutare poſsis. Quid de philoſophia? Ethica Ariſtotelis tota, ſeu Ciceronis Officia, Amicitiam, Senectutem, Paradoxa compilaſti. Plena enim eſt tua epiſtola præceptorum, monitorum, conſiliorum. Theologiam verò ita mihi paucis verbis ob oculos poſuiſti, vt ferè in ſtuporem adegeris Curionem tuum. Linguarum item, atque iuris ciuilis mentionem immiſcuiſti, ne quid ſcilicet omitteres, quod perfectum eruditionis exemplar perficeret, atq; compleret. Macte huius virtute puer, ſic itur ad aſtra. Hæc ſunt quæ me, vt ſic initiò de tua epiſtola iudicarem, monuerunt.

Quòd autem ad me ſcripſiſti de Ioanne quodam Gallo, vt arbitror, viro: moleſtiſsimè tuli,

me non potuisse eum re ipsa cognoscere. Hominem enim non vidi: per quem autem steterit, paucis indicabo. Venit is quidem Lausannam, atq; ex diuersorio misit ad me & Petrum, si vellemus se videre, iremus ad se in diuersorium suum. Ego cum hæc renunciarentur, interpretabar pro meo munere autorem discipulis, & ab ea explicatione ad aliam me adgredi oportebat. Ter enim quotidie interpretor, bis domi nostræ: primùm hora sexta, deinde hora duodecima, & semel in publico gymnasio hora secunda post meridiem. Ac tunc hora erat duodecima, cum de aduentu Ioannis istius certior factus fui. Iubeo illico Petrum, hominem conuenire, salutare, ad cœnam inuitare, causas aperire cur eadem hora non inuiserem. Verùm simulac interpretandi munus absoluissem, me illum conuenturum. Festinat ad eum Petrus, exponit omnia. ille, se nolle expectare, respondet, ne post lectionem quidem. Et quasi dixissem, me nolle ad eum ire, monuit Petrum, idq; non sine supercilio: mihi diceret, se nolle ad me venire: æquiusq; esse vt ego ad se, quàm ipse ad me veniret. Quo dicto se in viam dedit. Habes totam historiam, & per quem steterit quo minus conueniremus. Illud autem non satis assequor, quod dixit, Aequius esse vt ego illum conuenirem: nisi hoc velit, quod ex tuis literis elici posse videtur: scilicet se eruditione, literis, sapientia, pietate, moribus, & quadam

eximia

eximia atque præclara rerum diuinarum cognitione non mihi solùm, sed etiam cunctis præstare mortalibus. Quod si esset, non solùm vnius, aut alterius horulæ interuallum expectasset, verùm vltrò ad me venisset, atq; argumentum suæ humanitatis & pietatis ostendisset: fecissetq; quod Paulus monet, vt honore & reuerentia certemus inter nos, in quo certamine vinci turpe sit, vincere verò pulchrum. Quod etiam vel ex ipso Cicerone discere poterat, qui docet, vt quo quisque maior est, hoc se summissius gerat. Sed quî poterat ille de mea seu magna seu exigua eruditione diuinare, qui me nó nosset, nisi quatenus à vobis audierat? Illum enim à vobis probè edoctum de nobis, huc venisse, ex eius sermone facilè deprehendere potuimus. Nam Petrum rogauit, quid de Georgio, ac de te sentirē? quo loco haberem? Quid, quod & hoc ipsum comprobare tua verba quędam videntur, quę hic subijcio: Potius animaduerte quæso, quàm non deceat Christianos de Christianis malè cogitare, præsertim cum non liceat nisi bene sentire etiam de inimicis: iuxta hoc, Bene precemini deuouentibus vos. Iam hoc argumento est, vos conscios esse vobis ipsis alicuius in me iniuriæ & sceleris, quandoquidem subueremini ne ad aures meas quippiam peruenerit de vobis, quod offenderit animum, & læserit amicitiam. Quòd si nihil interuenit, cur animum erga vos

meum explorare tentatis? His enim ſcrupulum iniecistis, cum antea de vobis nihil à vera ſinceraq; amicitia alienum cogitarem. Vt autem ad Ioannem iſtum redeam, quem mihi Deum fecisti: ſi Deus eſſet, ad nos ſe conferre non ita faſtidiosè refugiſſet. Nam & Deus ipſe benign9 & facilis nos inuiſere dignatur. Putáſne ædes uoſtras vſqueadeò contemni, & in ſolitudine eſſe, vt à nullis cùm clariſsimis, tum doctiſsimis viris celebrentur? Videt iſta quotidie Petrus, vnde & hominis inſolentiam vehemẽter eſt admiratus. Quòd ſi ignari ſumus, & indocti bonarum artium, ſi aſperi & arrogantes, ſi barbari, hoc vobis nihil nocere poteſt, qui longis locorum ſpacijs à nobis diſiuncti, alias literas, aliosque mores experimini: quod veſtro commodo, ad Chriſti noſtri gloriã perpetuum ſit. Tibi tamen Andrea gratias ago, quòd tantũ virum vt cognoſcerem, quantum in te fuit, curaſti. quod ſi ſecus euenit, tu & ego extra culpam ſumus. Mihi enim nihil gratius contingere poteſt, quàm huiuſmodi hominũ doctorum & bonorum gratiam colligere. De Florentino illo mercatore, quid de nobis ſentiat, parum curamus: quibus ſatis eſt, ſi Deo nos probare poſsimus. A nobis certè nihil audiuit, aut profectum eſt, quod non ſummam conſtantiam, modeſtiam, & veræ religionis ſtudium præ ſe ferret. Et miror quòd & Petrũ Martyrem, & nos adhorteris, vt monumentum aliquod

quod edamus, quo nos in sententia semel be- ne diuinitusque suscepta persistere testemur. nam si vnicuique obloquenti aut detrahenti esset respondendum, ætas hominis ipsa nó satis esset, vt vel paucis responderes. At sinendi sunt latrare canes, qui mordere non possunt: & vnicuiq; suum munus & officium nauiter est persequendum. Satis superq; respondetur, si vita professioni respondeat: quæ potentior est ad persuadendũ, quàm Periclea vlla πειθὼ, aut Ciceroris eloquentia. Tametsi nec scripta desint: siquidem scriptionem requiris, Petrus Martyr egregia adornat monumenta, quæ propediam edentur. Bernardini & nostra iam manibus hominum teruntur, & cùm verbis tum factis luce clarius testantur, nos ab omni falsa abhorrere religione, & vnum Deum colere in vno Iesu Christo, quo duce & auspice neq; famem, nec carceres, nec mortẽ extimescimus. Hic iam cum epistolam claudere pararem, rediit in mentem, quod in exordio tuarum literarum præclarè posuisti, amici videlicet esse, de amico, vbi vbi posset, bene mereri. Idcirco quo bene de te quà possem mererer, indicare quædam visum est, quę tuam epistolam valde apud vnumquenq; contaminare possent, & famam tuam non parum imminuere. Quorũ illud primum est, quod sapientiæ prędítum, pro sapientia prędítum, posuisti. Deinde paulò post, cùm dixisses, hęc in causa fuerũt: mox subiecisti, pri

mùm ob multa negocia: quæ non bene cohæret. Tollẽda enim fuerát particula illa ob, vt ad multa responderet. Et cum noster D. Ioannes in Galliam profecturus erat, pro esset: Scio tibi gratum erit, pro, scio tibi gratum fore: Incarceratum, pro in carcerem coniectum, aut ductũ, aut simile aliquid (nam incarcerare latinũ non est.) Paratissimum & in scribendo & in concionando: pro, ad scribendum & concionandum. Tędiosus autem, quod in extremis literis posuisti, pro molestus & grauis, & alia nonnulla, breuitatis causa omittimus. Hæc pauca, vt tibi gratiam de tuis monitis & exhortationibus referrem aliquam, dissimulanda esse non putaui. Enitere igitur, vt & ista corrigas, & melioribus operam des, atq; in id studium in quo estis fratres incumbite, vt & vobis honori, & amicis vtilitati, & reipublicæ Christianæ emolumento esse possitis, ad Christi nostri gloriam sempiternam. Vale: & si parcior in scribendo, quàm optatis, vobis videor, occupationibus meis, multis quidem illis, & magnis, attribuite. Iesus Christus vos tueatur & regat. Orate pro nobis semper.

CÆLIVS S. C. DE RAtione studij ac styli,

Ad Ioannem Heruagium Ioannis F.

PAter tuus, vir cum primis eruditus & pius, cum proximè conuenirem illum, eique tuum aduentum gratularer, egit mecum inter cætera, de tuorum ratione studiorum, & exercitationum, quibus breuī posses propositū finem attingere. Propositum enim tibi est, Latinę linguę facultatem aliquam laudabilem comparare. Dixit tum nostrûm vterque aliquid. ac cum iam ab eo discederem, rogauit, cum satis fuisset tantùm innuere, vt eam rationem, de qua simul egeramus, literis mandarem, tibiq; legendam, meditandam, vsuq; & exercitatione exprimendam traderem. Id ego ita libenter feci, vt debeo, tali præsertim amico, & de me optimè merito. Qua in re tu pij parentis studium, meam verò erga te beneuolentiam agnosces: quod quidem feceris, si quę tibi in hac tanquam tabella inspiciēda damus, ex muto exemplo in animi speculùm transtuleris: hoc est, si rem ipsam ita in animo insculpseris, vt eam cum voles, & quoties erit opus, possis proferre.

Studium & exercitatio.

Duo igitur sunt, quæ ad quamuis artem consequendam necessariò requiruntur, studium & exercitatio: quæ duo ita coniuncta & copulata sunt, vt alterum sine altero parum vtilitatis habere videatur. Nam & diligens rerum inuestigatio atque cognitio (id enim studium appellamus) exercitationi atque viui materiam, & quasi nutrimentum suppeditat: & exercitatio sola studiorum fructus quasi calore quodam elicit, coquit, perficit, & ad maturitatem quandam suauitatemque perducit.

Itaque tam in studendo, quàm in exercendo, prima sit ratio ordinis, secunda diligentię, tertia intelligentiæ: vbi enim nullus est ordo, nulla potest esse certa doctrina, nullaq; memoria: & sine diligentia omnia torpent & languent: nec de ijs quæ non intelligas, aut loqui aut scribere vnquam poßis.

Ordo.

Ordo autem nunc in hac nostra ratione bifariam consideratur, & temporis & rerum. Temporis ordo illud efficiet, vt alia fiant ante meridiem, alia post meridiē. Antemeridianis horis in quibus vel maximè matutinas & antelucanas intelligo, optimum erit in Ciceronis lectione versari, & mox à lectione se ad scribendum conferre. Nam stylus, quemadmodum ipse Cicero dixit, optimus est dicendi artifex. Quæ verò

verò ſcribenda ſint, & in quibus ſtylus exercen dus, pòſt dicemus. Tempus autem quòd poſt meridiem ſequitur; id totum artibus & doctrinis tribuendum erit.

In rebus ordo erit, ſi quòd ſumpſeris ſemel, in eo perſeueres, nec faſtidio quodam modò hoc, modò illud aggrediaris. Diſtrahit enim animum iſta confuſio potius, quàm varietas: nec ſinit aliquid hærere & concoqui, quod poſtea in nutritionem, hoc eſt, in ſuccum doctrinæ dictionisq; vertatur. Quamobrem cum cœperis Ciceronem legere, ne repentè ad Liuium transeas, neq; ex Ciceronis epiſtolis ſtatim ad libros de Officijs, neq; ex Oratoris lectione ad poetæ lectionem aut contrà, antequam inceptum abſolueris, & cùm fructum ex ea vel lectione vel exercitatione perceperis, qui tibi initio propoſitus fuit.

Diligentia.

Sequitur diligentia, qua vna (vt Antonius ſecundo libro de Oratore rectè dicit) reliquæ ſtudiorum & ſtyli virtutes omnes continentur. Hæc nihil eſt quod non aſſequatur. Ars enim & doctrina tantùm vbi quæras, atq; vbi ſit illud quod ſtudeas inuenire docet: reliqua verò quæ ſunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, aſsiduitate, conſtantia, labore, diligentię complector nomine. Hęc igitur nunquam eſt remittenda, niſi recreandi animi cauſa, vt valetudo conſeruetur: quanquam in ip-

ſa rerum præclariſsimarum cognitione & vſu, recreatio & iucunditas eſt vel maxima, vel libero ingenio digniſsima. Tibi ergo hoc tanquam prætorium edictum propone, vt nulla dies (quod ab Apelle & dictum & obſeruatum accepimus) ſine linea.

Intelligentia.

Tertium verò & poſtremum caput noſtræ partitionis fuit, vt quæ legimus, quęq; exercemus, ea etiam intelligeremus. Quod quidē facilè aſſequemur, ordine & diligentia ſeruatis. Sed hæc duo ſunt in nobis. Sunt autem & alia duo, quæ intelligentiam adiuuant: quorum alterum eſt in autoribus ipſis, quibus operam damus: alterum in explicatorum acumine poſitum eſt. In autoribus ſunt loci clari, faciles & aperti: ſunt etiam obſcuri, difficiles & inuoluti. Quare ex claris obſcuri, ex facilibus difficiles, ex apertis & in promptu expoſitis reconditi & inuoluti ſunt explicandi & intelligendi.

Vt autem id fiat, tribus rebus eſt opus: animaduerſione locorū, & notatione & comparatione. Primùm enim conſiderandū & animaduertendum eſt, quid & quomodo dicatur: & quod animaduerſum eſt, ſtatim notandum, ne effluat. Poſtremò inter ſe loci ſunt conferendi, quæ comparatio aut ſimilium eſt locorum, aut diſsimilium aut contrariorum: ex quibus quomodo locus ille difficilis intelligendus ſit, eluceat. Nam veriſsimum eſt, quod dicitur, Liber librum

librum aperit: sed etiam illud non minus est verum, lectio lectionem, & locus locum explicat & enodat.

Illud autem facillimum est, cum locum non intelligis, adhibere explicatorem: sed eum velim perquàm doctum & prudentem esse, siue is sit mutus explicator, vt qui suas explicationes literis mandarunt: siue vocalis, cuiusmodi sunt docti homines & magistri, quos vel audis, vel conuenire rogareque possis. Nam si tales non fuerint, nihil perniciosius fieri potest, vt qui falsa & ridicula pro veris & grauibus & vtilibus tradant, talesq; sibi credentes efficiant. Ergo tutior est illa prior ratio interpretandi, & intelligendi: quæ etsi videatur aliquanto operosior, tamen & tutior (vt dixi) est, & ei qui inuenerit, iucundior & charior: quòd nostro marte inuenta, loci alicuius explicatio esse videatur.

Non igitur statim, vbi aliquid nõ intelligis, abijciendus est liber, aut etiá in eo loco diutius hærendum: sed notádus est locus, & porrò pergendum. Futurũ enim est, modò cum animaduersione legatur, vt alius locus lumen ei afferat loco. Quid, quòd sunt etiam apud scriptores loci, qui vel nulla ratione intelligi posśint: vel intellecti, minimam contineant vtilitatem? Ergo quod Cicero prudẽter libro de Officijs primo monet, seruandũ omnino est, ne scilicet nimis magnum studium, multaq; opera in res obscu-

ras atque difficiles, easdemq; non necessarias, conferantur.

Exercitationum ratio.

Restat vt de ijs dicamus, in quibus stylum exerceri conueniat, vt vsu atq; exercitatione linguę Latinæ facultatẽ consequaris: quod nunc propositum tibi esse video.

Vbi igitur studio diligenti & asśiduo tibi materiam scribendi, & orationis, hoc est, res & verba, & artificium, & exempla tum locutionum, tum artificij comparaueris, superest, vt hæc in aciem arenamque deducas. Genera verò in quib. te exercere oportet, hæc sunt. Epistolæ primùm breuiores, deinde longiores: breues argumenti conclusiones, exordia, narrationes, confirmationes, refutationes, loci communes ad amplificandum: & commiserationes, siue conquestiones: deinde similitudinum, comparationum, & contrariorum explicationes. Quanquam illa omittenda non erunt, vt in ornamentis verborum & sententiarum, in amplioribus præsertim, & grauioribus exprimendis & conformandis, multum te exerceas: quorum exempla ad imitandum aptiśsima habes ad Herennium libro quarto. Priora autem illa exercendi genera ex Rhetorum pręceptis ducenda sunt: & ad eorum quoque exempla alia erunt proferenda, quæ præcepta te iam tenere non ambigo.

De

De conuertendi ratione.

Est etiam aliud exercendi genus, cum quid ex alia lingua in aliam linguam conuertimus: quod genus semper à doctis & disertis viris, si modò rectè fiat, laudatum fuit. Huius duæ sunt leges: quarum altera est, vt vtranque linguam intelligas, tum eam ex qua, tum eam in quam est aliquid conuertendum. Nam nemo rectè vertere quicquam poterit, qui duas eas linguas non probè tenuerit. Verùm in exercendo, quoniam idcirco exercitatio illa suscipitur, vt linguę facultas comparetur, fieri non potest vt vtriusque peritus sit, qui se exercet: alteram tamen ex qua transfert, eum tenere oportet. Cognitio autem rerum quæ hîc requiri videtur, ad perfectas & serias operas, non ad exercitationes refenda est.

Alterum præceptum est, quod paucis ab Horatio in Poetica expressum fuit: sic enim ait,
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres. —— Cicero quoq; de Finibus, ijsdem penè verbis: Nec tamē, inquit, exprimi verbum è verbo necesse erit, vt interpretes indiserti solent. Sententias tamen, & figuras, siue formas, & rerum ordinē, idem Cicero seruanda esse indicat: verbis verò & locutionibus ijs vtēdum, quæ à linguæ Romanæ more non abhorreant.

Cū igitur aliquid vel ex Germanica, vel ex Græca, aliàue lingua tibi vertēdum erit: singulas deriodos & cōuersiones, earumúe partes &

membra animo concipies: deinde tecum ipse cogitabis, quemadmodum si rem quàm animo tenes, à te, non ab alio inuentam exprimere dicendo velles. quo facto eam non quasi de libro quem vertendum suscepisti, sed quasi animi tui sensa eloqui velles, Latino sermone explicabis: ita fiet, vt nihil putidum, nihil durum, nihil obscurum habeat oratio: sed facilis sit, vsitata & dilucida, quæ maxima est virtus orationis. In hoc autem genus, omnia illa genera cadere possunt, quæ paulo antè notauimus. In his generib. te exercebis, sed potissimum in epistolis, quarum vsus latissimè patet, conscribendis: in qua re nihil est opus te ad eos qui de earum ratione scripserunt accedere, vt epistolam discas scribere. Nam non sunt alia scribendæ epistolæ præcepta, quod ad artem & linguam Latinam attinet, quàm aliorum generum. Ex communi enim dicendi arte ea sumi debent, & assidua epistolarum lectione & meditatione illustrari, & multum scribendo confirmari: vt diligentem & attentá lectionem cogitationemq; scriptio excipiat, & scriptionem lectio subsequatur.

Epistolas igitur Ciceronis (nam is vnus est in omni genere princeps) diligēter euolues, leges, releges, obseruabis, annotabis: exprimere de rebus alijs scribês, conaberis. quod quidem te non sine magno fructu fecisse, pòst ipse animaduertes & senties: sentient etiá alij ad quos scribes.

ſcribes. Breuitatem & quotidianum loquendi genus, ſi exprimere libet, habes epiſtolas ad Atticum, in quibus dicendi genus eſt maximè familiare, purum & ſimplex, id quod doctiſsimi quiq; affirmant. Sin plenam orationem, & grauem & flexam, & contortam amas, præſto ſunt epiſtolæ quę falſo Familiares appellantur, cum tamen pauciſsimę in eis ſint familiares, & quotidiano ſermone conſcriptę, quales illę ſunt ad Terentiam, & ad Tyronem miſſæ.

De cenſura, ſiue iudicio.

Iam dicam aliquid de cenſura & animaduerſione, qua te in tuis ſcriptis vti oportebit, ſi fructum ex tuis laboribus quem cupis, aſſequi veſlis. Huius prima cura erit in verbis ſimplicibus: altera in coniunctis, hoc eſt, in formulis & locutionibus: tertia in arte. Vbi ergo aliquid ſcripſeris, quanta maxima diligentia poteris, tunc à capite omnia recognoſce: primùm an irrepſerit aliquod verbum aut minus latinum, aut improprium, aut nouum, aut inuſitatum, aut obſoletum.

Et hîc te volo ſeuerum iudicem tuorum ſcriptorum agere: nullum pręterire verbũ, de quo per aliquot menſes nõ dubites, pręter fortaſsis pauca, quæ tibi ſit iam exploratũ eſſe latina, & veterib. eo modo vſitata: reliqua volo tibi omnia eſſe ſuſpecta. Vt autem certò ſcias, an bona ſint, facilè perſpicies cùm aſsidua bonorum autorum lectione, tùm ſi ea ad lexica & linguę La

tinæ obseruationes & cõmentarios, tanquam ad Heraclium lapidem exegeris. Nam quæ in illis inueneris veterum autoritate comprobata, ea probabis: quæ non inueneris, tanquam adulterina reijcies.

Eadem censura tibi vtendum erit in locutionibus. eas enim vel ad Nizolij in Ciceronem obseruationes, vel ad Latinæ linguæ commentarios, siue thesauros, atq; interdum etiam ad Grammaticorum regulas explorabis. Quæ verò ex Rhetorica vel Dialectica manabunt, ea ad earum artium præcepta expendenda erũt: vt videas & certus sis, an omnia quadrent, an fortasis non satis omni ex parte illis respõdeant. Et hoc illud est quod Cicero dixit: Omnia sub acumen styli veniant necesse est. Hoc si per aliquot menses feceris, & diligenter feceris, fiet consuetudo, deinde natura: vt etiam nihil tale cogitans, rectè tamen & eleganter omnia facias. Ex qua re & laudem & vtilitatem, honesta cum voluptate consequêre.

De Imitatione.

Quoniam autem in omni exercitatione dicendi, primas tenet Imitatio: hic aliquid de ea diceremus, nisi totam hanc rem in Summa nostra bveuiter & perspicuè essemus complexi: quam te quoq; legere & tenere, vt nihil tibi desit, oporte-
bit. Vale.

AGRIPPAE ET MECOENATIS ORATIONVM Argumentum, Cælio S. C. autore.

OCtauius Cæsar Augustus potitus rerũ, paceq́ per orbem terrarum parta, consilium de armis ponendis, ac Republ. S. P. Q. R. reddenda, cum Agrippa & Mecœnate, duobus intimis amicis, cum quibus arcana omnia communicabat, cœpit. Ac prior Agrippa ei principatum dissuasit, & vt Remp. Romanis redderet suasit. Mecœnas autem contrà, consilium de retinendo principatu dedit: sed ita tamen, vt eum optimum principem, non tyrannũ esse vellet. Cæsar vtriusq́ consilio audito, vtrunq́ tum à prudentia, tum ab eloquentia, tum etiam à dicendi libertate commendauit: verùm Mecœnatis potius, siue quòd ita secum statuisset, siue eius oratione persuasus, consilium secutus est, imperiumq́ retinuit. Et quanquam Agrippa contrarium consilium dedisset, nihilominus tamen sic ei semper fauit, ita illũ complexus est, ac si ipse eius consilij, quod sequabatur, autor extitisset. Vt tamen vtriq́ satisfaceret, vtq́ maiore gloria afficeretur, ac principatũ suum hominum voluntate ac decretis, non vi & armis tenere videretur: septimo consulatu suo dispositis in Senatu Senatorib. ijs, qui ad eam rem apti viderentur, se Reipub. imperium velle reddere simulauit:

atq; id quod voluit, obtinuit. nam partim metu, partim amore principatum postularunt, atq; ad Imperatoriam maiestatem accipiendam eum coegerunt. Cum igitur altera oratio sit contra Monarchiam, altera pro Monarchia, ex eo harum orationum vtilitas elucet. Agrippæ quidem oratio breuior est, sed tamen locum nullum prætermittit, ex quo popularis Reipub. dignitas, & principatus incommoda demonstrari poßint. Mecœnatis verò amplior, propterea quòd ea penè omnia complectitur, quæ ad optimum principem instituendum requiri poße videantur. Quæ si, qui vocantur Principes hodie, vellent attendere atq; exprimere, melius res humanæ haberent. Surget igitur ille Augustus in iudicio, vt & regina Austri, cum hominibus nostris, eosq; condemnabit; quòd is Mecœnatis prudens consilium audierit, cùm hi audire vocem filij Dei recusent. Verùm his omißis, duos summos viros de Repub. contrarijs sententijs dicentes audiamus.

AGRIP-

AGRIPPAE AD OCTAuium Cæſ. Auguſtum oratio, contra Monarchiam, ex Dione Lib. LII. Cælio S. C. interprete.

NE mireris Cæſar, me, qui ab iſto tuo principatu tot tantiſque bonis affici poſſem, tibi hunc ipſum diſſuadere: qui ſi tibi quoque vtilis & commodus futurus eſſet, ipſe eum tibi pariter optarem. Verùm quando nulla inter principes principumque amicos ſimilitudo eſt, quòd amici quem cupiunt fructum, à principibus ſine inuidia & periculo percipiunt: in principes autem ipſos tum odia, tum pericula omnia redundant: exiſtimaui, vt in cæteris rebus, ſic etiam in hac ipſa, me non meum proprium commodum, ſed commune omnium potius reſpicere debere. Itaq; animo tranquillo, quæ in hoc principatu continentur, omnia conſideremus. Ac primum in eam partem conuertamus animum, in quam ratio nos ipſa ducit. Nemo enim eſt, qui hunc dominatum à nobis expetendum eſſe diceret, niſi ſit nobis vtilis futurus: alioqui aut rebus ſecundis elati, & victorijs inflati videbimur, aut multò antè hoc regnũ affectaſſe (quanquã patrem, & noſtram

erga ipsum pietatem, causati sumus) aut senatum populumq; Romanum nobis proposuisse, non vt eos ab insidiatoribus ipsorum vindicaremus, sed vt in seruitutem adduceremus: quod quidem vtrunque vituperabile est. Nam quis animaduertens nos aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere, non indignaretur? Quis nō maiore nos odio nunc prosequeretur, quàm si ab initio cupiditatem nostram præ nobis tulissemus, & ad principatū palàm aspirassemus? Audere enim per vim aliquid agere, quamuis iniustum videatur, tamen naturæ hominis consentaneum esse creditur: quòd, quisquis se aliqua in re alicui præstare atque anrecellere studet, etiam plura habere, eo cui præstare vult, cupit. Quod si ei prosperè cedit, fortunæ potentiæ fertur acceptum: sin contrarium euenit, fortunæ inconstantiæ totum ascribitur. Qui autem eiusmodi quippiam per fraudes & dolos machinatur, is primùm homo dolosus, & varius, & nequam habetur: quibus vitijs te implicatum esse, etiamsi totus orbis imperiū consequerere, nunquam vel dicere, vel sentire te nullo modo velle, mihi ipse persuadeo. Deinde si res ei successit, iniustum lucrum fecisse videtur: sin minus, meritò tibi omnia mala accidisse mortales existimabunt. Quæ quanquam ita sint, tamen aliquis vitio nobis verteret, quòd tametsi initio nihil de principatu cogitassemus, nunc tamen

tamen illum optaremus. Longè enim maiore is vituperatione dignus eſt, qui præſenti fortuna vincitur, nec ſe continere, nec moderatè fortunæ bonis vti poteſt, quàm qui in rebus aduerſis quempiam afficit iniuria. Homines enim ſæpenumero calamitatibus, non voluntate, ad peccandum, atq; ad propriam commoditatem perſequendam impelluntur: illi verò voluntate ac propoſito contra vtilitatem incontinentes ſunt. Quis verò cogitaret, eos rectè alijs imperaturos, aut in aduerſa fortuna conſtantes fore, qui nec vlla animi ſimplicitate præditi ſunt: nec rectè munera, quibus aucti ſunt, metiri poſſunt? Nos igitur, qui nihil horum ſuſtinuimus, quique nihil præter rationem facere cupimus: ſed, quod optimum eſſe videatur, ſequuturi ſumus, de hoc ipſo conſilium capiemus. Liberè tecum agam: neq; enim aliter quicquam poſſem dicere. eum enim te eſſe noui, qui mendacijs & aſſentatione audiendis minimè capiaris. Iuris æquabilitas, & nomen habet ſanctiſsimum, & opera iuſtiſsima. An non æquum eſt, vt qui eiuſdem & naturæ & nationis ſunt, atq; iiſdem & moribus & legibus educati, quiq; communem corporum animorumque vſum patriæ conferunt, alia etiam communia habeant? Neq; enim decet alterum anteponi alteri, niſi propter virtuté: quòd par naſcendi conditio, parem quoque diſtributionem deſiderat: quã ſi conſequitur, gaudet: ſin

minus, dolorem capit. Ac cum humanum genus à dijs originem habeat, atq; ad eos reditu-rum sit, sursum spectat, nec semper vni homini subesse vult: nec ferre potest, vt laborum, periculorum, impensarum particeps sit, à præmijs autem & vtilitatibus excludatur. Ac tametsi huiusmodi ferre cogatur, eum odit qui vim affert, eumq; quacunq; occasione vlciscitur. Omnes enim homines principatus cupiditate tenentur: idcirco ex parte dominatum patiuntur, nec tamen opprimi se sustinent, atq; ob id etiam ijdem ipsi alios opprimere non coguntur: gaudentq; ijs honorib. qui ab æqualibus ipsorum eis tribuuntur: pœnas etiam laudant, quæ legibus inferuntur. Hoc igitur rerum statu, bona & mala esse communia arbitrantes, ciuium neminem lædi volunt, eisque optima quæque semper optant. Quòd si quis aliqua virtute præditus est, ipsemet eam & libenter ostendit, & alacriter exercet. Si verò in alio eam elucere cernit, intrepidè fouet, augere studet, & magnificè prædicat. Quòd si quis improbus sit, eum omnes odêre: eius verò qui malis premitur, omnes miserentur, damnum & ignominiam quæ corũ caussa accipit ciuitas, communia arbitrantur. Hæc popularis status forma est. At in tyrannide omnia contraria inueniuntur. Sed quid opus est pluribus agere? In summa, nemo est qui in se aliquid præclarũ esse videri velit, quoniam ei omnes ferè domi-

domini eam ob rem inimici ſunt: mores principis, legem vitæ ſuæ omnes faciunt: ac quod ſine periculo ſuperare ſe poſſe cogitant, in eo elaborant. qua ratione inducti, pleriq; omnes priuatis ſuis vtilitatibus ſtudent: cæteros omnes odère, eorumque felicitatem in proprijs damnis, calamitatem verò in commodis ponunt. Quæ cum ita ſe habeant, cur ad principatum appetendum moueare non video: quippe qui prȩterquàm quòd populis moleſtus eſt, tibi quidem multo moleſtior ſit futurus. Nónne vides Vrbem, eiusq; res adhuc perturbatas eſſe? ac difficile fore, populum noſtrum, tot iam annos in libertate verſantem diſſoluere: neque minus difficile, ſocios & vectigales noſtros, quorum quidam olim iam ſuis legibus vtuntur, alij à nobis ipſis libertate donati ſunt, in ſeruitutem redigere: cum prȩſertim tot circa nos hoſtes habeamus? Atque vt ab eo quod primum & breuiſsimum eſt, exordiar, multa tibi quacunq; ratione pecunia inuenienda erit: quòd præſentes facultates cùm ad alias res, tũ maximè ad alendos exercitus ſatis eſſe nullo modo poſſunt. Quæ difficultas quanquam in populari ſtatu etiam inuenitur, quòd nulla reſpublica ſine ſumptu eſſe poſsit: tamen in eo ſtatu plerique multa libenter conferunt, quod quidem maiorum honorum cupiditate factitant, ex eo digna prȩmia capientes. Quòd ſi virium neceſſaria tributa exigũtur, ſibi ipſi in eo

ſatisfaciunt feruntq; non grauatè, vt qui propter propriam vtilitatem pendant. In principatu autem, omnes æquum exiſtimant, principem, vtpote opibus affluentem, ſumptum omnem ſuſtinere: eius facultates diligenter inquirentes, at non pariter ſumptuum rationes ſubducentes. Itaque inuitè priuatim ſinguli quidquam conferunt: ſed nec libenter tributis communibus aſſentiuntur. Nam illud nemo faceret, ne ſe diuitem eſſe proderet: nec etiam principi vtile eſſet, ſi faceret: quòd ſtatim is, propter opinionem, quam obtineret popularis, ſuperbia elatus, nouas res agitare ſtuderet: alterum verò, nimirum in commune conferre tributa, multis graue & moleſtum eſt: præſertim cum illi detrimentum, alij emolumentum capiant. In ſtatu enim populari, qui tributum pendunt, magna ex parte militiæ nauant operam: ex qua rurſum eadem pecunia quodam modo in eorũ redit manus. At in vnius principatu, plerunq; alij ſunt qui terrã colunt, qui nauigant, qui Remp. gerunt, à quibus magna pecuniȩ pars extorquetur: alij verò qui bella gerunt, & prȩmia accipiunt. Hoc igitur vnum ex ijs eſt, quæ tibi negocium faceſſent. Alterum eſt, quod exponam. Qui ſcelus concipit, eum puniri oportet: bona enim hominum pars caſtigari nec obiurgatione, nec exemplis poſſunt: ſed omnino aut ignominia, aut exilio, aut morte mulctandi ſunt, quȩ in tanto imperio tantáque ho-

que hominum multitudine, ac præsertim in Reip. mutatione solent accidere. Hi verò sontes, si eos alijs iudicijs tradideris, absoluentur: maximè si ex ijs fuerint, qui tibi infensi esse creduntur. tunc enim iudices se potentes esse putant, si quando contra principis sententiam iudicent. si qui verò condemnabuntur, tuo impulsu eam calamitatem sustinere videbuntur. Sin ipse iudex eris, te in æquales tuos multos animaduertere necesse erit. Quæ res ab hominis felicitate aliena est: videbereq; prorsus à nonnullis ira potius quàm æquitate pœnas exigere. Qui namq; vim possunt afferre, à nemine æqua iudicia facere putantur: existimant enim omnes, eos imaginem atq; vmbrā tantùm Reip. prę se ferre, ac legitimorum prætextu iudiciorum suas explere libidines. Hæc igitur in vnius dominatu accidunt. In populari autem administratione, si quis aliquod scel⁹ priuatim concepisse arguitur, is etiam ad priuatos iudices causam dicit. Sin publicè peccauit, etiam ex similibus ei iudices quos tulit sors, proponuntur: quo fit, vt quicquid accidit, facilius feratur, quòd homines iudicis nec potentia nec gratia coactum quicquam se sustinere arbitrentur. Deinde præter eos qui alteri iniuriā faciūt pleriq; aut genere, aut opibus, aut alia quauis re elati, quamuis in alios improbi non sint, tamē vnius potentiæ aduersantur. Nemo autem qui huiusmodi homines crescere sinit, tut⁹ po-

test viuere, nec si eos coercere velit, id iure potest. Quonā igitur pacto huiusmodi hominibus vtêre? quomodo illos tractabis? Nam si stirpem illorū delebis, si opes minueris, eorumq; altitudinem depresseris, nullam gratiam apud tuos tibi conciliabis. Nā quî amari possis, cum nemini nec bene nasci, nec iure diuitias acquirere, nec fortem fieri, nec magnanimum, nec sapientem liceat? Quod si hæc crescere siueris, post haud facilè eis vti poteris. Si namq; solus & Rempub. & quæ ad bellum pertinent, administrare posses, nec vllo collega aut adiutore vlla in re opus haberes, alia esset ratio. Nunc autē omnino tibi multis socijs in eis administrandis opus est, in tanta præsertim mundi portione: parq; omnino est, vt illi ipsi fortes & sapientes sint. Itaq; si in horum manus exercitus & imperia tradideris, an non te cum Rep. in extremum periculum conieceris? fieri enim non potest, vt insignis aliquis & magnus vir sit, quin idem excellat audacia: nec infima seruiliq; conditione quisquam ferè magnanimus esse potest. Vbi autem quis audere cœpit, illico in eo libertatis cupiditas odiumq; principatus innascitur. Sin verò his nihil credideris, malueri sque vulgaribus vti hominibus, statim in aliorum odium incurres, quòd eis fidere nullo modo videare. Præterea hoc pacto in rebus maximis citò offenderes. Quid enim rectè homo imperitus, atq; abiectæ fortunæ, faceret? à

quo

quo hoste : on contemneretur? Quis sociorũ ei parêre v· let? Quis miles tali homini subesse non indignaretur? Sed nihil opus mihi omnia mala enumerare, cum tibi notissima sint, quæ ex eo solent euenire. Illum tantùm necessariò dicam: Si huiusmodi homo nihil rectè gereret, tibi id maius quàm hostibus afferret detrimentum: sin quod opus est faceret, superbia, propter ignorantiam suam, inflatus, pòst tibi terrorem incuteret. In populari autem Rep. nihil tale inuenitur: sed quo ditiores & fortiores sunt, eo sunt honoris appetentiores: idcirco augent ciuitatem, atq; cùm in eos ipsos, tum in ciuitatem vtilitas cum lætitia redundat: nisi quis ad tyrannidem spectat: tunc enim seuerè in eum animaduertitur. Hæc autem ita se habere, ac multorum administrationem vnius potentiæ anteponendam esse, Græcię demonstratur exemplis. Nam dum vnius nutu omnia gerebantur, nunquam magnas res gesserunt: postea verò quàm in illam alteram popularẽ potestatem deuenerunt, clarissimi euaserunt. Idem quoq; aliorum exemplis demonstrari potest: quorum quidam sub tyrannis degentes, semper seruiunt, semperq; suis dominis insidiantur. Quidam verò annuos, aut paulò diuturniores magistratus habentes, in libertate, legibus vtẽtes proprijs, perseuerant. Sed quid externis exemplis vtor, cum domesticis abundemus? Nos enim Romani, cũ priore dominatu

fracti essemus, postquam multa aspera sustinuissemus, in libertatis desiderium venimus. quã vbi fuimus consecuti, ad hanc magnitudinem, nullis alijs quàm Reip. freti bonis, progressi sumus. Senatus enim primùm censebat, pòst populus iubebat: exercitus præstò erat, gloriæ cupidi Imperatores: quarum rerum nulla in vnius dominatu similis reperietur. Has quidem ob causas tantopere maiores nostri odére, vt eum dominatum execrabilem & detestandum esse sanxerint. Atq; vt hæc missa faciamus, si de his quæ ad te pertinent, loqui volumus, quî tot tantisq; rebus dies ac noctes gubernandis durare? quòd si etiam bona valetudine non fueris, quî satis esse poteris? quo autem hominis naturæ consentaneo bono frui? His autem priuatus bonis, quó nam pacto beatus eris? & quánam re oblectari possis? quando verò sine magna molestia futurus? Qui enim tam amplum habet imperium, eum multarum rerum curam metumq; habere, paucissima verò quæ oblectent sentire necesse est: semperq; omni in loco molestissimas res videre & audire, facere & pati. Quas ob res quosdam Græcos & Barbaros, sibi oblatos principatus respuisse arbitror. Hæc igitur prospiciens, delibera, priusquam ingrediare. Nam vituperabile est, semel ingressum pedem referre: imò fieri non potest, vt qui semel in eo immersus est, emergat. Vide ne te fallat amplitudo potestatis

possel-

possessionum copia, multitudo stipatorum, seruorum turba. Qui enim multum possunt, multum quoq; habent negocij: & qui multa possident, multum sumptũ faciant necesse est. Stipatorũ verò caterua, propter insidiatorum multitudinem reperta fuit: assentatores citius homini exitij causa erunt, quàm salutis. Hasce igitur ob res, nemo qui quidẽ sapiat, fieri princeps cupiat. Quòd si quis imperium expetendum putet, quòd in eo opes sint, quòd quosdá seruare possit, multaq; bona facere, etiam mala, si ei videatur: hic in magno errore versatur: nam improbum esse, alijs nocere, quàm sit dijs hominibusq; inuisum, quamq; periculosum, nihil attinet dicere, quòd nec tu talis es: nec vt talia posses, eligeres principatũ. Nec mihi nunc propositum est dicere, quanta mala is faceret, qui non iustè vellet dominari: sed potius, quæ facienda & patienda sunt etiam, eis qui rectè potestate vterentur. Ad id autem quod dicitur, posse in eo magna mortalibus bona conferri: fateor hoc esse desiderabile. Sed cum in priuato homine est, tum honesta, laudabilis, gloriosa & secura res est: at in vnius dominatu ea res non est par alijs, quæ in ea sunt, malis, adeò vt propter id ea mala eligantur: cum præsertim eius beneficentiæ fructus in alios, malorum verò dolor in eum redundaturus sit. Non est præterea ea res tam facilis, quàm alij putant: quòd vnus omnibus egentibus explendis satis

esse non posit. qui enim se dignos ducunt, qui ab eo beneficium accipiant, ij ferè omnes mortales sunt, etiam si nullum ab eo beneficium promeriti fuerint. omnes etenim homines natura sibi placent: voluntq; ab eo qui potest, beneficium accipere. Verùm quæ dari possunt, honores videlicet, ac dignitates, atq; interdum etiam pecuniæ, paucissima sunt, si cum tanta hominum multitudine comparentur. Quod cum ita sit, plus odij ab ijs qui cupita cõsequi non possent, consequeretur, quàm beneuolentiæ ab eis qui ea obtinerẽt. Hi enim quasi debita accipiant, se haud sanè magnam gratiam ei qui beneficiũ dedit, debere arbitrantur: quasi nihil præter spem suam inuenerint. Præterea tardi ad gratias agendas sunt, ne ob id beneficijs acceptis indigni videantur. Qui verò quòd cupiebant consequi non potuerunt, molestiam duabus de causis accipiunt. Primùm, quòd se priuari putant re propria & sua: (omnes enim suũ esse, quod cupiunt existimãt:) Deinde quòd si patienter repulsam ferunt, se ipsi eo beneficio indignos esse videntur deputare: quod qui iustè huiusmodi res distribuit, cuiusq; merita diligenter videtur expendisse: & alios honorare, alios contemnere: idcirco ob eius iudicium alijs superbia, alijs dolor, vel ex ipsorum conscientia accrescit. Quod si quis hoc metuens, sine delectu & modo ea vellet distribuere, erraret omnino: quoniã improbi pręter

ter meritum honoribus affecti, deteriores fierent, se aut laudari, quasi boni essent, aut deliniri, quasi formidabiles, arbitrati: boni verò nihilo plus quàm illi accipientes, sed se illis æquari cernentes, magis dolerent ob eam æquationem, quàm gauderent, quòd aliquod beneficium essent consecuti. Quamobrem rerum meliorum vsum relinquerent, ac sese potius deterioribus applicarent: quo fieret, vt ex honoribus qui eos conferrent, aliquem fructum non perciperent: & qui acciperent, deteriores efficerentur. Itaq; quod plerisq; in principatu placeret, id factu esset difficillimum. Hæc igitur atque alia, quę paulo antè commemoraui, tecum reputans dum licet, sapito: ac populo arma, nationes, magistratus, pecuniamque restituito: quod quidem si nunc volens atq; vltrò feceris, omnes mortales gloria superabis, erisq; tutissimus: sin dum vis aliqua tibi afferatur expectaueris, forsitan vnà cum ignominia aliquid mali sustinebis. Exempla sumere potes à Mario & Sylla, & Metello, & Pompeio, qui initio rerum potiti, regnare noluerunt: ex quo nihil mali sustinuerunt. At Cinna, & Strabo, & alter Marius & Sertorius, & ipse Põpeius, pòst regnandi cupiditate incensi, malè perierunt. Difficile enim est, hanc ciuitatẽ, quę tot annos libera fuit, quęque tot mortalibus imperitauit, nũc alicui sub esse velle. Camillum maiores nostri, quòd albis equis in triũpho vsus esset, relegarunt. Scipio-

nem cùm multum creuisse viderent, euerterũt. Patrem tuum propter affectat regni quandam suspicionem, quàm miserè mulctauerint, recordare. Atqui nulli vnquam his viris præstantiores fuerunt. Haud tamen suadeo, ita simpliciter imperium deponas: sed vt prius omnibus populi vtilitatibus prospicias: decretisq; ac legibus, Syllæ exemplo, quod opportunum videbitur, constituas. Nã tametsi post illud tempus pleræq; abrogatę fuerunt, maior tamẽ earum pars, eaq; melior adhuc viget. Nec mihi dicas, iterũ seditiones orituras, ne tibi respondeam, multo citius tyrannide pressos res nouas molituros. Quòd si omnia quæ quamque rem sequi solent, reputare voluerimus, sine vlla ratione plus metuemus discordias, quæ ex populari rep. existunt, quàm quæ ex vnius dominatu solent euenire: de quarum magnitudine nihil dicere tentaui, ne rem per se ıam apertè vituperabilem, videar vituperare velle. Sed eam talem esse, illud vnum satis arguit, quòd ea est eius natura, vt vel bonos viros in improbos conuertat.

FINIS.

In fine huius orationis, aut nihil, aut parum deesse videtur. In sequenti, principium omnino desideratur.

MECOE-

MECOENATIS ORATIO pro Monarchia, ad Cæſ. Auguſtum, ex Dionis Lib. LII. Cælio S. C. Interprete.

SI tibi, Auguſte Cæſar, patria chara eſt, pro qua tot bella geſsiſti, & pro qua vitam impendere non dubitares; eam componere, atque in meliorem formam reuocare ſtude. Libertas enim illa loquendi, faciendiq; quod quiſque velit, ſi eam tu in viris ſapientibus cogites, ex ea in reliquos omnes redundat vtilitas : ſin in ſtultis, calamitas ad omnes permanat. Itaque qui talibus hanc poteſtatem facit, gladium puero & furioſo tradit : qui verò bonis & ſapientibus, præter alia bona etiam illud conſequitur, vt improbos vel inuitos conſeruet. Quamobrem æquum & iuſtum arbitror, vt non nominum magnificentiam ſpectes, ſed quod ex illis euenire ſolet peruidens, populi refrenes audaciam, & gubernacula Reipub. ipſe cum alijs optimatibus tractes: vt qui ſapientiſsimi ſunt, conſilium dent: qui rei militaris ſcientiam habent, ordines ducant : qui verò robuſtiſsimi & egentiſsimi, pugnent, & ſtipendia capiant. Nam ſi ita fiat, quiſque ſuum munus alacriter obibit : hacque mutua vtilitate fiet, vt nemo egeſtatem ſentiat : atque hac ratione verum populi principa-

tum securamque libertatem obtinebunt. Illa namq; imperitæ multitudinis libertas, durissima fortium virorum seruitus est, atq; vtrisq; affert exitium: hæc autem, de qua loquor, quæ in honoribus semper virtutem anteponit, quæ cuique distribuit pro dignitate cuiusq;, eos omnes pariter qui ea vtuntur beatos facit. Ne credas me tibi suadere velle, vt hunc populum, huncq; Senatum seruitute premas (hoc enim nunquam aut ego dicere, aut tu posses facere) sed hæc cùm tibi, tum Reip. vtilia forent, vt scilicet cum viris præstantibus quæ agenda sunt (multitudine contradicere aut aduersari non audente) ordinares: vt bella nostris consilijs disponeres: vt cæteri parêrent: vt magistratuum creandorũ potestas penes nos esset: vt de præmijs & pœnis nos statueremus: quo protinus lex esset, quicquid tibi ac tuis æqualibus placeret: vt bella clàm atq; in tempore susciperentur: vt qui aliquod munus gerere deberét, hi non sortitione, aut ambitione, sed virtutis habita ratione legerentur: vt sine inuidia bonis honos haberetur, & improbi sine seditione plecterentur. hoc enim pacto negocia optimè disponi possent, si nec ad populum referrentur, nec apertè tractarentur, nec adhortationibus committerentur, nec ambitione periclitarentur. Ita bonis præsentibus sine vlla molestia frui possemus, neque bella periculosa, neque seditiones iniustas faceremus: quæ omnia

in

in populari Rep. sunt quòd potentiores principatum appetentes, tenuiores conducant, omniaq; confundant. quorum multa huiusmodi apud nos factitata sunt: nec vlla præterea ratione his mederi possumus. Atq; huius rei argumentum est, quòd iamdudum decertamus, atq; inter nos dissidemus. Huius autem rei causa est, multitudo hominum, negociorum magnitudo. Illi enim cum multi ac inter se diuersi natura & sanguine sint, studijs quoq; & desiderijs varijs feruntur: quæ iam eò processere, vt difficillimè regi queant. Hæc autem in hunc modum se habere, ex ijs quæ facta sunt, demonstratur. Nam dum pauci fuimus, nec dum magnopere supra finitimos nostros creueramus, Remp. præclarè gerebamus, ac totam ferè Italiam subieceramus. Postea verò quàm extra eam profecti, in multa continentis & insularum loca transiuimus, totumq; mare, totamq; terram nomine & potentia nostra impleuimus, nullis bonis frui potuimus: sed domi primùm & intra muros dissidere cœpimus, pòst etiam hunc morbum in exercitus transtulimus. Quibus de causis ciuitas nostra instar nauis varijs gentibus oneratæ, magnaque tempestate diu sine gubernatore agitatę nunc fluctibus fertur, modò hac, modò illac inclinans, vt quæ nullo clauo gubernatur. Ne igitur illam in hac tempestate contempseris (quàm enim onerata sit, vides) nec vt frangatur permitte: putris enim

eſt,nec diu ſuperſtes eſſe poterit. Sed quando dij eius miſerti, te illi iudicem & principem præfecerunt, ne deſere patriam: vt quæ nunc aliquantum reſpirat, in poſterum etiam per te ſecura perſiſtat. Meum hoc conſilium, quo tibi principatum capeſſendum eſſe ſuadeo, bonum eſſe, te multo antè cognouiſſe exiſtimo. Quod cum ita ſit,capeſſe:ſiue vt melius dicam, ne deſere hunc principatum. Etenim non de aliqua re capienda nunc deliberamus,ſed potius de non amittenda: ac vt ne iterum in periculum incidamus. Nam quis tibi vnquam ignoſcet,ſi Remp.in populi aut alterius, vt antè fuit, reliqueris manu? cum multi à te vexati fuerint, qui omnes fermè principatus cupidi ſunt: quorum nemo erit, qui non propter ea quæ abs te facta ſunt,vlciſci velit,quiq; te aduerſarium è medio tollere non ſtudeat. Exemplo tibi Pompeius eſſe poteſt,qui amiſſa poteſtate,ſpretus & proditus fuit:& ob id cum recuperare eam non poſſet,interemptus eſt:& Cæſar pater tuus,hoc ipſum facere cum vellet, cęſus fuit.Quin & Marius & Sylla,eandem,niſi antè fuiſſent mortui, calamitatẽ ſuſtinuiſſet. Quanquam ſunt qui dicant, Syllam hoc ipſum veritum, anteuertiſſe,ſibique manus attuliſſe. Ipſo autem viuo,multa eius decreta iam diſſolui cœperant. Itaq; multos Sertorios,Brutos & Caſsios te inuenturũ puta. Hæc igitur cum videas,ac per te reliqua omnia reputes:ne te vnà
cum

cum patria velis prodere, ne callidè dominatũ appetere videare. Nam primùm, etiamsi quis hoc de te suspicaretur, huiusmodi desiderium à natura humana alienum non est: honestaque sunt pro huiusmodi re pericula. Prȩterea quis, quæ te in hæc negocia adduxit, necessitatem non agnoscit? in qua si qua culpa est, meritò ijs ascribi potest, qui patrem tuũ necauerunt: quem nisi tam iniustè & miserabiliter trucidassent, tu nec arma sumpsisses, nec legiones congregasses, nec cum Lepido & Antonio consensisses, nec eos ipsos vltus esses. Ac nemo est, qui hæc iure & rectè facta esse non agnoscat. Quòd si qua in re error cõmissus est, nos eum corrigere possumus. Quamobrem cùm nostra, tum verò ciuitatis caussa fortunam, quæ tibi principatum dedit, sequamur, eique gratias agamus. Illa enim non modò domesticis nos malis expleuit, verùm prȩterea huius Reipub. constitutionem in tuo cõstituit arbitrio: vt te eam, vt par est, gubernante, omnes mortales agnoscant prȩterita facta: & malè ab improbis hominib. administratam fuisse, te verò bonum virum esse. Neque te terruerit imperij magnitudo. nam quanto maius est, tantò maiora in eo sunt ad id conseruandũ bona. Multo enim facilius est, rem quãpiam cõseruare, quàm acquirere: quòd in acquirendis bonis labores & pericula sunt adeunda, at in præsentibus cõseruandis vel exigua cura abundè est. Nec e-

tiá timueris, quin securè in eo victurus sis, bonisq; humanis omnibus vsurus, præsertim si omnia voles, vt tibi iam dicá, constituere. Quòd si hac de re paulò copiosius verba fecero, tibi longus videri non debebo. Id enim nõ dilatandæ orationis causa faciam, sed vt perspicuè intelligas, facilè esse viro sapienti, rectè & sine periculo imperare. Primùm igitur omnium opus esse cẽseo, eos qui in Senatu sunt, inquiras atq; discernas. Quidá enim indigni lecti in eũ sunt. Hi autem in quibus aliqua virtus elucet, erunt retinendi, reliqui dimittendi. Nemo autem bonus propter egestatẽ senatu mouendus: sed potius ei danda pecunia est, aliaq; necessaria suppeditanda. In locum eorum qui moti fuerunt, generosiores, meliores & ditiores introducendi: legendiq; non modò ex Italiæ locis, verumetiam sociorum & stipendiariorum. Hoc enim pacto multos adiutores habebis, & fortibus viris eris munitus, qui in singulis erunt nationibus. Itaq; illæ nullam nouitatem illustrem facient: qui verò in eis primarij erunt, te, quasi tecum imperij participes, amabunt. Id ipsum etiam in equitibus faciendum est, quòd qui sanguine secundi quocunq; in loco sunt, itemque virtute & opib. ij in ordinem equestrem adlegendi: tot, quot tibi videbitur, introductis, nulla numeri ipsorum habita ratione. nam quo plures fortes viri tecũ erunt, eo facilius omnia administrabis: quo pacto tributarijs persuadebis,

bis, te eis non quasi seruis, aut inferioribus nobis vti: sed tecum ipsis, vt alia bona, sic etiam principatum communicare, vt eum ipsi tanquam communem conseruent. Atq; ego hoc consilium tanti facio, vt te horter, cum eis omnibus communices Rempub. vt quoniam ipsi non æqualiter eius sunt participes, boná pòst partem capiant, tanquam in eadem nostra ciuitate habitent, hanc nostram verè vrbem & ciuitatem esse existimantes, suas verò villas & agros esse. Sed de hisce rebus deinceps accuratius, quid agendum sit, deliberabimus, ne eis omnia simul concedamus.

In equestrem autem ordinem xviij. annos natos adolescentes legito, quòd in hac ætate multum animi alacritas, bonaq; corporis habitudo sese proferat: in Senatum verò, annos quinq; & viginti. Nam quî non vituperandum & periculosum est, vt nos qui ante hanc ætatē rerum domesticarum curā nulli committendam esse ducimus, Res publicas iuniorib. cōmittamus? Quæstores, Aediles, Tribuni triginta annorū, Prętores creãtor. Hos enim magistratus patrię consuetudinis tantùm memoria, atq; etiam ne totam Reip. formam commutasse videare, vnà cū Consulatu à te confirmandos censeo. Hos autē penes te solùm eligendi potestas esto: non penes multitudinem & populum, quòd discordes inter se essēt, nec in Senatus arbitrio: discreparent enim sentētijs. nolo tamē veterem il-

lam horam magiſtratuum poteſtatem retineri, ne rurſum in eaſdem contentiones incidamus: ſed volo te dignitatem ſolùm conſeruare, tantumq; de poteſtate detrahere, vt tamen nihil de honore diminuas, ne qui nouis rebus ſtudent, quicquam moliri queant. Quod quidem effeceris, ſi pręter reliquas cautiones, eos in Vrbem reduxeris, & magiſtratus tẽpore arma eis ademeris: idq; non ſtatim, ſed temporis progreſſu, quantum cuiq; ſatis eſſe videatur. Hoc enim pacto, nec etiam vlli exercitib. præfecti, nominis ſui altitudine elati, noui quicquã molientur. Itaq; in vita priuata aliquandiu cõmorati, miteſcent: qui verò ad eam pertinebunt, conciones habento: omnesq; iudicandi, magiſtratus popularis tempore cauſas, pręter capitales, poteſtas eſto. Volo enim te iudices partim ex ſenatoribus, partim ex equitibus legere: ſed omniũ ſumma ſita in illis ſit. Pręfectus Vrbis ex præſtantiſsimis creetur, atque ex illis qui, quæ ad Rempublicam pertinent, omnia tractauerit. Id autem non vt is præfectus ſit, dum Magiſtri equitum extra Vrbem ſunt: ſed vt partim reliqua omnia vrbana curet: partim cauſas ad alios magiſtratus reiectas, vt antè dixi, ſine appellatione cognoſcat. Iudicet etiam in Vrbe cauſas capitales, præter quorundã, de quibus dicam, & extra Vrbẽ, vſq; ad ſeptingenta & quinquaginta ſtadia. Alius quoq; eiuſdem cõditionis hominum legatur, cuius munus ſit

de

de ſtirpe, opibus & moribus ſenatorum atq; equitum inquirere & inueſtigare: isq; eos errores corrigat, qui legibus non vindicantur, qui multorum magnorumque cauſa malorum eſſent, ſi contemnerētur. In rebus autem grauioribus te conſulat. Hoc autem munus ſenatori, ac potius optimo cuiq;, ſecundum Vrbis præfectum, quàm ex equeſtri ordine cuiquam, demandetur: isq; à tua cenſura appelletur. Te enim omnino Cenſorio muneri præfectum eſſe, neceſſarium eſt: ex quo is Subcenſor nominetur. Sint verò duo, qui per totam vitam hoſce magiſtratus gerāt, niſi fortè eorum alter deterior fieret: aut morbo, aut ſenio deficeret. Et quanquam hi magiſtratus diuturni ſunt, tamē nullum ex eo incommodum ſequetur: cum præſertim alter inermis ſit, alter paucis militibus ſtipatus: cumq; bona temporis parte in oculis tuis verſaturi ſunt. Præterea in quenquā inſurgere non auderent, ſuam debilitatem, aliorum verò quorundam potentiā agnoſcentes. His porrò certum ſtipendium, cum propter ipſorum ocium, tum propter horū dignitatem, aſsignari debet. Hoc meum conſilium eſt. Sed Prętores, antequā pręturam capiant, magiſtratum aliquem inter vectigales populos, quos dicam, tenuiſſe oportet. Primò atq; iterū ſint Propretores: deinde Conſules, ſi ſe bene geſſerint, creētur: pòſt ad maiores dignitates admoueātur. Ita enim res conſtituas, conſulò. Italiam o-

mnem, quæ ab Vrbe vltra ſeptingenta quinquaginta ſtadia diſtat, omnesq́ue reliquas partes, quæ in inſulis & continenti ſunt, quæ quidem nobiſcum conſentiunt, in gentes & nationes diſtribuito, eas præſertim in ciuitates, quæ ab vno idoneo viro gubernari poſſunt: ibique milites aliquot conſtituito. præfectos item in ſingulis locis. Vnum mitto ex ijs qui Conſules fuerint: duosq; qui præturam geſſerint: vnum, qui paulo antè ex Vrbe ſit egreſſus, cui cura priuatarum rerum apparatusq; neceſſariùm incumbat: alter ex ijs qui hoc geſſerint munus, cui res vrbanæ curæ erunt: idemque militum præfectus eſto, prȩterquam in publicis & capitalibus cauſis. Id enim præfecti conſularis tantùm eſt munus. In his Centuriones quoq; priuatosq; viros, qui primarij apud vnumquemq; eorum erunt, excipio. huiuſmodi enim viros vllius alterius iudicio ſubeſſe non patiere: ne eos ita timeant, vt quicquam vnquam contra te faciant. Quod autem dixi, oportere te militibus præficere vnum ex ijs qui Prætores fuerint, eius generis eſt, vt ſi pauci milites in præſidijs externis, ſiue in aliqua vrbium fuerint, rectè id fiat: ſin verò duo ciuitatis exercitus in vna eademq; gente, ad hybernandum collocati fuerint, quoniam ſic pluſquam duos vni duci cõmitteres, tibi nõ ſuaderē, vt duos illos Prætorios viros, ſingulis exercitib. ſeparatim præficeres: ſimiliter etiã ciuilibus & priuatis reb.
ſed

ed consularis Dux, & hæc quę ad causas, quæ de comitijs agentur, & quæ ad ipsum à suis prætoribus venient, cognoscet. Mirari verò te nolim Cæsar, quòd te ad Italiam in eas partes diuidendam hortor, quoniam cum ampla & frequens viris sit, fieri non potest vt ab vrbanis magistratibus rectè gubernetur. Præfectum namq; Vrbis in Vrbe semper esse oportet: alijsq; magistratibus, quæ facienda sunt, impera re. Omnib. verò ijs qui magistratus extra Vrbem gerent, certa stipendia, maioribus amplio ra, tenuiora inferioribus, & mediocrib. mediocria constituuntor. Fieri enim nullo modo potest, vt in aliena regione quis suis sustentetur facultatibus, sumptumq; incertum faciat, & sine modo. In sua quisq; prouincia non minus triennio maneto: nisi quid fortè iniustè fecerint: nec plus quinquennio, tum quòd annui & breuis temporis, vbi aliquis quę agēda sunt, didicerit, prius eum dimittant, quàm quod didicit demōstrare posit: tū quòd diuturniores magistratus, plerosq; elatiores efficiunt, eosq; ad res nouas agitandas inducunt. Itaq; minimè censeo, magistratus vni alios atq; alios esse continuandos: nihil enim interest, retineat quis in vna natione, an in pluribus alium ex alio, diutius quàm par est, magistratum. Meliores autē fiunt temporis intermisione, dumq; domum redeunt, & vitam priuatam agunt. Igi tur à senatoribus hęc in hunc modum adminis

ſtranda eſſe cenſeo. Equitum verò duo pręſtantiſsimi, ad tui corporis cuſtodiam primi deliguntur: vni enim eam committere, periculoſum: pluribus, confuſione non vacaret. Duo igitur huic muneri præficiuntor: vt ſi alter malè quid ſentiret, viris qui te cuſtodiant, non careas. Hi verò duo ex ijs deliguntor, qui diu militiam exercuerint: quiq; alijs multis muneribus præfuerint. Hi ſtipatoribus tuis, cohortiq; prætorię, cæterisq; qui in Italia ſunt militibus imperanto: eisq; capitis condemnare ſontes ius eſto, præter Centuriones, aliosq; qui magiſtratibus aſsignati ſunt, modò Senatorij ordinis non ſint. Hi enim ab illis ipſis iudicandi ſunt, vt eis vti quocunq; poſsint tempore: vt penes quos eos pœnis & pręmijs afficiendi poteſtas ſit. Reliquis verò omnibus qui in Italia ſunt militibus, illi duo præſunto: aliosq; præfectos ſibi obſequentes habento. Pręterea Cęſarianos, qui in tua familia ſunt, libertosq;, & cæteros qui alicuius exiſtimationis ſunt, moderanto, quoniam hæc ab eis commodè apteque adminiſtrari poſſunt. nam ſi plura quàm ferre queant, eis cõmitterentur, neceſſaria munera obire, aut omnib. eis rebus intenti eſſe poſſent. Horum autem munus eis perpetuũ eſto, vt pręfecti Vrbis & ſubcenſoris. Alius pręterea pręfectus vigilum legatur, itemq; pręfectus annonæ, aliarumq; rerum, quæ in Equitum foro venalia ſunt: qui quidẽ viri, primi poſt eos ſint,

eoq;

eoq; munere ad certum fungantur tempus, vt qui ex ordine senatorio lecti sunt. Aerarij populi atq; Imperij tam Romæ, quàm alibi in Italia curam equites habento. Hi verò alijq; eiusdem ordinis viri, qui publicum gerunt munus, cæteriq; alij maius pro ipsorum dignitate, aut negociorum magnitudine stipendium capiunto: idq; duabus de causis. Primùm, quòd fieri non posset, vt hi qui Senatorib. tenuiores sunt, etiam Romæ suis facultatibus viuant: deinde, quòd fieri etiam non posset, vt ijdem homines & facultatibus suis & publicis pecunijs præsint. Vtile præterea est, vt omnia quæ ad imperium spectant, à multis administrentur, multiq; ex eo vtilitatem capiant, expertiq; in rebus gerendis fiant. Hac etenim ratione & populi subiecti ex cõmunibus bonis varios & diuersos fructus percipientes, obsequẽtiores erunt: & tu omnibus in rebus necessarijs semper quã plurimis optimis viris vteris. In Vrbe autem, pro cuiusque exactionis modo, extra verò Vrbem, in singulis nationibus satis erit vnus ex equitibus, aut tuis libertis, qui tot habeat milites, quot necessitas pôscet. Huiusmodi enim homines erunt adiungendi, vt & tui serui aliquo virtutis pręmio afficiantur: & tibi non desint, per quos verum possis cognoscere, si quid vel contra eorum voluntatem committatur. Quisquis igitur ex ordine equestri in multis negocijs exercitatus, vir magnanimus

fiet, adeò vt Senator esse posit: huic ætas impedimento esse non debebit quo minus in Senatum ascribatur. volo enim ex his etiam eligi, quamuis eorum aliqui in ciuilibus copijs ordines duxerint: præter eos qui alicui muneri destinati sunt, vt qui vasa aliaúe onera portant. horum enim aliquem turpe foret in Senatum ascribi. Nihil etiam obstat, quominus in Senatum eligantur ex illis, qui ab initio Centuriones fuerint. Hæc de Equitibus & consularib. censeo. Ac præterea etiam illud, vt dum pueri sunt, ad scholas eant: vbi autem ad firmiorem ætatem peruenerint, equitare, armaq; tractare discant à magistris in hoc publico stipendio conductis. Hoc enim pacto à teneris edocti, & exercitati in his omnibus quæ in virili ætate agenda sunt, pòst tibi erunt ad omnia munera vtiliores. Optimũ namq; principem, non modò ipsum ea facere quæ decent oportet: verùm etiam vt alij omnes probi & fortes fiant, prouidere. Hoc autem consequére, si quæ volent, facere eos permiseris. Deinde in eos qui deliquerint animaduertes: si modò priusquam delinquant, eos ad ea instituerís quæ si fecerint, tum tibi, tum sibi vtiles esse posint. Illud autem in primis cauendũ erit, ne eis vllam occasioné prębeas, vt aut diuitijs, aut nobilitate, aut alia quauis re virtuti affini freti, mollitiei se atq; inertię dedant. Pleriq; enim inuidiam metuentes, ob huiusmodi præsertim opera, multa se in

digna

digna committunt,tanquam per ea tutiores futuri ſint, ob eamq; cauſam miſericordiam inuenturi:quaſi iniurijs idcirco afficiantur,quòd eis rectè viuere non liceat. Sed eorum princeps,qui ex eo detrimentũ capit, ſimulq; quòd viris probis priuetur,ex ea culpa ignominia afficitur. Tu igitur hoc haud parui facies:nec dubitabis, hominem his moribus ideo rebus nouis ſtudere non auſurum : quin potius contra omnes imperiti & vitioſi tibi ſuſpecti eſſe debent. huiuſmodi enim homines facilè ad magnas res agitandas inducuntur: primùm in ſeipſos,deinde in alios. Illi autem qui liberaliter educati atq; inſtituti ſunt, ad iniuriã cuipiam faciendam haud impelluntur : ac præſertim ei, qui eius educationis atq; inſtitutionis curam habuit. Quòd ſi quis etiam improbus ingratusque fieret,ei nihil committes,quamobrem aliquod ſcelus patrare poſsit. Qui ſi quid noui tentarit,is vt redarguatur & puniatur efficies : qua in re nullius reprehenſionem formidabis, ſi meum conſilium ſequére. quoniam in facinoroſum animaduertens,non errabis. vt nec medicus,cum igni & ferro ſanat ægrotum : ſed illum omnes culpabunt,qui educationis atq; inſtitutionis eiuſdem cum alijs factus particeps, vitæ tuæ inſidiatus ſit. Hæc igitur cum Senatoribus & equitibus erunt agenda. Præſidia prę terea in ſingulis nationibus habenda erunt maiora minoráue pro neceſsitate: quę præſidia tũ

ex ciuibus tum ex vectigalibus populis, tum ex socijs eligantur. Hos semper in armis esse oportet, semperq; in militaribus rebus exerceri. Domicilia in locis opportunis habeant, atque ad certum ac definitum tempus stipendia faciant: ita vt aliqua pars ætatis ante senectutem vacationi relinquatur, quæ præsidia nisi habuerimus, cum tam longè à nostri imperij terminis semoti simus, cumq; in omni parte hostes finitimos habeamus, eis vti opportunè non poterimus. Quòd si eis omnibus qui in perfecta ætate sunt, exercere arma permiserimus, semper propter hos dissensiones bellaq; ciuilia consequentur. Sin etiam omnino rem militarem interdixerimus, cum exilium ab eis petemus, nostro cũ periculo milite tyrone & inexercitato vtemur. Hanc ob causam alios inermes & sine munitionibus viuere volumus, robustissimos autem eligi & exerceri. hi enim melius pugnabunt, si in ea tantùm meditatione & studio erunt occupati: alij verò melius agros colent, nauigabunt, aliaque pacis munera tractabunt: cum auxilia dare non cogantur, aliosque suarum fortunarum custodes ac defensores habeant. Qui verò in ætate firmiore viridioreque sunt, quos latrocinijs viuere necesse alioqui esset, ij hoc pacto sine molestia sustentabuntur: reliquumque vitæ tempus expertes periculi ducent. Hîc mihi dicet aliquis: Vnde pecunia, quæ in hosce & alios erit insumenda, capietur?

Doce-

Docebo,si prius vnum illud te monuero: nos etiamsi in populari Republ ca ageremus,pecunia tamen opus habituros. Neq; enim fieri poteſt,vt ſine armatis nos tueamur:hi autem ſine pecunia teneri non poſſunt. Ne igitur vı ius principatu nos grauari dicamus, quaſi in eo tantum pecuniarum aceruis opus habeamus: nec ob eam rem,ipſam fugiamus: ſed tanquam neceſſaria ſit, quacunq; reipublicæ forma vtamur,pecuniarum coaceruatio,ita conſilium capere debemus. Cenſeo igitur,omnia bona publica vendas (hæc autem video multa bellorum cauſa eſſe: exceptis quibuſdam, quæ multum vtilia tibi & neceſſaria ſunt) omnemque pecuniam quæ ex eis redigetur,fœnori moderato tradas. Hoc enim pacto agri,vtpote à proprijs dominis bene colentur; ex quo etiam occaſionem rei amplificandæ inuenerint, Reiq; publicæ vectigal idoneum ac perpetuum conſtabit. Deinde quæ ex eo,atq; ex fodinis & metallis, & quacunq; alia certa ratione ſumma ſit, videndũ erit. Ratio præterea non ſolùm impenſarum quæ in milites fiunt, verumetiam in alias res omnes, quibus ciuitas bene habitatur, item quæ in tumultuarios exercitus atq; alia quæ ad tempus ſolent accidere, putanda erit: & ad horum rationem ſi quid deerit,vectigal omnib.bonis quę aliquam poſſeſſori vtilitatem afferunt,imponendum. Tributa quoq; ab omnibus quib. imperamus,nationibus exigenda.

Æquum enim & conueniens est, vt nulla earum immunis à tributo sit: non priuatus, non populus, vt qui ex eis vtilitatem pariter cum alijs capiunt. Publicani in omnibus locis erunt collocandi, qui tempestiuè omnia vectigalia, quæ ad illorum munus pertinebunt, exigant. Eo enim fiet, vt ipsi facilius exigant: & qui pendent, minus grauentur: quia paulatim quod debebunt, ordine exponent: nec postea, si qua intermissio facta fuerit, totam summam simul pendere cogentur. Neque tamen me latet, hæc vectigalia & tributa, vbi primùm imponentur, grauia fore. Sed nec illud ignoro, si non fraudabuntur, credentq; quod reuera est, se hæc omnia pro salute propria collaturos, suisque bonis sine periculo vsuros: nihil à præfectis & gubernatoribus, & militibus, plus quam quod constitutum est, exactum iri metuentes: tibi magnam habebunt gratiam, pauca pro multis pendentes, ex quibus fructum à te sine vlla iniuria percipiant: præcipuè verò videntes te moderatè viuere, nullumq; sumptum superuacaneum facere.

Ecquis nam est qui animaduertens te in propria domo parcissimum esse, in rebus aũt communibus liberalissimum, non libenter sit collaturus, cum tuas opes cogitabit securitatem & abundantiam esse propriam ac suam? Hoc igitur pacto magná pecuniæ vim coaceruare possis. Reliqua verò suadeo in hunc cõstituas modum.

dum. Hanc vrbem omni ſumptu exornabis, omniq; genere iucundiſsimorum collegiorum illuſtrem facies. Nam par eſt, vt qui multis imperamus, reliquis in omni genere præſtemus. Hæc enim in ſocijs noſtris reuerentiam aduerſum nos inducunt, hoſtibus verò terrorem incutiunt. Cætera verò ſic conſtitues. Primùm populi nullam poteſtatem habento: neque in conſilium vllo modo veniunto. nam præterquam quòd nihil boni ſentirent, ſæpe omnia perturbarent. Quapropter cēſeo, ne populum quidem noſtrum aut in iudicia, aut ad creandos magiſtratus, aut vllum in alium cœtum, vbi aliquid tractandum ſit, adhibendum eſſe: Præterea nec multitudine, ædificiorum, nec magnitudine, præter neceſsitatem vti poſſe: nec impenſas in ludos multos & varios facere ne ſtudijs inanibus conſumantur: nec inimici fiant ſtulta ambitione. Volo enim eos certas ſodalitates, & ludos, præter equorum curſum, qui apud nos vſurpatur, habere: (non tamen tot, vt publica res, aut priuatæ illorum domus detrimentum capiant) vtque peregrinus aliquis apud eos aliquid impendere cogatur, cibumq; perpetuum victori quibuſdam in ludis præbere. Aequū enim eſt, vt diuites extra patriam aliquem ſumptū facere cogantur. Gladiatores autē prēmijs quę ſingulis in locis conſtituta ſunt, contenti eſſe debent: niſi quis eorū Olympia, aut Pythia, aut quemuis aliorum lu-

dorum, quibus vtantur ipsi, vicerit. hi enim soli nutriri debent, ne ciuitates frustra atterantur: nec quisquam, præter dignos victoria, exerceatur, cum aliud tractare sibi & reipub. vtilius possit. Hęc igitur mea est hisce de rebus sententia. Equestres verò ludos, qui præter gymnicos fiunt, nulli alij ciuitati permittendos censeo, ne frustra magna pecunia insumatur, virique miserè insaniant: atque in primis, vt equites nostri bonis equis abundent. Hac ipsa de causa haud prorsus dissuadeo, quo minus alibi quoque celebrentur: alijs verò moderationem adhibendam censui, vt homines spectaculis, & musicis cantibus moderatè vtentes, maiore cum tranquillitate, ac sine discordijs viuant.

Nemo eorum monetas & mensuras proprias habeat, sed nostris omnes vtantur. Nemo ad te legationem mittat, nisi negotiū quodpiam sit, quod decisionem tuam postulet: sed omnes Pręfecto suo, quid velint declarent, ac per eum tibi petitiones suas, quas ille approbauerit, offerant. Hoc enim pacto nullam ipsi impensam facient, nec malè res suas gerent: sed responsa integra sine vllo sumptu & labore habebunt.

Alia quoq; optimè in hunc modum geres, si legationes hostium, fœderatorum, Regum, & populorum, in Senatum introduxeris. nā præterquàm quod honestum & æquum est, senatum videri omnium rerum moderatorem, atq; etiam

etiam vt hostes nostri se multos aduersarios habere cognoscant. Leges quoque omnes & decreta velim te, autore senatu, sancire: hac enim via imperij maiestas magis stabilietur, legũq; autoritas apud omnes certior erit & clarior.

Si senatorum quispiam, filijúe, fœmineúe graue aliquod delictum commiserint, propter quod aut ignominia, aut exilio, aut morte mulctandi sint, Senatus iudicio, sine vlla tua sententia, permittes, eique iudicium integrum & liberum trades: vt qui deliquerint, ab æqualibus suis puniantur. quo fiet, vt & tu extra odium sis, & illi ignominiam publicam metuentes meliores euadant. Ea autem nunc maleficia intelligo, propter quæ leges sunt latæ. Nam si quis in te conuicium iecisset, aut de te ineptius locutus esset, accusationem ne audito, néue eiusmodi res inquirito. Turpe enim est, credere quenquam in te contumeliosum fuisse, cum tu nemini iniuriam feceris, sed potius beneficijs omnes affeceris. Soli namq; improbi principes hæc credunt, ex sua conscientia, talia, quod vera sint, de se dicta esse existimantes. Deinde dura res est, de eis rebus, si vera sunt, molestiam suscipere: præstat enim ab eis abstinere. Sin falsa sunt, stultũ est maiorem ansam prębere huiusmodi sermonibus: vt pleriq; hoc modo fecerunt, de quibus multo turpiora pòst dicta sunt. De ijs igitur qui in te contumeliosi fuisse, insimulati fuerint, hęc mea sententia est.

Te enim omni iniuria superiorem atq; altiorem esse oportet, nec vnquam in opinionem venire, aut existimare, quenquam turpe aliquid posse facere: vt de te ea opinio sit, quæ de dijs ipsis immortalibus habetur: nimirum te sacrosanctum, atque non violabilem esse. Quòd si quis quempiam ad te detulerit, qui tibi insidias facere voluerit (quod quidem interdum accidere poterit) tu de huiusmodi re ne iudicato, nêue sententiã ferto. Iniquum enim foret, eundem & accusatorem & iudicem esse: sed tunc in Senatum ducito, ibique caussam dicere iubeto: qui si conuictus fuerit, pœnas ab eo quàm moderatissimas, vt ea iniuria fidem inueniat, sumito. nemo enim facilè credet, inermem armato insidias facere ausum esse. Quod quidem vt credatur, hac vna ratione obtinere poteris, si in puniendo absit iracundia & crudelitas. Hæc dico, non de eo, qui exercitum habeat: huiusmodi enim non disceptatione, sed armis, quasi hostis, illico vlciscendus erit. Hæc igitur, atque hniusmodi multa grauissima, quæ ad publicam rem spectant, senatui pormittito. Publica enim per publicas personas gerenda sunt. Est enim hoc omnibus ferè hominibus à natura datum, vt tanquam pares eius, qui dominus eorum est, se tractari gaudeant: laudentq; quicquid aliquis vnà cum ipsis decreuerit, & quasi suum ipsorum decretum ac voluntarium amplectantur. Itaq; vt

vt ea ad Senatum referantur, ęquum esse aio: vt omnes reliqui præsentes, dicere suam sententiam posſint. Cum autem ex ipsorum ordine quiſpiam deferetur, tunc non omnes, niſi qui antè Senatores fuerint, aut Quæstores, senten tiam dicant. Etenim absurdum fuerit, vt qui an tè aut Tribunus, aut Aedilis non fuerit, senten tiam in eiuſmodi hominem, aut horum aliquis contra eos qui Prętores fuerint, ferat, aut horũ etiam quiſpiam contra virum Consularem: sed hos volo potestatem in pares, ac etiam in inferiores tantùm habere. Tu verò eas causas cognoscito, quæ à maioribus magistratibus, à Procuratoribus, ab Vrbis Præfecto, à Subcensore, ab Hipparchis, ab annonæ, itemq; vigilũ præfecto ad te reiectæ fuerint: quia nemo tam integram potestatem in iudicijs habere debet, quin ab eo prouocare liceat, Eadem de Equitibus & Centurionib. adſcriptis, deq; priuatis hominibus primarijs, cum de infamia aut nece illorum agitur, intelligenda sunt. Etenim eiuſmodi res à te pendere omnes debent, nec à quoquam per se, ob iam dictas causas, iudicari. Ea anim iudicia ab honestiſsimis senatoribus & equitibus, atque etiam à consularibus & prætorijs viris ferri tecum debent, vt tu in eo ipsorum rationibus cognitis, eis pôst tutius vti poſsis: viciſsimque illi moribus & consilijs tuis assuefacti, tales in prouincias proficiscantur. Horum autem sententias quæ diligen-

tiorem deliberationem poſcunt, ne palàm ro- gato, ne fortè vt eos decet, liberè loqui non au- ſint: ſed ſententiam ſuam ad te ſchedulis inſcri ptam mittant, facito, quæ in tuas tantùm per- ueniant manus, ne quis præter te eas videre poſsit: mox eas ſtatim aboleto. hoc enim pacto cuiuſq; ſententiam maximè perſpicies, ſi eam alijs non petefactum iri exiſtimabunt. Præte- rea in cubiculis, tum in literis, tum decretis ci- uitatis, petitionibusq; priuatorum hominum: itemq; in alijs rebus omnibus, quæ ad imperij adminiſtrationem pertinebunt, adiutores & miniſtros ex equeſtri ordine habeto. hac enim ratione facilius & ſingula procedent, & tu ne- que iniquè aliquid committes, nec offendes: nec laborem, vt ſi ſolus adminiſtrares, vnquam ſenties. Facultatem te adeundi cuicunque tibi conſilium aliqua in re dare volenti, præbeto. Si enim eius verba tibi ſatisfecerint, non exi- guam vtilitatem capies: ſin apud te pondus non habebunt, nullam iacturam feceris. Quo- rum autem conſilia bonum exitum habēt, eos laude honoreque afficito: quorum verò mi- nus procedunt, eos ne vituperato, neúe incu- ſato.[1] Mens enim cuiuſque expendenda eſt, non euentus rerum reprehendendus. Hoc ip- ſum etiam in rebus bellicis obſeruato. neque enim grauior cuiquam propter infelicitatem eſſe debes, nec inuidere propter eius res ſecun das: vt omnes alacriter & libenter pericula pro

te

te adire non dubitent, cogitantes, etiamsi minus successerit, se tibi pœnas tamen non daturos: si successerit, inuidiam non subituros. Pleriq; enim inuidiam apud eos qui cum imperio sunt, metuentes errare, quàm res ad felicem exitum adducere maluerunt. quamobrẽ illi quidem tuti fuerunt: sed in principes damnum redundauit. Itaq; ipse maiorem ab vtrisq; & deterioribus & præstantioribus fructum percepturus, nunquam velis verbo quidem alijs, re autẽ tibi ipsi inuidere. Dicito, facitoq; omnia, quæcunq; alios facere & sentire volueris. Hoc namq; pacto eos melius institueris, quàm si legum seueritate eos retinere coneris: quoniam altero eos ęmulatione prouocaueris, altero metum eis incusseris. nemo enim est, quin magis rectè factorum exemplo in admirationem traducatur, quàm vt quę legibus vetita sunt, vitet. Omnia autem diligenter facito, nec tibi vlla in re indulgeto: vt qui certò noueris, quicquid dixeris feceris úe, illico cunctis mortalibus notum fore: ita vt ne minimum quidem delictum occultare queas. Nihil enim solus vnquam facere poteris, quòd nunquam sis futurus solus, omnesq; reliqui mortales libenter Principum facta inquirunt. Quæ si semel animaduerterint, te alia eis præcipere, alia verò agere, nihili tuas deinceps minas fecerint: sed facta potius imitabuntur. Aliorũ vitam ipse inspicito, haud tamen in eam diligentius inquirito: sed ea tan-

tùm iudicato, quæ ab alijs delata erunt. Nec ea tu, quæ nemo accusauit, rescire cura: præter delicta, quæ in Rempublicam committantur. eiusmodi enim vel sine accusatore inquirenda sunt. Alia verò ad rem priuatam pertinentia, idcirco scire voles, ne vnquá erres in ministro inepto ad aliquod munus vocando: tamen eos redarguere non curabis. nam sæpenumero natura homines ad peccandum contra leges inducit: quos si quis in iudicium vocare voluerit, aliquem aut nullum impunè abire necesse est. Quòd si quis æquitate leges téperabit, hac fortè via eos ad meliorem frugem reuocabit. Leges enim etsi seuerè exigant pœnas, tamen vincere semper naturam non possunt. Quidam enim quòd se latêre posse putant, alij leniter admoniti fiunt meliores: illi conuinci verentes, hi iterum peccare verecundantes. At si in lucem pertrahantur, & ignominia afficiantur, aut vltra modum puniantur, tum confundunt & proculcant omnes leges, naturæq; tantùm suæ libidinem sequuntur. Quamobrem haud facilè est, omnes castigare: nec tamen æquum est permittere, vt aliqui palàm sint vitiosi. Hoc igitur meum de delictis & pœnis cõsilium est: eis exceptis, quæ ferri nullo modo possunt. Be nefacta verò maioribus etiam, quàm res postulat, præmijs afficito: quòd hac ratione homines liberalitate à vitijs reuocabuntur, & magnanimitate túa ad virtutem expetendam incitabun-

tabuntur. Pecuniæ autem, atq; alia quibus bene facta hominum remunereris, vt tibi desint, ne metuas: nam multò paucissimos fore puto eos, qui tuis beneficijs digni sint, cum tu tam amplum terra mariq; imperiũ habeas. Nec etiam metuas, ne quidam à te beneficijs affecti, in te ingrati fiant. nihi enim tam vel subigit, vel cõciliat aliquem, etiamsi alienus si aut hostis; quàm non affici iniuria, & insuper etiam beneficijs affici. Erga alios igitur te vt in hunc modum geras suadeo. Quæ tibi dantur, quæ quidem aliquam præstantiam aut elationem contineant, omnia cogita, siue à senatu siue ab alijs deferantur, siue facto, siue verbo: quòd honos abs te alijs habitus, ipsis ornamento sit: tibi verò nihil maius rependi posit, quàm quod in te est. Omnino enim nemo videtur volés, huiusmodi res decreto, potentiori tribuere: quòd si quis suo iure sibi omnia vendicet, is non modò non laudatur, sed contrà potius irridetur. Itaq; tu aliam gloriam, aliumq; splendorem ex benefactis tibi comparabis. Vt tibi imagines aureæ aut argenteæ fiant, ne permittito: propterea quòd hæc non modò sumptu onerant, verumetiam fragilia & caduca sunt: sed in hominum animis beneficijs alias imagines fabricari studeto, quæ æternæ sint & immortales. Templum nullum tibi fieri sinito. magna enim pecunia in huiusmodi res inaniter impenditur, quæ vtilius in res necessarias insumeretur. Ma-

gnæ namq; opes non tã multa capiendo, quàm pauca insumendo comparantur. Ex his autem delubris exigua gloria comparatur, quoniam virtus est, quæ mortales Dijs simillimos efficit: hominum autem decretis nemo vnquã Deus factus est. Igitur si bonus fueris, æquitateque imperaueris, terra vniuersa tibi loco sacrarij erit: omnes vrbes vice templorum, omnes homines instar statuarum, quòd tu in eorum mentibus cum vera gloria perpetuò fixus hærebis. Qui verò secus imperant, tantum ab est vt ex his rebus gloriosi sint, quanquam in omnibus vrbibus in altum tollantur, vt potius vituperentur: quòd ea vitiorum & iniustitiæ quædam trophęa & monumenta sunt: quę quo erunt diuturniora, eo diutius illorum extabit infamia. Itaq; si verè immortalis esse cupis, hæc quæ à me dicta sunt, facito. Præterea deos patrio ritu ipse venerator: alios vt idem faciant, cogito. Qui peregrinos colendi ritus inuexerunt, eos detestator, punitoq; non modò deorũ causa (quos qui parui facit, is nec alium quempiam Deum coleret:) verumetiã quòd, qui nouos istos deos introducunt, indicio plerunque sunt, se peregrinis legibus viuere, atq; ex eo coniurationes & seditiones existunt, quę ab vnius dominatu alienę sunt. Ne igitur quenquam aut sine Deo, aut veneficum esse patiere. Diuinatio tamen necessaria omnino est. Aruspices, auguresq; certos cõstituito: quos, qui

qui opus habebunt, consulant. Magi nulli sunto: quòd eiusmodi homines vera interdum dicentes, sæpenumero autem mentientes, mortales ad res nouas agitandas incitant. Hoc ipsum quidam etiam faciunt, qui se fingunt philosophari. Hos igitur etiam vitato. Et quanquam Arium, Athenodorumq; bonos atq; honestos esse homines compereris, non tamen omnes alij, qui se dicunt philosophari, eorum similes sunt. quidam enim nomine & prætextu philosophiæ, infinitorum malorum causas populis priuatisq; hominb. attulerunt. Te igitur animo tranquillo esse oportet, nec quicquam præter id quod habes, optare. Quod ad apparatus attinet, te bellicosissimum esse volo, ne quis velit, audeatúe tibi iniuriam facere: si quis deprehẽsus sit, facilè & subitò det pœnas. Et quoniá tum propter hęc, tum propter alia, quosdã intentos esse speculandis & subauscultandis omnibus ad imperium tuum spectantibus, necesse est, ne quid te lateat, quod aut custodiam aut correctionem desideret: memineris omnibus eorum sermonibus fidem habendam non esse, sed omnia diligenter expendenda. Pleriq; enim siue quorundam odio, siue quòd eorũ fortunas appetunt, siue quibusdam gratificandi gratia, siue quòd quas petũt pecunias obtinere nequeũt, hisce de causis homines quasi nouarum rerum studiosos, aut quasi sentiant dicantúe turpe quidpiam contra impera-

torem, deferunt. Decet igitur te eis haud ita facilè aſſentiri, ſed omnia diligenter expendere atq; inueſtigare. nam ſi aſſenſionem ſuſtinueris, nullum inſigne detrimentum ceperis, ſed ſi citò credideris, fortè errorē commiſeris, quem pòſt emendere non poſsis. Itaq; bonos libertosque, & alios qui circa te ſunt, honore afficito: ex qua re te magnum ornamentum, magnaq; ſecuritas conſequetur. Nullam tamen eis intolerabilem ac ſuperbam poteſtatem indulgeto, ſed moderatè ſe gerant facito, ne illorum cauſa malè apud alios audias. quicquid enim boni maliúe fecerint, tibi aſcribetur: ipſeq; talis ab omnib. habebere, quales ipſos eſſe patiêris. Vt igitur potentior quiſpiam cuiquam iniuriam faciat, eumúe calumnietur iniuria, ne permittito: ne quiſquam illorum nimię potētiæ accuſari poſsit, etiamſi nullum conceperit ſcelus. Qui iniuriam ſunt paſsi, eos ſummo iure tuetor: ne tamen aures delatoribus facilè præbeto, ſed res per ſe diligentiſsimè expendito. Potentiores ne omnino ſuſpectos habeto: nec etiam tenuioribus penitus credito. Qui quippiam faciunt, inueniuntúe quod vtile ſit, eis honorem habeto: inertes autem, tum qui rem quampiā noxiam cōflarint, odito, vt rectè facta propter vtilitatem expetentes, malè verò facta ſuppliciorum metu fugiētes, in rebus priuatis meliores, in publicis vtiliores euadāt. Priuatorum hominū controuerſias ad quàm pau-

cíſsimas

cissimas fieri poterit, contrahito: easq; quàm ocyssimè dissoluito, populorum motus cohibeto: qui si quod votum pro tua salute, proque imperio & fortuna tua nuncupare voluerint, & quempiam ad sumptum supra facultates faciendum adegerint, ne annuito: omnes æmulationes quæ inter eos sunt, extirpare studeto Nomina eos vsurpare, ex quibus facilè in dissensiones inciderent, ne sinito. Omnes enim tibi in his atq; alijs rebus tum publicis tũ priuatis, si hæc non permiseris, obtemperabũt. Preterea quoniã inequalitas etiam ędificia alioqui bene coniuncta dissoluit, idcirco quod concessurus non sis, ab initio petere prohibeto: ac statim, ne quis quæ vetita sunt, petat adigito. De his igitur ita sentio. Omnino autem ac generatim tibi consulo, ne tua vnquam abutare potẽtia: neúe si minus simul omnia quæ potes, effeceris, de tua potentia aliquid decedere existimes: sed quanto maior libertas erit faciendi quæ voles, tanto magis quæ honesta sunt velle studeas. Semper quod ages, æquúmne sit an contrà, & quibus rebus faciendis à quibus ameris, quibusúe nõ ameris, tecum expendito: vt quędam facias, quędam verò omittas. Ne te tunc iustè agere putato, cum à nemine te redargui audiueris: nec vnquã aliquẽ tam stultum fore, qui te velit palàm reprehẽdere. Hoc enim nemo faceret, etiã magna à te affectus iniuria: quin potius cõtrà fieri solet, vt videlicet multi,

dum ſe minimè iratos eſſe conátur oſtendere, eos laudent, à quibus iniuriam acceperunt. A principe enim, cuiuſq; animus non ex verbis, ſed ex rebus, quibus veriſimile eſt, aliquem ita ſentire, conſiderandus eſt. Hæc & ſimilia multa, quæ prætereo, te vt facias hortor: neq; enim omnia ſimul comprehendi diciq́; poſſunt. Repetam igitur ſummatim, quæ à me dicta ſunt: & quę reſtant complectar. Hęc autem illa ſunt, ſi quæ alium principem erga te velles facere, ea tu ſponte feceris, nunquam errabis: omniaq́ue ad felicem exitum perduces, magnaq́ue cum ſuauitate & extra periculū vitam deges. Omnes enim te tanquam parentem & conſeruatorem ſuum intuebuntur: te moderatum, vita inculpata, ſtrenuum, & pacificum amabunt, cum nemini iniuriam feceris, cum non rapies aliena, cùm te æqualiter cum illis geres: cùm is non eris, qui diues fiat, alienamq; exigat pecuniam: cùm is non eris, qui in delicijs vitam agens, alios ad labores compellat: cùm non tu libidinosè viuens, alios caſtigabis: ſed in omnibus cum illis æquo iure viues.

Quamobrem cùm tu magna ſeptus cuſtodia ſis, quòd neminem vnquam læſeris, nemini iniuriam feceris, cõfide, & mihi qui hoc tibi confirmo, crede, te nunquam odia hominum, inſidiasúe ſenſurum. Quæ cum ita ſint, neceſſe erit te in magnis voluptatibus vitam agere. Quæ namq; maior voluptas ac felicitas, quàm aliquem

quem omnium humanorũ bonorum fructum cum virtutė percipere, & cum alijs communicare posse? Hæc igitur atq; alia quæ tibi exposui, tecum reputans, mihi credito: fortunam quæ te elegit, cæterisque omnibus principem imposuit, ne dimittito. Quòd si omnino principatum eligere decreuisti, regni tamẽ nomen tanquam detestandum metuis, id ne accipito: sed Cæsaris appellatione contentus, regiam potestatem apud te retineto. quòd si alijs titulis opus erit, tibi Romani nomen Imperatoris dabunt, vt etiam patri tuo dederunt: alijsque te nominibus ornabunt, adeò vt omnia regni instrumenta sine vllo odioso, aut inuidioso titulo, re ipsa possideas.

FINIS.

CAELII SECVNDI CVrionis, de Ingenuis artibus oratio, Lauſannæ habita.

VEreor, Auditores ingenui, vt q̃ ſæpenumero artiũ laudes pulcherrimarum ab eruditiſsimis ſummisq; viris auſcultaſtis, me de eiſdem verba facere audentem, ſegnius nunc audiatis: idemque vobis eueniat, quod faſtidienti ſtomacho ſolet euenire: cui nihil tam lautum, tamque delicatum eſſe poteſt, quod non aliquando ſatietatem pariat. Verùm me hoc metu in primis liberant, cùm optimarum ingenuarumque artium ſplendor maximus, vtilitas ampliſsima, immortaleque ornamentum: tum veſtra iſta in eaſdem artes propenſio atque alacritas. Et inſuper nobis ſpem veſtræ attentionis facit non vulgarem, quòd non idem ſit literarum atque eduliorum guſtus. nam hæc corpori corruptibili, & variè affecto, illæ ſempiternæ menti, ſimplicique offeruntur. quò fit, vt quæ bona præclaraque ſint, ea quanto magis exuberant, tanto delectent magis: ac ſæpius iterata, noua tamẽ eſſe videantur. Quo in numero ſi quicquam eſt, artes ſunt hæ atque doctrinæ, quæ ad humanitatem ſpectant, quas liberales appellamus: de quibus vt

ad

ad eas percipiendas paratiores ſitis, aliquid breuiter attingemus. Nemo veſtrûm (ſicuti conijcio) neſcit, hominem, vt corpor nudum, ita & animo naſci: nihilq; prorſus ſine doctrina & ingenij cultu ſcire, non ingredi, non fari, non veſci: breuiter non aliud naturæ ſponte, quàm flere, labi, errare, decipi & fallere. quam rem ob graue illud vulnus, quod culpa primorum parentum humano eſt illatum generi, accidiſſe, cùm ſacra Ebræorum hiſtoria, tum Pauli Tarſenſis diuina monumenta teſtantur. Nã etſi omnium parens Deus, initiò homini ſuæ ſapientiæ, & veritatis, omniumque virtutum radium communicarit, quam Dei imaginem & diuinitatis portionem, ſancti doctiq; homines appellarunt: tamen eò eſt ignorantiæ feritatisq; prolapſus, vt niſi bonarum cultu literarum denuò fingatur, diuinitusq; illuſtretur, ſola oris & corporis figura à mutis & nulla mente præditis animantibus diſtare videatur. Atque vt ager, quamuis fertilis, ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt: ſic ſine doctrina animus. Cultura autem animi, eruditio eſt, quæ præparat animos ad ſatus accipiendos: eaque mandat ijs, & (vt ita dicam) ſerit, quæ adulta fructus vberrimos ferant. Contemplamini, obſecro, à capite ad pedes hominem ineruditum, mirum ni totum monſtrum inueneritis: oculos, vocem, ſermonem, mores, geſtusque corporis totius: nihil inuenietis, quod ho-

minem innuat, quod hominem ſonet, quod hominem præſeferat. At vnde tanta in homine feritas? Vnde quæſo, niſi ab harum neglectu artium, quæ hominis perpoliendi gratia inuentæ ſunt? Hæ namque à Deo, omnium perenni fonte bonorum, ideo datæ homini ſunt, quòd ſine harum adminiculo ſuam nequeat ſeruare naturam, dignitatem tueri, vitamque traducere. Quòd ſi tales nos natura genuiſſet, vt quæ præclara & honeſta ſunt, intueri & perſpicere, eademque optima duce curſum vitæ conficere poſſemus: haud erat ſanè quòd quiſquam rationem ac doctrinam requireret, cum natura ſufficeret. Nunc autem ſimulatq; editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuò prauitate, & in ſumma opinionum peruerſitate verſamur, vt vitioſo ſemine ſati, ac cũ lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Ergo citra cultum eruditionis non poteſt homo reuera eſſe, quod audit. Nam ab homine humanitatem, quemadmodum & virtutem ex viro appellatam, doctiſsimorum ſcriptis accepimus. Vnde & Terentianus ille Chremes, humani nihil à ſe alienum putat, quòd homo ſit. Eſt enim humanitas hæc, non illa quam Græci φιλανθρωπίαν vocant, ſed quam ijdem παιδείαν nuncuparunt, à qua tamen illa prior manare videtur: quòd qui in harum artium ſtudijs liberaliſsimis, quaſi in Helicone aut Parnaſſo ſunt, doctrinisq; verſati, ad omnem humani-

tatem,

tatem, comitatem, & morum suauitatem compositi informatiq; esse videantur. Quod & Ouidius ad Græcinum scribens, præclarè canit:

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
Pectora mollescunt, asperitasq; fugit.

Nam ingenuę seu liberales iccirco appellatæ sunt, quòd libero ac ingenuo sint homine dignę, siue quòd liberos suos sectatores efficiant, & in fastigio rerum humanarum quasi reges collocent & reponant. Sed humanitatem quoq; (vt dixi) παιδείαν seu eruditionem veteres appellarunt: puto quòd ea in solos homines, non etiam in belluas cadat: vel quòd eos quibus adiungit sese, verè homines faciat, hoc est omni cultu humanitatis informet. Quibus de causis omnibus videri necessaria debet, qui liberi, non serui esse volunt (omnes autem velle debent) quique cæteris hominibus tanto præstare student, quanto homines mutis animantibus antecellunt. Hæc est felix illa Moly, cuius beneficio Vlysses ille, ne sociorum more suorum in belluam verteretur, seruatus est. Hæc omnium mater est artium, quasi dicas Mnemosyne Musarum. Hæc donum atq; inuentum Deorum. Hæc nos primùm ad Dei cultum, deinde ad ius hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam, magnitudinemque animi erudiuit: eademq; ab animo tanquam ob oculis caliginem dispulit, vt omnia supera, infera, prima, vltima,

teles affirmauit, quod ex ipſis apodixes, quæ ſunt certiſsima atq; aptiſsima ad demonſtrandum argumenta, ſumantur. Vnde & Platonem in limine Academiæ ſuæ, velut edictum propoſuiſſe ferunt, quo vetaret eò ingredi quenquã Mathematices imperitum: adeo neceſſarias ille ad philoſophandũ eas eſſe ducebat. Verùm hiſce in aliud tempus ſepoſitis, ad eas reuertamur, quas ad ſermonẽ attinere diximus. Tres autem illæ ſunt: quarum vna Grammatice dicta eſt, voce quidem Græca, ſed tamen Romana olim iam ciuitate donata: quam tamen puerilem doctrinam & literarum ſcientiam Ciceronem, literaturã Quintilianum ſequẽtes, poſſumus appellare. Huic puri, dilucidiq; ſermonis cura demandata eſt, quem duabus quæ ſequuntur tanquam materiam ſubminiſtret: quam rem vt fœlicius poſsit oratorum lectio, poetarum tractatio, hiſtoriarum cognitio, verborum interpretatio, & pronunciandi quidam ſonus eidem cõceſſa ſunt. Sequitur altera, quæ partes per omnes ſapientię manat & funditur, quæ rem definit, genera diſpartit, ſequentia adiungit, perfecta concludit, vera & falſa dijudicat, Gręcè διαλεκτικὴ ἢ λογικὴ, Latinè differendi ratio & ſcientia appellata: ex qua cùm ſumma vtilitas exiſtit ad res ponderandas, tum maximè ingenua delectatio & digna ſapiẽtia. Dialecticę verò quaſi ex altera parte reſpõdet Rhetorice, quæ à ῥέω vetere Græciæ verbo, quod

harmoniam vocant,non minus habet vtilitatis quàm decoris: neq; enim consistere domus vlla posset, nisi certa mensura, certo ordine & consensione partes omnes inter se cōuenirent: Quare & hanc artem illuminandæ ac exornandæ orationis non ad inanem venustatem, sed ob veram speciem, certamq; vtilitatem homines prudentissimi collegerunt. Vt enim sine lumine corpora cernere non possumus, ita sine eloquentia nemo sensa & cogitationes suas in lucem aptè proferre potest. Quod sol mundo, hoc eloquentia cæteris doctrinis est. Sine hac non artes modò aliæ, sed res omnes, quæ quidem sint dictione explicandæ, in altissima tenebrarum caligine versarentur. Nam siue de re cœlesti quis loquitur, siue de terrestri, siue de religione, siue de moribus rerumq; publicarum & familiæ administratione, siue ad iudices, siue in Senatu, siue ad populum, siue vt cōciliet homines, siue vt doceat, siue vt deterreat accusando, siue vt concitet languentes exhortando, siue vt reflectat elatos, siue vt incendat indignatione, siue vt leniat commiseratione, siue inter alienos, siue cum suis, siue secū, nihil certè aget, ni proprijs & illustribus verbis, apta verborum compositione, sententiarū que insignibus illustris reddatur oratio. Hac arte desides animare, exultátes retrahere, sontes accusare, bonos laudare possumus. Sed quid ergo in re immensa laboro? plenum insolentię vi

deatur, ſi quis eloquentiæ laudes vel conetur attingere, quæ immenſæ ſunt: vel recenſere, quæ ſunt innumeræ: vel demonſtrare, quarum laudum lumen & ſplendor omnium oculos menteſq; perſtringit. Sentit fulgorem tuum Eloquentia, tenebris immerſum mortale genus. Nemo te, niſi tu, exprimere rectè valet. Tu in alto ſolio ſedes, ignorátię tenebras illuſtrás. Tu tuos tibi ſimiles, claros & admirabiles facis. Tu Platonem, tu Demoſthenem, tu Ciceronem, tu Homerum atq; Virgilium: tu denique Herodotum, Thucydidē, Liuium, Saluſtium, alioſq; innumeros ad diuinos propè honores euexiſti, immortalitateque donaſti. Te reges inuicti, te tyranni ſæuiſsimi reformidant: & qui nullis telis vinci potuêre, tua diuina vi victi ſubactiq; ſunt. Tantam vim habet, ô Adoleſcētes, illa Πειθὼ, quæ rectè dicta eſt Suada, vel flexanima, atque omnium regina rerum, Oratio: vt non modò inclinantem erigere, aut ſtantem inclinare, ſed etiam aduerſantem & repugnantem. vt imperator bonus ac fortis, capere poſsit. Hanc igitur tam eximiam, tam neceſſariam, tamq; vtilem facultatem vt cognoſcatis, Ciceronis de Oratore libros in manum ſumpſimus. Cùm Ciceronem dico, ipſam Romanam eloquentiam intelligere debetis: cùm vero libros de Oratore, opus in ea facultate putatote, quo opere nullū nec Græcia, nec Italia melius aut perfectius vnquā habuit: qui libri

vt

vt abhorrent quidem à communibus, vulgaribusq; præceptis, ita omnem antiquitatem & Aristoteleam & Isocrateam rationem oratoriã complectuntur, vt author ipsemet in epistola ad Lētulum ingenuè testatur. Hos libros nos, quantum ingenij nostri mediocritas, & hæ literę, quas Dei munere consecuti sumus, ferent, vobis explicare conabimur: & spero fore, vt nō sine fructu (modò vobis ipsi non desitis) hunc laborem suscepisse videamur. Hoc debet hæc ciuitas, hoc omnes quicunq; bonas artes & studia hæc politiora amant, principum Bernatũ benignæ pietati, quòd pro Barbaris & superstitiosis iam linguarum doctores & sincerioris germanæq; Theologię interpretes audiuntur. Efficere igitur vnà omnes connitamur, ne tam magna Dei dona, nostra culpa deterantur, frustraq; videantur esse collata.

DIXI.

CÆLII SECVNDI CVRIOnis oratio funebris, in Nicolaum Inuitiatum Alexandrinum, nobilem grammaticum:

Papiæ habita.

ETsi non ignoro, Viri amplissimi, plerosque nonnihil miraturos quòd ego vir nouus, tenuissimęque eruditionis, in hac vrbe eruditissima, vbi tot Crassos, tot Cicerones, hoc est oratores clarissimos, esse constat, huius mei tyrocinij specimen edere audeam: non committam tamen, vt ab hoc pietatis officio nulla à me affecti oratione discedatis. Ad quod quidem efficiendum duo me præcipuè impellunt; alterum vestrę, Ciues eminentissimi, preces, quæ profectò mihi instar præceptorum sunt: alterum viri huius merita, eximiæq; virtutes, de quibus omnib. pro merito dicere arduum, imò penè infinitum: tacere omnino, turpe, indignum, ac impietati simile foret. Quibus equidē angustijs districtus, vnde potissimum exordiar, non planè scio. Verùm enimuerò cum aliquid omnino mihi dicendum sit, quo vestræ meæq; pietati aliquo satis modo faciam, vos nequaquam diutius in hac expectatione detinebo. Quanto dolore, Ciues, ob eruditissimi viri magistri Nicolai,

colai,

colai, publici huius præclaræ vrbis grammatici, obitum sitis affecti, equidem ex me ipso facilè conijcio, qui sanè quàm pro eo ac debeo, proq; ea qua viros cùm doctos, tum bonos, pietate prosequor, grauiter molesteque fero, adeò vt vix etiam lachrymas contineam. Neq; enim secus vel de vobis existimare, vel me facere de tam eximio, tamq; de vestra ciuitate benemerito homine, fas est. Nam si nemo est quem sua damna non maximo afficiant opere, consentaneum quoq; fuerit, vnumquemlibet vestrûm prꝺstantissimi huiusce viri desiderium tacitè ingemiscere. Quid dico tacitè? cum vestrꝺ, Ciues lachrymæ, vultus tristes atq; deiecti, nouũ quendam communemq; dolorem haud obscurè testentur. Est anim ille non vni cuipiam, aut alteri, sed vniuersis, generatimq; singulis ereptus: quo amisso, nullus est qui præcipuò aliquo se mutilatum membro dicere non possit. Si quidem ciuitas vnum corpus est: (id quod magno consensu, cùm qui de Republica scripsere, confirmant, tùm res ipsa docet) singulos inter se ciueis, alterum alterius membrum esse necesse est. Quod cum ita sit, toties amittit quis aut pedem, aut manum, aut oculum, quoties virum amittit: eoq; grauius accipit damnum, quo nobilius, quoq; vtilius fuerat amissum membrũ. Proinde vos, Ciues, qui tanti iacturam viri fecistis, an non egregio, simulq; frugi mẽbro orbati estis? Hoc nullus mehercule

est qui nesciat, qui non reipsa periculum fecerit. Nam si ex patriæ claritate, generisq; splendore ornatus nonnihil ac laudis hominibus videtur accedere, patriã illius Alexandriam, Insubriæ vrbem nobilissimam, quis nescit? Inuitiatorum verò familiam (cuius ille non exigua pars fuerat) opibus, vetustate, claris imaginibus longè lateq; celebrem esse, ac nulla vnquã labe vitiatam, omnes norunt. Verùm nos cum ista à sapientibus non magni fiant, vtpote caduca, fortunęq; telis nimis exposita, delibata tantùm relinquemus: adq; animi bona, quæ firma sunt, totam hanc laudem deriuabimus. Illud primùm neminẽ vestrûm nescire arbitror, qđ quidem inter melioris notę philosophos constat, quicquid vtile honestumque est, ad boni fontem referri. Porrò ex illo bonorum omnium fonte perenni, nempe Deo, tres tanquam riui, vt Peripatetici quoq; tradunt, bonorum, ad nos manant: animi, quæcunque consilio & cogitatione complectimur, vt prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia: corporis, quæ natura corpori attribuit, quod genus, robur, dignitas, valetudo: & fortunæ, quæ externa dicuntur, cuiusmodi sunt, genus, diuitiæ, imperia. Hę verò boni species inter se sic differũt, vt quę fortunę dicuntur, bona quidem sint, sed corporis meliora, animi verò optima atq; præstantissima: quippe quæ animi natura sequantur immortalis, incorruptibilis, ęterni, ac ob id

id ſola virtutis nomen retineant. Hæc igitur cum ita ſe habeant, conſequitur, vnumquenque eo nobiliorem, vtilioremque eſſe, quo magis boni alicuius particeps fuerit, quoque plures bonũ illud participauerint. Sed enim cum bonorum alia alijs præſtent (ſicuti diximus) fit, vt qui virtutis bonum adeptus eſt, is tum nobiliſsimus, tum vtiliſsimus ſit: id quod Satyrico etiam poeta teſtante didicimus,

Tota licet veteres exornent vndiq; ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt atq; vnica virtus.

Virtus ergo eſt, quæ claros, vtileis, & verè magnos facit. Atqui virtus quid aliud eſſe poteſt, quàm fuga vitiorum? & quid fuga vitiorum, quàm dominæ parêre rationi, prauosque animi motus tranquilla moderatione lenire? At hoc quotuſquiſque eſt, qui ſine diſciplinis, ſineque literis aſſequatur? cum natura quidem ad bona capeſſenda habileis, vt patulum vas, ſimus, ſiquidem infundas: ſi non infundas, aut perpetuò vacui, aut ſerò boni. Quod cum noſtri Nicolai parentes animaduerterent, viderentq; in eius vultu atque oculis quandam virtutis indolem emicare: ſtatim pectuſculum illud tum literis, tum diſciplinis optimis informare curarunt. Is porrò cum primùm ex ephebis exceſsiſſet, duce fortuna, comite virtute, prçclaras cœpit Academias Italiæ perluſtrare: vbi nullis laboribus, nulliſq; vigilijs parcens, tantum effecit, vt liberaleis arteis

haud quidem mediocriter calleret:& ita calleret, vt eas cũ laude profiteretur. Quę res haud dubiè tantum ei nominis comparauit, vt huic Papiẽsi gymnasio ad literas humaniores iuuentutem docendam, à Mediolanensi præside, totoq; Senatu, qui non nisi spectatos ad id muneris deligere solet, præfectus fuerit: simulq; vestra ciues opera eidem Cosmicę scholę vbi continuò aliquot bonæ spei pueri, hique pauperes literis & moribus gratis instituuntur, delegata sit cura. Quæ munera quanta prudentia, studio, pietate, cura, laboreq; gesserit, neminẽ fermè latêre existimo: siquidem nemo alius quæsitus, nemo illi dum vixit, vnquam successor datus est, quòd abundè fidem per se facere potest, quanta laude Spartam ille suam exornauerit. Quòd philosophi, quòd medici, quòd iureconsulti, quòd omni literarum genere pleriq; exculti sunt, huic vni acceptum referunt omnes. Siquidem per vnam grammaticen, ad omne disciplinarum genus gradum fieri necesse est. Nam vt in ædificijs videmus, nisi solida firmaque constiterint fundamenta, labefactari omnia, diuulsaque ruinam trahere: sic in disciplinarum profectu, nisi quis puri dilucidiq; sermonis doctrinam solidè substruxerit, frustra cæteris insudabit. Quid dicam de iustitia? quam in pectore asiduè gerens, pietate in Deum, charitate in patriam, amore in suos, gratia in bene merenteis, erga bonos obseruan-

tia,

tia,veritate,beneficentia,comitate adeò in cunctos excelluit, vt omnibus esset admirationi. An quisquam eo vel fortior, vel modestior extitit? an in voluptatibus continentior? an grauior? Catonem dixisses,tanta in viro seueritas, tanta dignitas,tanta grauitas elúcebat. His itaque artibus quæ verè clarũ, verè diuitem, maximeq; vtilem ac bonum virum faciunt, viam sibi ille ad immortalitatem præmuniuit. His vobiscum vixit: his ad senium vsq; (quod paucis quidem contingit) euasit: cum his comitibus vitæ munus absoluit. O virum omni seculorum memoria dignum. Hunc vos ciues amisistis liberorum vestrorum custodem, formatorem, parentem: tali membro mutilati estis: hunc ciues miserè defletis: hunc gemitibus, hunc planctibus prosequimini: huic postremum, sed pium tamen, honorem impenditit. quem si prudentem, si iustum, si fide ac pietate præditũ, si deniq; virum bonum, ciuemq; optimum, ac ob id meliorem vitam adeptũ diuina bonitate creditis: pręstiterat, lõgè inquam pręstiterat, istum mœrorem deponere, neq; supra modum illius desiderium ingemiscere: id quod ab his fit, qui nullam omnino spem reliquam sibi ipsis reposuêre vitæ futuræ. Nam si Iesum ex mortuis resurrexisse credimus, sic & Deus eos qui dormierunt, per Iesum ad vitam pariter educet. Quibus verbis nos mutuò consolari, doctor ille noster Paulus Apostolus præ

Ff 5

cepit, neq; de mortuis vſq; adeò eſſe ſollicitos, ſatius eſſe ratus, nos pro noſtra virili interim operam dare, vt caſtè, iuſtè, pieq; peracta huius vitę fabula, Chriſtus dignos reperiat, quos participes ſuæ faciat immortalitatis.

DIXI.

CAELII SECVNDI CVrionis in Scribarum collegij Ticinenſis laudem, Oratio.

CElebre eſt eloquentiæ principis dictum, & veteri tritum ſermone prouerbium, Pares cum paribus faciliimè congregari. Eiuſdem quoque, ni fallor, illud eſt: Eam eſſe veram amicitiá, in qua boni ſimul coeunt, atq; conſentiunt. Cuius amicitiæ vos, viri honeſtiſsimi, clariſsimũ eſtis exemplar: qui à quadringentis, aut eo plus annis, iſtá inter vos neceſsitudinem ſanctè integreq; ſeruatis: tamq; facilè, tantaq; concordia, quoties opus eſt, vel centuriatim conuenitis, vt non plurimi, ſed vnus cuncti eſſe videamini: vt verũ quoq; appáreat in vobis, quod Pythagoras ille Samius in amicitia eſſe voluit, vt vnus fiat ex pluribus. Ad hanc itaq; amicitiam, hocq; frequentiſsimum.

ſcribarum

ſcribarum collegiū, pro veteri more celebrandum, vos me, vtinam tam idoneū, quàm promptum, delegiſtis: qua quidem in re, tot mihi vel prudenter, vel vtiliter, vel etiam piè religioſeq; facta occurrunt, quæ ampliſsimam, ne dicam, infinitò patentē orationis meteriam ſuppeditent: vt nobis duntaxat illud cogitandum ſit, quomodo noſtra exitum inueniat oratio. Quare mihi non facultas, ſed terminus potius aliquis optandus eſt. Et vt̄ inde ducamus initium, vnde hæc ipſa cauſa manat: quis non eum prudentiſsimè feciſſe dicet, qui hanc ſocietatē primus inſtituit? Vidit enim hac ipſa neceſsitudine quandam ſcribarum conſtitui politiam, in qua ordine omnia conſilioq; fierent. Primùm vos omneis quotānis conuenire voluit, vt de ijs quæ ad hunc ordinem ſpectant, ſumma concordia conſultaretis. Quod quanti ſit, quantique ab omnibus fieri debeat, hinc ſcire licet, quòd is ordo eſt penes quem tanquam Sibyllæ librorum cuſtodibus, omnium totius ciuitatis fortunarum cùm priuata, tum publica iura ſeruantur: neque ſeruantur ſolùm, verùm etiam tanquam à vatibus ſacratiſsimis ipſa prodeunt iuris oracula. Nam ſiue quis emere, ſiue diſtrahere quicquam, ſiue contrahère, aut tranſigere velit, ex iſto ordine ſtatim accitus aliquis, contrahentium verba & pacta in tabulas refert: huic vni fides, vni autoritas omnium attribuitur. ijs ſua monumenta

proferentibus, deferunt magiſtratus, concedũt leges: iiſdem loquentibus, clariſsimi legum, ijdem & antiſtites, & interpretes ſilent. Leges quidem figere, ac refigere principes poſſunt: horum publicas, riteq; obſignatas voces nulla poteſt Imperatoria abrogare maieſtas, nulla poteſtas addere, nulla detrahere horum poteſt ſcriptis autoritas. Plus vni ex iſto ordine, quàm vniuerſo hominum reliquo generi, fidei habetur. imò in hunc vnum ordinem ipſa imperatorum omnium conſenſu, tot ſeculis mortalium autoritas deriuata eſt, vt meritiſsimò publicarum priuatarumq; actionum princeps appellari poſsit. At vnde hoc, niſi ex iſta optima collegij inſtitutione, atq; inter vos de rerum ſumma prudentiſsima conſultatione prouenit? Tunc enim digna operum veniunt precia, cum opera ipſa matura, prudensq; anteit deliberatio, cum præſertim ea ad commune totius ciuitatis & commodum & decus, & ad Dei immortalis religionem, acceſsionemque pietatis fiat. Coeunt enim in ſocietatem quàmplurimi: ſed alij, vt opes irritamenta malorum congerant: alij, vt ampliſsimis ipſi fungantur honoribus: conueniunt etiam ad ædes expoliandas fures, vt compilent impij milites. Sunt quoque qui ad aliquod vnum bonũ conſpirent, ſed vnum tantùm. Vos opibus, vos dignitatibus, vos veſtris quibuſcunq; priuatim commoditatibus ſpretis, quo omnibus in commune prodeſſe

veſtra

vestra possitis opera, vestra comitia cogitis. A vobis omnia in omneis simul commoda proficiscuntur: singuli vestram experiuntur operam: in quo illum, tanquam vestri huius muneris atq; officij præclarissimi autorem, Cn. Flauium scribam Romanum refertis: qui cum videret inuidia atq; ambitione Appij Claudij omnibus necessarias actiones iuris occultari, librũ qui eas contineret, populo tradidit: quod munus adeò gratum populo fuit, vt Tribunus plebis fieret, & Senator, & Aedilis curulis. Liber ille ius Flauianum (quod vos minimè fugit) appellatur. Hunc vos & hodie imitari certum est, dum reconditas Alciati, Socini, Alexandrini, & aliorum iurisconsultorũ actiones, stipulationesque cum populo communicatis, atq; omnibus exponitis. *Et* vt aliquid pręterea hic de vestra eximia benignitate, munificentia, pietateque dicam: quis non miretur, vnde tanta vobis & pecuniarum & frumenti (& si non mediocres sint vobis in hoc paratæ opes) supperat copia, quæ quotidie Christi pauperibus erogatur? Quid memorem scholas literarum, varias operum officinas, in quibus adolescentes ad omnem animi & corporis cultum vestris impensis instituuntur? Quid puellas inopes, quæ huius collegij opibus certo numero ad connubij & nuptiarum ornamẽta quotannis traducuntur? Innumera propè alia esse scio, quę quotidie ab isto ordine piè sancte

que geruntur: sed illa consultò prætereo, tum quòd notissima sunt, tum etiam quia mihi non tam copiam, quàm modum quærendum proposui: ipsa tantùm benignitatis à me capita indicata verius, quàm explicata sunt. Quare si nullus ordo in hac vrbe est, qui tam sanctè conueniat, tam sapienter deliberet, tanta pietate agat: si à nullo preterea ordine, nullo conuentu, nulloq; collegio tot tantaq; bona in omnes manant: si nulli Dei & Christi seruatoris vota, ceremonias, decreta sanctius colunt, propensius réddunt, promptius peragunt, libentius seruant: quid quæso hoc amplissimo Scribarum collegio illustrius, quid excellentius, quid vtilius, quid admirabilius hæc Ticinensis ciuitas alioqui præclarissima, habere potest? Hæc verò omnia ita esse, testis est tota ciuitas, testesque sunt exteri omnes: & ij maximè, qui vestra & opera & liberalitate vti voluerunt. Me verò hæc non in cuiusquam gratiam attigisse, neq; quòd ex hoc vel vitæ præsidia, vel dignitatib' auxilia quæram, testis est is, cui mentes mortalium clarissimè patent. Hæc enim omnia & ab ipso Deo optimo maximo expectanda, & labore mihi paranda statuo. Sed me hanc dicendi prouinciam suscepisse confirmo, vt rectè factis honos, vti decet, haberetur. Id quod vos etiam voluisse, intelligunt ij, quibus & meæ & vestræ vitę rationes notæ sunt. Præsertim cum me quoq; pauca ex penè infinitis (qui vester

pudor

pudor eſt) dicere volueritis. Itaque viri honeſtiſsimi, pergite in iſto à maioribus veſtris prudentiſsimè ſuſcepto inſtituto, vt maiores veſtros (quod facitis) non æquetis modò, verùm longè etiam ſuperetis. Id enim & veſtro munere, veſtraq; amplitudine dignum: & huic vrbi, nec non Deo, cui ea tutelæ eſt, maximo fuerit ornamento. Dixi.

CAELII SECVNDI CVRIONIS in Ioan. Iacobum Gambarum Pontificem Albingaunenſem Oratio funebris, Papiæ habita.

SI de ignoto, obſcuroq; homine in tã frequenti Patrũ, illuſtriumque virorum conſeſſu mihi eſſet dicendum, impudens equidem videri poteram, qui vnius diecula interuallo, dignam me ac idoneam veſtris purgatiſsimis auribus orationem allaturũ ſperarem: quippe laudum mole obrutus, ac planè oppreſſus, nihil huc, in tam breui tempore, perfectum ingenio, elaboratum induſtria, vti par fuerat, adferre potuiſſem. Verùm cũ de eo ſim apud vos, viri magnifici, viro verba factur9, qui cùm familię ſplendore, tum ſuis laudibus, non

Insubriæ modò, sed Italiæ totius oras illustrat, bona me oneris parte leuatum sentio: speroq; fore, vt quicquid à me in hoc funebri dicetur præconio, vobis si minus perfectum atq; elaboratum, non ingratum tamen videatur. Dicendum est enim de amplissimi viri Ioannis Iacobi Gambaræ, Comitis Palatini, Albingaunensisque Pontificis laudibus, eximijsque virtutibus: ex quibus si fructus vberes aliquando cepistis, arbitror illarum commemorationem vobis nec iniucundam fore. Quare videor mihi totam hanc laudationem in duas partes secare quodammodo posse: vt primùm de his quæ ante episcopi munus, deinde de ijs quæ postea Pontifex gessit, dicamus. Mihi igitur aliquid de hac illustri Gambarana, Palatinaq; domo meditanti, tot viri principes, omnique virtutum laude insignes occurrunt, vt à quo primum exordiar, nesciam. Quis ignorare potest, quanta semper huius familiæ fuerit claritudo, quæ Cęsaris in Italia negotia tam diu bene & feliciter gessit? Ex qua Otho & Iacobus, huius nostri gentilis vterq; integerrimus senator, vterque suo principi charus: ille Mantuę, hic Montisferrati prodière. Cui successit Dominicus, alter Scæuola iurisconsultissimus. Sed quid vetusta hæc maioresque persequor, quod faciunt ij, qui nihil in iunioribus dignũ laude reperiunt. Mihi enim etiam atque etiam cuncta rimanti, ij demum clari nobilesque videri

deri solent, non qui maiorum modò imagines, cerasq; iactant, sed qui & patrum laudes imitantur, & posteris sua ipsi virtute prælucent. Id quod optimè prospiciens Ioannes Iacobus, propositam sibi à maioribus gloriam putauit, ad quam omni sibi contentione foret enitendum: atque à patre in primis suo, Ioanne, viro planè regio. Hic vxorem Agnetem ex eadem sua familia fœminam honestissimam duxit, ex qua hunc ipsum Ioannem Iacobum filium suscepit, quem statim & cum ipso penè lacte ingenuis & moribus, & literis (quæ semper illius domus consuetudo fuit) excolendum tradiderunt: qui vt erat ingenio ad omnia sequaci, breui maximis Academijs idoneus euasit. In hoc igitur omnium terrarum florétissimo, celeberrimoq; Ticinensi gymnasio, illam partem philosophiæ, qua vrbes populique reguntur, quæ Iuris prudentia rectissimè appellatur, secutus, non opibus, quæ alioqui illi amplæ erant: non stemmatibus numerosis, quibus pleriq; tument, confidens: non voluptatibus noxijs, quæ non rarò iuuenum animos à recto auertunt, indulgens: sed studijs animo & mente præsenti inhærens, intra paucos annos duplicem lauream meruit, & Cæsarei & Pontificij iuris: qua donatus, & in hoc vestrum selectissimorum Iurisconsultorum collegium accitus, certatim illi ab Italiæ regulis magistratus amplissimi oblati sunt: ac statim Placétię, mox

Cremæ prætor creatur. Nec multo post fama sese viri latius diffundente, à Mantuæ Principe euocatus, magna, præclaraq; munera in ea vrbe gesſit. Quid Mediolanum, totius ferè Italiæ lumen memorem? vbi iudex & quæstor æquiſsimus omnium cum admiratione fuit? Quid partem illam Italiæ, in qua Augusta Taurinorum est, quæ sub ipso Apenini iugo sita, Allobrogum paruit regulis: in qua & senator, & à consilijs secretisq; Principi semper fuit? Sed inter hæc cum animum ad vxorem appuliſset, ex vestris, suisque ciuibus lectiſsimam fœminam, ac planè heroicam sibi, Veronicam Rinaldi Torti, viri illustriſsimi, filiam fœlici auspicio copulauit: è quibus Isabella, alterum huiusce generis lumen, prognata est, virgo forma egregia, moribus pudiciſsimis, & quæ cum veteribus heroinis omni fœmineo cultu, virtuteque certare poterat. Hæc vbi adoleuit, viroque matura visa est, Ioanni Gerardo comiti Sannazario, ciui Papienſi, viro bonis literis excultiſsimo, nuptui est data. Isq; nunc amiſſa coniuge, templi maioris Albigauni sacerdos, & vt nunc vocant, Canonicus, Papiæq; collegio D. Mariæ in Pertica præfectus est. Vnam illi summam fortuna fecit iniuriá, quòd cum succedere socero dignus eſſet, ab hoc tamen inuida, virum optimum omni telo prohibuit. Sed forti animo sis Gerarde clariſsime: illa, quod suum erat, secum tulit: quæ tua sunt, innocentiam,

tiam, fidem, constantiá, animi magnitudinem cæterasq; bonas arteis, quibus semper decoratus fuisti, nullo à te ferro sæua diuellere poterit. Hactenus ista in hac Italię parte gesta sunt: nunc quæ alibi. Et vt reliquum vitę suæ cursum transegerit, breuiter audietis. Decesserat Veronica, Ioannis Iacobi dulcissima coniux, cum ille nequaquam per socordiam sibi vitam ducendam ratus, Romam cogitare cœpit: quò profectus, diutius latêre tantus fulgor non potuit. Quare in summi Pontificis curiam lectus, vrbiq; præfectus, tanta prouinciam sibi decretam vigilantia, tanta integritate, iusticiaq; gessit, vt Pontifex Albigaunensis à Clemente septimo Pontifice Romano crearetur. Deinde in agrum Picænum (quam nunc Marchiam Anconitanam vocant) legatione, Perusiæq; ac totius Vmbriæ præfectura summo pontificij senatus consensu perfunctus est. Prætereo honorificas ad principes legationes aliosq; magistratus, quos ille sanctissimè administrauit. è quibus missione vix à Papa impetrata, de grege sibi concredito sollicitus, remeauit ad suos: Albigaunumq; vrbē in Liguribus maritimam, tanquam bonus pastor petiuit, vbi bonam vitæ partem cum sibi commisso grege traduxit. Qui vt patriæ etiam suæ sui aliquam portionem daret, nonnunquam huc se recipiebat, atque inter gregem, interq; patriam ita officia diuidebat sua, vt nec illi suum deesset ministeriū,

nec huic in rebus dubijs suffragium, prudensque consilium. Dumq; ita per interualla se suis pergit impertiri, non morbo, sed senio potius accidit, vt vbi primùm hauserat vitalem spiritum, ibi vltimum deponeret, vitamq; temporaneam cum æterna commutaret. Hoc illi bonæ valetudinis parens illa & conseruatrix frugalitas, temperantiaq; contulit, inimica luxuriosis epulis, & vini abundantia aliena, & ab omni immoderato Veneris vsu auersa. Sciens enim in vino quanta esset ad labefactandam mentem vis, quantaq; ad morbos & malas voluptates fouẽdas, vinum per totam vitam non bibit, vt verè νήφαλιος esset. Annum enim circiter nonagesimum agens, omnibus suis fungebatur officijs: non illi labefacta memoria, non obtusum ingenij acumen, non remissa cogitandi vis, firmi pro ætate gressus, non tremulæ manus, aut caput, oculi viuaces, hilaris frõs, lingua expedita. Hic hic tanquam alter Cato de senectute nobis dare optima consilia poterat, docereq; arma senectutis arteis esse bonas, actionesq; virtutum, quæ in omni ætate cultę, cum multum diuque vixeris, mirificos afferunt fructus: non solùm quia nunquam, ne in extremo quidem tempore ætatis (quanquam id maximum est) verumetiam quia conscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio iucundissima est. Quid igitur mirũ, si senectus illi viridis fuit, & sine querela?

In

In moribus enim noſtris omnis culpa eſt, non in ætate. Iuuenes nobis aut bonam, aut malam ſenectutem paramus. Quis igitur tam facilem, tam humanum, tam ſanctum ſenem, non vberrimis lachrymis proſequatur? Nunc nunc ciuibus ſuis, nunc Chriſti, quorum cuſtos ac ſpectator erat, ouibus vtilis eſſet. Si quidem vir ſapiens, & multo rerum vſu peritus, quod vnum maximè huic ætati datur, multis millibus (vt eſt apud Homerũ) prę ſtat. Sed quid agimus, ciues optimi? in hoc enim mundi theatrum mittimur, ſuas quiſq; partes acturi. egit ille ſuas, nos agimus, & vtinam bene: alij agent. Iunior, opes incorruptibiles parauit: adultus, perſanctè matrimonium coluit: ſenior, munera cùm profana, tũ ſacra incorruptiſsimè geſſit. Suis charus, externis beneuolus, omnibus vtilis, iucundus, honeſtus, animorum illam immortalitatem abijt fruiturus. Abſint itaque lachrymæ querelæq; omnes, ne perpetuò viuentem lugere, cœloq; inuidere videamur. Dixi.

PAPIÆ.

In Rolandum Trouamalum Salensem, qui pro patria in carcere morbo confectus est, Laudatio.

Qvum maiores nostros considero, factaq; eorum egregria, viri praestantissimi, fateri equidem cogor, fuisse illis diuinum propè animi robur, vt qui varios huiusce vitæ casus tanta animi magnitudine subierint. Verùm cùm nostræ ætatis præclata virorum facinora video, aut paria illorum, aut maiora esse iudico: nec deesse hominibus nostris virtutes, excelsumque spiritum, sed qui eorum facta virtutesque dictione & laudibus illustrarent. Habuit prisca ætas homines, qui illustrium virorum facta felici stylo commendarent: nos in clarissima rerum gestarum luce hebescimus, stupemus, caligamus. Quid quæso vel ab ipso Bruto maius fieri potuit, quàm quod à Rolando Trouamalo factum est? qui nuper ob patriæ suæ amorem, mortem oppetere non dubitauit? Vellem sanè, viri optimi, quòd me tanti facinoris præconem esse voluistis, verbis aliquanto instructior esse, vt orationem factis exæquarem. Etenim si summus vates tot carminum millia contexuit, vt insignem pietate virum (vt aiebat ille) laudibus ad cœlũ veheret: quid mihi faciendum censetis? presertim

cum

cum hic noſter Aeneam non ſolùm pietate adæquarit, ſed etiam vicerit: quod haud difficulter (quandoquidem hunc campum currere certum eſt) demonſtrabimus. Sed nequaquam à me expectetis, vt quorundam more de externis bonis quicquam eloquar. Caduca nimium, fragiliaq; & puerilibus conſentanea crepundijs ſunt. Iſta quæ vires atque opes humanæ vocantur, affluunt ſubitò, repentè dilabuntur: nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt, ſed incertiſsimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos in ſublime extulerunt, improuiſo recurſu deſtitutós, in profundum cladium miſerabiliter immergunt. Itaq; nec exiſtimari debent, neq; dici bona, quæ inflictorum malorum amaritudinem duplicant deſiderio ſui. Ab his ergo ad pietatis facinora, quæ niſi bonum virum nullum comitantur, orationem noſtram transferemus. Tanta enim hæc eſt ſeu pietas, ſeu charitas, vt in Deum quoque ipſum rectà contendat, ſimilesq; dijs homines faciat.

Hinc illa vox:

Sum pius Aeneas fama ſuper æthera notus.

qui tamen pietate tantus non fuit, vt ab hoc noſtro non facilè ſuperetur. Patrem namq; ille humeris extulit, hic patriā: ille ne pater interiret, hic ne patria periret: vnū ille, hic vniuerſos ſua virtute ſeruauit, alacriq; animo ſeſe militib. per medium forum, perq; domos ingenti omnium

cum terrore furentibus, prompto & alacri animo obtulit ſeſe, cum tamen id declinare facilè poſſet. At enim capi voluit, ne vos caperemini: abduci, ne vos abduceremini, neu durius aliquid reſpublica pateretur. Númnam patriam vniuerſam humeris eum ferre conſpexiſtis, cum ſatellitum ſtipatus manu, vnà cum collega ſuo, viro bono, pro vobis vniuerſis Mediolanum duceretur? Longè certè maius eſt, patriam vniuerſam, quàm parentem ſolum humeris ſuſtuliſſe, tali præſertim animo. Quare Aeneam non tantũ facto, verumetiam propoſito ſuperauit. Præterea pietatis quidem genera varia multaq; ſunt, vtpote in parentes, in cognatos, in amicos, cæteroſq; quos beneuolentia quoquo modo proſequimur. Sed cum omnia ratione animoq; luſtraueris, nulla eſt præſtantior, nulla gratior, nulla charior, quàm ea quę cum Repub. eſt vnicuiq; noſtrûm. Chari ſunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares: ſed omneis omnium charitates patria vna complexa eſt. Nam euerſa domo, perditis amicis, interdum reipub. ſtatus manere poteſt. Patrię ruina penates omneis ſecum trahat neceſſe eſt. Hęc parens, hæc nutrix omnium, hęc artibus, opibus, diſciplinis inſtruit, dignitatib. amplificat, omnia ad ſuorum ciuium commoda & ornamenta refert. amat hæc, & vult ipſa amari: tuetur ſuos, nec vult negligi: &, vt breuiter dicã, paria à ciuibus exigit omnia; quod

cuique

cuiq; nostrûm præstat, suo iure repetit. Quale autem & quantum hoc sit, quod patriæ debetur, vidit, vt innumeros transeá, Themistocles, Codrus, Aristides. Videre etiam ex nostris Brutorum ac Deciorum auspicatissima nomina. Verùm præter cæteros, insignes mihi videntur Curtius Romanus, & duo Phileni Carthaginenses: quorum ille, vt patria incolumis esset, prudens volensq; seipsum in profundissimam voraginem dedit, super quem ciues honoris gratia certatim fruges iniecerunt: ij, quo patriæ fines extenderentur, viuos sese obrui passi sunt. qui quoniam patriæ quàm vitæ suę longiores terminos esse voluerunt, famæ immortalitatem sunt adepti. Vbi nunc superbæ Carthaginis alta mœnia sunt? Vbi immenso Aphricæ spacio non contenti spiritus? vbi mari terraq; cunctis terribilis exercitus? omnia ista duobus Scipionibus fortuna partita est. At Philenorum egregij facti memoriam ne patrię quidem interitus extinxit. Nihil est igitur, excepta virtute, quod mortali ingenio ac manu immortale quæri possit: & quemadmodum à sapientissimo Poeta dictum est:

Stat sua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.

Sed enim quádo ista vos adeò libenter audire conspicio, nostri huius factum cum illorum paucis cóferamus. Curtius, vt suos ciues vano

metu liberaret: Phileni, vt patrios fineis dilatarent, viui sepulti ſſunt. Rolandus cum collega suo Ioanne Maria, quo vobis omnibus citra periculum, libereq; extra fines patriæ vestræ vagari liceret (nam antea nostis quanto cum periculo agri vestri limites transiliebatis) in carcerem coniecti sunt. An non id est terra obrui, in teterrimum carcerem includi, vnde quis nunquam emergit? nisi quod alter semimortuus illinc est ereptus. Verùm Curtius, nempe Rolandus, nusquam apparuit, postea quam in voracem illum specum detrusus est. O carcer, ô specus voracissima: cur non charissimum pignus, depositumq; suæ parenti reddidisti? Sed noluisti reddere, vt cæteris terrori esses. At nihil egisti, viuet tantæ pietatis monumentum, dum constabunt elementa: & pleriq; hac fama illecti, minus te exhorrebũt, patriam verò maiore pietate colẽt. Vidistis amplissimi viri, quãta qualisúe inter hos similitudo sit: sed hęc similitudo quandam parit etiam dissimilitudinem. Nam illi momento sibi æternam laudem adesse videbãt: hic noster diutino carcere maceratus, infamiã etiam subire poterat. Vulgus enim hominũ parum decorum arbitratur carcere detineri: quid in carcere mori? At non ita est. nisi quis nihil interesse putat, quispiãne vt nocens, an vt innocens patiatur. Siquidẽ vt ab vna eadẽq; causa diuersi effectus prodeunt: ita ex diuersis, ijsdemq; pugnantib. causis vnus nonnun-

nonnunquam effectus manat. Sed vt ad collationem redeamus, illis ciuium suorum astantium multitudo, clamoresq; stimulos addebant: hunc solitudo ipsa, diuturnaq; mali cogitatio mollire, & à proposito deterrere poterat. Quid quod demus, hæc peculiari quodam iure hanc sibi laudem vendicare videtur? Nullus quippe est qui nesciat, Antonium Rolandi fratrem ab Alexandrino carcere perniciem, mortemq; traxisse: cui (vt fratris etiam demortui impleret officium) successit Angelus frater, tametsi Deo ita volente seruatus est haud dubiè, quo sępius Remp. iuuare posset. Prætereo labores ab his perpessos, periculosas obitas lagationes, saluberrima consilia, bonorum suorum distractionem, inimicitias, pericula, damna accepta, quæ singula bonum ciuem abundè arguunt. Quid de eo dices, qui omnia exequutus est? qui deniq; id, pro quo tuendo ipsa etiamnum bruta depugnant, ipsum videlicet corpus, vitamq; patriæ impendit? cuius rei fidem modò vobis fecit idem ipse Rolandus. Hic autem aliquis obiecerit, Rolandum non eo animo carcerem adijsse, vt sibi illic moriēdum putarit; & quòd inclusus perstiterit, fatoque concesserit, coactum ad id fuisse: quasi illū carceris nomen terrificum, rei maximè consentaneū subterfugeret (est locus in Vrbe quod Malū stabulum appellatur, vbi qui alieno ęre tenentur, includi solēt) aut non sentiret, par laboribus corpus si

bi non esse: aut ignoraret, rempublicam creditoribus non esse soluendo: aut deniq; inclusus, vel municipium obligare non posset, vel quosdam se locupletiores prodere, qui in eius loco tenerentur, præsertim cum vltrò ab ipsis creditoribus ad id assiduè sollicitaretur. Poterat quidem, noueratq; : sed vicit amor patriæ. germanum ille voluit imitari, fratris gloriam augere, sua in patriam merita cumulare, virtutum concentum absoluere. O factum æternum memoria dignum. Nam quòd captus est, consilij atq; rationis fuit : iustitiæ, quòd nec quemquam prodere, nec municipium arctius obligare voluit. Animi verò magni & excelsi, quòd diutinam captiuitatem constantissimè sustinuit: donec grauissimo inde contracto morbo, vitam cum ipsa captiuitate finiuit. Et hic est finis, qui tantopere si bonus est, commendatur: sin secus, à cunctis vituperari solet. Notum est illud, *La vita il fin', il di loda la sera*: Sine bono laudatoq; vitæ exitu nihil fuerit reliqua vita, etiamsi vel Nestorem vel Hecubam annis superaris, & ferè fit, vt vita fini consentiat. Fieri nequit, vt si bene, beateq; vixeris, non itidem feliciter moriaris. Vitę summa breuis, inquit Flaccus, spem nos vetat inchoare longam. Autorum grauissimorum alius dieculam, totum huius vitæ curriculum appellauit, vt Euripides: alius punctum temporis, vt Phalereus Demetrius. Optimè verò omnium Pindarus, qui vitam

vitam hominum vmbræ somnium dixit. Res duas maximè nihili cõiunxit, vmbram & somniũ: vt planè quàm sit inane hoc nostrum viuere, demonstraret. cui Hebręus ille Pindarꝰ concinit, cũ ait: Dies mei sicut vmbra euanuerũt. Itaq; non conuenit æui spacium solstitijs metiri: rectè factis æstimanda est ætas. vt is diu vixisse putetur, non qui diutius vixerit: sed qui probè peracta huius vitæ fabula, honestam sui memoriam posteris reliquit. Quam rem optimè consequutus est noster Rolandus vir præstantissimus, qui non nobis modò, verumetiam vniuersis mortalibus optimum exemplum memoriamq; sui in dies recentiorem reliquit. Nihil ergo quod bonum virum, eundemq; bonum & fortem ciuem deceat, omisit: nihil amplius desiderari potest, nihil præterea ad summam hominis laudem superest, Ciues optimi, nisi vt certatim super eum cuncti, quemadmodum de Curtio audiuistis, fruges conijciatis: hoc est, vt superstitibus suis, vxori, nepotibus, fratriq; vnico bene velitis, faueatis, immunitatem præstetis: hoc leges, hoc consuetudo, mores, æquitasq; poscit: hoc duobus pro patria defunctis fratribus debetur. Quæ res ad vestrã quoq; tum laudem tum vtilitatem plurimùm interest: quo plures ad patriæ amorem & defensionem excitentur, cùm viderint se, suosq; à vobis non iri desertum, nec etiam tum cum ipsi abfuerint. Hæ námq; veræ atq; bene collo-

catæ fruges erunt. Hæc operosior longeq; nobilior in foro statua, ad perpetuam rei memoriam, sanctius erecta fuerit: quando satis ipse sibi, patriæq; immortalem nominis gloriam conquisiuit. Dixi.

CAELII SECVNDI CVrionis Oratio, Basileæ habita: in qua Rhetoricæ primùm, deinde commoditates Partitionum oratoriarum Ciceronis indicantur.

SCio ego vos, Patres sapientiss. Doctoresq; clariss. cùm vestra humanitate, tum maximè religiosa quadam prudentia, mihi ad hunc locum aditũ aperuisse: vt & meæ & literarũ dignitati, si cętera paria sint, consuleretis. Nam quod de meis rebus subleuandis cogitastis, humanitatis vestræ fuit, Patres: prudentiæ verò, quòd quantũ in hac oratoria palestra prętare posse videar, experiri voluistis. Ego verò Patres, & in officij, & beneficij in me vestri loco, vtrumq; numero. Neq; enim is sum, qui meis rationibus velim consultum bene, dignitati literarum malè: sed tum præclarè mihi fuisse prospectum arbitrabor, cum & literæ pro dignitate tractabuntur, & ex ea tractatione fructum

ctum amplissimũ capient auditores. Quamobrem vobis primùm, cùm pro his adolescentibus gratias ago, quorum causa tantos labores molestiasq; suscipitis: tum pro ipsa, quam omni cura, studio, diligentia tuemini, literarum atque artium liberalissimarum dignitate: deinde à Deo opt. max. & à Iesu Christo rege immortali, cuius ope & auxilio ista nituntur & constant, precor, vt vos in ista præclara, sanctaque administratione diu florere velit. Fore enim breui spero, vt & pacatis bellorum motibus, quib. hodie flagrare omnia videntur, hæc Academia vbiq; celebretur, & vos optatum ex vestris laboribus fructum percipiatis. Ad me redeo, Patres, quem ad hoc ipsum munus adiutorem esse deligendum putastis: qui vtinam is essem, qui vestris grauissimis iudicijs, vestræque expectationi respondere possem: veruntamen, si quid est in me ingenij, quod sentio quàm sit exiguum: aut si qua exercitatio, commoditas docendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum: & si tantum consequi potui, quantum licuit per varias grauissimasq; & diuturnas aduersariorum nostræ religionis molestias & vexationes: eas res omnes ad Dei gloriam primùm, deinde ad huiusce Academiæ præclaræ dignitatem, commoditatemque libenter exponam. Nunc autem cum intelligam à vobis, Patres, sincera atq; vtilia potius, quàm lemniscata & ambitiosa probari de re ipsa iam

aliquid dicere, non vobis tamen qui iamdudū per hos gradus ad res maiores & grauiores conſcēdiſtis, ſed his adoleſcentibus, incipiam. Ad vos igitur iuuenes me conuerto, moneoq́; ne à me hic cùm artium aliarum, tum huius quam profitemur bene dicendi ſcientiæ & doctrinæ laudes expectetis. quas toties vos & audiuiſſe, & legiſſe non dubito, vt niſi ad eas amandas eſtis accenſi, mea vix poſsitis oratione permoueri. Verùm, ſi illud modò cogitabitis, non eſſe eloquentiam rem quandam inanem & inutilem, ſed cùm ad omnia ferè vtilem, tum maximè neceſſariā, nihil erit quod ad eam vos cohortari magnopere laboremus. Nam (ſi licet paucis de tantis rebus agere) hac homines improbos & pernicioſos deijcimus, bonos erigimus & tuemur: hac conſilia noſtra de republica grauiter explicamus: hac laudamus virtutes, vitia vituperamus: hac obſcuriſsimas de omni philoſophia & religione quæſtiones, quaſi magno quodam illato lumine illuſtramus: hac freti, maximas legationes cum dignitate obimus: hac quaſi diuina quadam virgula, & languentes populos excitamus, & moderamur effrenatos: hac leges ſuademus bonas, malas diſſuademus: hac tuti inter armatas acies verſamur: hac opes, hac amicitias nobis vbique comparamus: hac denique inſtructi, tantum reliquis hominibus præſtamus, quātū homines ratione beſtijs antecellunt.

ſunt. Quod vt intelligatur, eſt ea in aliquo genere rerum collocanda. Sunt igitur duo in homine: ratio & oratio. Sed ratio intus in homine latet, quaſi Deus quidam in mundo. Duob. autem modis ea ſeſe oſtendit, tum rebus præclarè gerendis, tum oratione, qua in mente incluſam & abditam rationem, conſiliaq; explicamus. Iam ſi ratione res eſt gerēda, erit etiam ratione dicenda. nam vt ratio iſta noſtra, ab illa æterna, quæ eſt in Deo, ratione diſcrepare non debet, aliquid úe confuſum aut inordinatum complecti, ſed ordine quodam omnia, certaq; lege, vt alia prima, alia media, alia vltima & extrema ſint: ſic nec actiones, nec orationes, ab ea quæ in animis noſtris eſt, ratione & intelligētia & mente diſsidere debent. Sunt enim vt in Deo, ſic etiam in hominis mente, partim natura, partim vſu, partim doctrina rerum ſpecies & formę, quas Ideas, ille non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi grauiſsimus autor & magiſter Plato ſolebat appellare. Hac ratione nobis cum Deo prima eſt conſociatio, à beſtijs autem diſſociatio. Non enim beſtiæ conſequentia cernunt, non cauſas rerum vident, earūq; progreſſus, & quaſi anteceſsiones, non ſimilitudines comparant, rebúsque præſentibus adiungunt & annectunt futuras, quod hominis pripriūm eſſe munus, nullus ignorat. Quæ verò mente incluſa retinemus, etiamſi præclariſsima ſint, ex his nulla vtilitas ad

alios manat, nisi oratione (vt interim actiones omittamus) quæ interpres mentis est, explicentur. Explicari autem satis commodè non possunt, sine aliqua doctrina dicendi, quę quid, & quo quidq; loco, & quomodo sit dicendum, tradat. Quòd si quis dicat, se natura duce posse hæc tam magna, tamque admirabilia dicendo, sine ista arte præstare, non ita est. nam non Theologi modò, verumętiam Philosophi, rerumque publicarum rectores viderunt, naturam ipsam non satis habere virium atque consilij, ad nostras actiones orationesque moderandas, sed etiam rationem ipsam egere doctrina. Hinc tot leges, non diuinæ modò, sed etiam humanæ, tot decreta, tot de vita & moribus libri, de moderandis animis, actione, & oratione conscripti sunt. Quid? an non possunt etiam homines natura numerare, legere, fidibus canere (sunt enim & hæc vnius hominis propria) pauci tamen sine magistro, sineq; aliqua doctrina idipsum efficere rectè possunt. Neq; enim si latius sermo inter homines patet, quàm illa: idcirco illa arte moderanda sunt, oratio sine ordine, sine lege, sine aliqua via & ratione, fluere sinenda erit: vt homines, qui consilio atque ratione à bestijs differunt, voce incondita, & barbaro quodá sono cum bestijs coniungantur. Imò quo & nobis & alijs perniciosior esse potest oratio, eo magis est ratione moderáda, quàm vel numeri, vel figurę, vel modi:

di: in quibus si peccatum fuerit, pecuniolę iactura, aut suauitatis alicuius fieri potest. at si in oratione, siue aliquid dicas quod non est dicendum, siue non in loco dicas, siue non eo modo dicas, quo esset dicendum: tum famæ, tum fortunarum, tum capitis in discrimen vocaris: neque tu solus, sed alij quoq;, ac sæpe familiæ & ciuitates & regna periclitantur. Nam hîc non loquimur de vulgari quadam re, & communi omnium sermone, sed de rara quadá maximaque virtute purè, splendidè, apteq; dicendi: scimus enim homines natura oratione vti posse, miscere sermones, sensa mentis aperire, sed quàm præclarè, in eo omnis nostra versatur quęstio. Fateor quidem nonnullos homines, sine hac arte & naturæ ipsius habitu propè diuino, & scientia rerum magnarum, disertos & facundos extitisse: verùm si ad naturam eximiam atq; illustrem, si ad cognitionem maioris cuiusdam philosophiæ (est enim & hæc philosophia) & religionis, accesserit ratio quędam ex hac nostra facultate petita, tum illud nescio quid præclarum ac singulare solet existere. Iam si tantum adiumenti præstantibus naturis ars solet afferre, quid de mediocribus ingenijs, aut etiam infra mediocritaté positis dicemus? Ná & quæ bona sint, fieri meliora possűt doctrina: & quæ non optima, aliquo modo acui tamé, & corrigi possunt. Est enim ars dux certior quàm natura, vt Cic. de Finib. testatur. At à natura,

quod Carneades dicere ſolebat, artem dicent eſſe profectam. & hoc fateor ex parte, ſed non omnino. Initia quidem, & quaſi στοιχεῖα habet à natura, verùm perfectionem ex diligenti quadam obſeruatione: nec ab vnius tamen aut alterius natura & obſeruatione, ſed multorum. Nam omnia ferè quæ ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa & diſsipata quondam fuerunt: vt in muſicis numeri & voces & modi: in grammaticis, poetarum pertractatio, hiſtoriarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam ſonus, in hac ipſa ratione dicendi excogitare, ornare, diſponere, meminiſſe, agere, ignota quondam omnibus, & diffuſa latè videbantur. Adhibita eſt igitur obſeruatio quædam, quæ rem diſſolutam diuulſamq; conglutinaret, & ratione quadam conſtringeret. Sic ex multis obſeruationibus ſimul coniunctis, ordineq; diſpoſitis, artes coaluerunt. Quamobrem, non ſi à natura ars bene dicendi profecta eſt, continuò quæ arte continentur, ſola natura homines noſſe poſſunt. Ex quibus iam vos intelligere arbitror Iuuenes, ei qui bene dicere cupiat, artem eſſe neceſſariò diſcendam. Neq; tamen in natura atq; arte omnia vobis eſſe repoſita putatote: ſed & in vobis ſit ardor quidã animi, diſcendiq; cupiditas, neceſſe eſt: quæ ſi non inſit, parum naturę ipſius acumen & ingenij, minus quoq; pręcepta artis vos iuuabunt. Verùm hæc omnia perficit exercitatio, vel diligentia,

gentia, qua vna virtute omnes reliquæ continentur. At eadem exercitatio tota ferè in diligenti imitatione consumitur, quæ est aliud nihil quàm studium quoddam quo impellimur, cum diligenti ratione, vt alicuius similes in dicendo esse valeamus. Horum autem tria in vobis esse, & ex vobis debent proficisci, ingenium scilicet, ardor animi, & diligentia: quartum est, ars atq; doctrina. Hæc verò oratorum est, atq; eloquentium, quos Greci Rhetoras vocarunt, vt & ipsam artem Rhetoricam: quę scientia est ornatè, distinctè, apteq; dicendi. Hanc igitur artem pulcherrimam vtilemq; doctrinam, vobis Iuuenes explicare instituimus, quantum nostra mediocritas feret: in qua explicanda Oratorias M. T. C. Partitiones sequemur. Ná vix alius est liber, è quo commodius & breuius illá discere posſitis, quàm ex hoc paruo huius maximi & diuiniſsimi oratoris libello. Quanquam enim multa de hac arte scripsit Cicero, omniaq; præclarè: tamen quod in hoc dialogo viam quandam & rationem, quam Græci methodon appellant, Academicos secutus, apertè expreſsit: nec quicquam quod ad hanc facultatem pertinere magnopere videretur, omisit: hunc vobis commodiorem fore putauimus, cùm ad intelligendum, tum etiam retinendum. Illud igitur tantùm reliquū est, vt vos beneuolentia, attentione, diligentiaq; vestra, nostros conatus adiuuetis, & labores grato animo accipiatis.

CÆLII S. C. ORATIO DE Honore, Basileæ habita.

VEstra ista in me ornando noua forma, eximiaq; liberalitas, Patres, me nonnihil commouet ac terret cogitantem, qua oratione apud vos mihi vtendum sit, & quibus verbis gratiæ sint agendæ. Vultis enim me insignibus omnibus ijs ornatum esse, priuilegijsq; donatum, idq; gratis, quibus ornantur ij qui apud vos artium liberalissimarum magistri, rerumque magnarum ac philosophiæ doctores appellantur. Equidem cuperem vim mihi Demosthenis, aut potius diuinam illam Ciceronis eloquentiam dari, quò cùm meo ipsius desiderio, tum isti vestræ benignitati, ac de me expectationi aliqua ex parte satisfacerem. Verùm sentio hoc frequenti conspectu consessuq; vestro, officijque ac beneficij erga me vestri magnitudine mihi mentem propemodum eripi, effluere verba, animum debilitari: adeò, vt vnde & à quibus sermonem aliquem instituam, vix possim inuenire. Quamobrem tacendũ mihi esset omnino, nisi me ex altera parte incredibilis humanitas vestra, Patres, perspectaq; in me beneuolentia recrearet. Hac fretus, spero vos, quicquid illud erit quod hic conari poterimus, æquis animis audituros, in partemq; meliorẽ interpretaturos. Materiẽ

autem

autem dicendi, atq; argumentnm eadem ipsa vestra humanissima in me ornando voluntas suppeditabit, vt de honore ac dignitate, quę ab optimis viris virtuti alicuius meritisq; tribuitur, aliquid dicamus. Vos igitur omnes oro, vt me quàm fieri poterit breuissimè hisce de rebus differentem, æquis animis audiatis.

Mihi de honore aliquid dicere cogitanti hęc tria explicanda esse videntur: primum, quid sit id quod honorem omnes nominant: secundo loco, quæ eius origo, causaúe sit: tertio, an sit quis honos, de quo loquimur, bono & sapienti viro expetendus? Principiò, honor non vno aut simplici modo considerandus est. nam & in eo qui defert honor intelligitur, & in eo cui defertur: vt honor quem Romani Mario & Ciceroni deferebant. Is enim in Mario felicitas quædam erat, qua fruebatur, cum videret se à suis ciuibus tanto honore affici, vt septies consul crearetur. idem dicendum de Cicerone, cùm ei omnes honorum gradus deferebantur, adeò vt tametsi homo nouus esset, vt eius æmuli obijciebant, modò prætor, modo consul, modò etiam proconsul cunctis suffragijs renũciaretur: semper autẽ senator amplissimus esset, & ad causas agẽdas ab cunctis mortalib. expeteretur. In ipsis autem Romanis, ijdem honores significatio erant & expressa testimonia, ipsorum opinionis & existimationis, quam de vtriusq; excellenti virtute, in animis insitam in

fixamq; habebant. Nos autem hoc loco, quoniam alterum sine altero intelligi nõ posſit, de vtroq; coniunctè, breuiſsimeq; dicemus. Sed quia & verus eſt quidam, & quidam falſus honor, vt hunc reijciamus, illum retineamus, verum illum oratione explicabimus, vt quæ ſit eius natura intelligatur. Eſt igitur honor, ſignificatio eius opinionis, quę de alicuius excellenti virtute, magniſq; meritis habetur, iudicioq; delata. Ita enim natura comparatum eſt, idq; omnes & ſentiunt & agnoſcunt, qui nulla tanguntur æmulationis inuidia, vt quos excellere virtute aliqua atq; facultate vident honeſta, eis honorem cultumque tribuere aliquem velint. hinc parentes colere & reuereri cœpimus: hinc magnos & ſapientes viros ad gubernacula reip. ad regna atq; imperia vocare: hinc doctos homines & eloquentes ad publicè docendum magis præmijs allicere: hinc ex hominib. Deos facere, eoſdemque veneratione ceremonijsq; dignari; hinc deniq; ſuperioris naturæ, quam Deum iure vocamus, cuius beneficio & ſumus & conſeruamur, ſacra religioque manauit. Nam quæ fuit vnquam tam efferata natio atque immanis, quæ parentibus propter quos hanc ſuauiſsimam lucem aſpexerit, obſeruantiam: hominibus fortibus, ſapiētibus & eruditis, quorum virtute defendimur, conſilijs gubernamur, doctrinis erudimur, dignitatem: Deo optimo maximo, à quo omnia bona accipimus,

pimus, immortalesq; honores expectamus, religionem negarit esse tribuendam? Verè enim, sapienterq; mihi visus est Cicero de honore iudicare, cùm dixit in Tusculanis suis disputationibus: Honos alit artes, omnesq; accenduntur ad studia gloria, iacentq; ea semper quæ apud quosque improbantur. Est enim honos (vt mihi quidem videtur) species quædam referendæ gratiæ: vt quos videmus sua virtute, artibus atq; sapiétia res nostras iuuare & ornare, eis vicissim honoris aliquo genere gratiam referamus. Sic Pharao Aegypti rex, Iosepho gratiam retulit, cuius exemplum hoc loco cõmemorare iuuat. Est enim non solùm illustre, verumetiam diuinum, vtpote quod ex diuinis literarum monumentis depromatur. Iosephus ille à fratribus suis, quod vestra sapientia, Patres, non ignorat, propter inuidiam venditus fuit, & in Aegyptum à mercatoribus deportatus, à nequissima muliere falso crimine notatus, in carcerem coniectus est. Sed quoniam Deus eum singulari quadam prudentia, sapientiaq; ornarat, diuino, præsertim in somnijs interpretandis ingenio, eius tandem in prouisione rerum futurarum perspecta sapientia, ab Rege Pharaone magnis est honorib. affectus. Nam eum Rex annulo quo digitum ornabat, purpuraque qua indutus erat, aureoq; torque quem gestabat, donauit, & curru secundum se vehi, ac quacunq; veheretur, quasi Deũ quen-

dam ſupplici veneratione excipi iuſsit,& deniq́ue eum domui ſuæ totiq; Aegypto gubernatorem pręfecit. Quæ res, vt ſcitis,non Aegypti modò,verumetiam Iſraelitarum omnium,aliarumq; gentium ſalus à re frumentaria & incolumitas fuit. Nihil dicam de Daniele, de Mardocheo, atq; alijs qui ad diuinos propè honores euecti, ſalutares populis nationibusq; fuerunt. Quòd ſi quidam in honore & dignitate pernicioſi grauesq; extiterunt, hodieq́ue ſunt (quod non negamus) id euenit, quòd iudicio, neq; propter virtutē honoribus illis aucti fuerunt: ſed hominum vel temeritate, vel ſtulta aſſentatione,aut eos vi aut malis artibus inuaſerunt. Ergo honores dicendi non ſunt, quia non ſunt pręmia virtutis,aut in aliqua parte referēdæ gratiæ reponendi:ſed ſtultitię,audacięq́ue inſignia, ſcelerumq; integumenta potius appellandi. Ex his igitur quę diximus,non modò honos quid ſit elucet, verumetiam quæ ſit eius origo & cauſa, quod alterū erat ex tribus quę propoſuimus,monſtratur. Nā ſi honos iudicio ſtudioq; aliquorum defertur alicui, apparet honorē ab iudicio,quaſi ab aliquo fonte vel ſtirpe manare. Si item propter virtutē magnaúe merita tribuitur,quæ eius alia eſſe cauſa poteſt quàm honeſtas? Ab honeſtate igitur,pręſtātiúe alicuius virtute, & à iudicio bene atq; incorruptè iudicantium, honos ille nō fucatus exoritur. Pręclarum haud dubiè genus honoris,ac

nobiliſ-

nobilissimum, præclari parentes : verùm non minus præclara proles, quæ etiam parentum augeat & cumulet gloriam. Nam (vt præclarè dictum est à Salomone) Probus filius gloria parentum est. Gloriantur plerique maiorum suorum nobilitate, gloria, rebusq; præclarè gestis: & rectè sanè gloriantur, si modò ipsi tales sint, vt maiorum suorum gloriam non tueantur modò, sed etiam sua virtute clariorem atq; ampliorem reddant: qui verò degenerant tantùm abest vt maiorum laudibus ornentur ipsi, vt etiam cum eis comparati longè turpiores, quàm si obscuriores, aut nequiores suos maiores habuissent, esse videantur. Efferant igitur se quantumuis alij, maiorum laudes virtutesq; prædicent, nulli profectò cum honore in hoc genere laudis poterunt comparari. Quid enim iudicio consilioúe, quod Græcè προαίρεσις dicitur, in homine præstantius? quid vtilius? Siquidem vt Aristot. libro de Moribus tertio affirmat, cum virtute coniunctum est maximè. Et est aliud nihil, vt idem definit Aristot. quam appetitio eorum quę in nobis sita sunt, cum est antegressa deliberatio: vel vt Cicero ait, aliqd faciẽdi, nõ faciendiúe excogitata ratio. Ac quãta sit consilij iudicijq; pręstãtia, vtilitasq;, ex temeritate, quę ei contraria est, facilè omnes possunt dignoscere. Nam si inconsulta temeritate nihil turpius aut periculosius conficitur, iudicio & incorrupta (vt ita dicam) electione, nihil

esse homini melius: præsertim cum nec cum virtute coniunctum quicquam, nec iustum esse sine consilio posſit. Nam hoc ipsum ita iustum est, quod rectè fit, si est consilio voluntateq; factum. Honestas verò quanta, qualisúe sit, vel ipso nomine ostenditur. Τὸ καλὸν vocant Græci: nos quod pulchrum, honestum, ac decorum est, quod vi ac natura sua nos alliciens, laudabile dicitur: quod sua spôte petitur, quodque spreta & cõtempta vtilitate, optimus quisque sequitur: ac deniq; quod in his quæ bona numerantur, principem locum tenet, quodq; ex eo quod bonum est, vt ait Aristoteles, coniunctam voluptatem habet. hæc enim est honesti, pulchriq; natura: quæ si oculis cerneretur (vt ait Plato) mirabiles amores excitaret. Hęc exemplis illustrarē, si vacui temporis facultas præberetur. Itaq; vestra Patres in me auscultãdo facilitate fretus, ad extremam nostri sermonis partem accedam. Quærebamus autem, ecquid honores bono & sapienti viro essent expetendi? Qua in re primùm essent honorũ genera distinguenda, vt ex eo singulorum proprietas eluceret. Nam alij sunt honores qui ore & oratione exhibentur, quod genus ἐλόγια, ἔπαινοι, ἐγκώμια, vt Græci dicunt: quæ nos propriè testificationes, laudes, & laudationes vsurpare solemus: quales item sunt honores ij qui gestu aliquo corporis, quiq; pręmijs & munerib. continentur: verùm illa institutę breuitati derogarent.

rent. Simpliciter igitur ista tractabimus, ac de genere vniuerso, non etiam de singulis partibus dicemus. Dabitur fortassis aliàs de his vberius differendi locus. Honores igitur ac dignitates natura & vi sua expetenda omnibus esse, sine vlla dubitatione asseueramus. Scio & veterum memoria fuisse, & nostra esse, qui negent: quos si hoc tempore refellendos suscepissem, ostenderem vehementer errare. Nam quorum causæ in rebus expetendis habentur, non possunt ea in fugiendis numerari. Quòd si honestas honoris efficiens est, vt antea diximus, honores expetendos esse, negare non possunt. Id quod vel ipso honoris nomine perspicuū est. Ab honesto enim honos appellatur: quæ duo ita inter sese nexa & iugata sunt, vt diuelli abs se inuicem nequeant. Nam si in bonis honos numeratur, vt paulò antè de Aristotelis sententia dictum est, erit etiam honos expetendus. Quid, quòd non magis fugiendus est honor, quàm bona existimatio, & hominum de se præclara iudicia? qui honos non solùm ab huiusmodi existimatione iudicioq; proficiscitur, verumetiam eius testimonium & significatio perhibetur, quæ qui fugienda aut non expetenda putant, nę mihi ij ex homine stipité facere videntur. An nō vident, cum honores fugiendos esse dicūt, se contra naturā vniuersam, moresque pugnare? Atq; eadem opera docere bonā existimationē, honestatemq; esse vitanda? non

verbo quidem id dicunt, ſed re atq; ſententiâ. Quid enim iſta opinione diſſolutius excogitari poteſt? Nam (vt præclarè Cicero inquit) negligere quid de ſe quiſq; ſentiat, non ſolùm arrogantis eſt, ſed omnino diſſoluti. Quòd autem dicimus, honores expetendos eſſe, ſic intelligendum eſt. Nam cum rerum expetendadarum ſint tria genera: vnum, quod ſua vi nos alliciat ad ſeſe, non emolumento captans aliquo, ſed trahens ſua dignitate, quod genus eſt virtus & ſcientia & veritas: alterum, quod non ſua vi, ſed propter fructum & vtilitatem expetitur, vt pecunia: tertium autem ex duobus ſuperioribus vinctum, quod & ſua vi & dignitate nos trahit, & vtilitate, quo magis expetatur, vt amicitia & bona exiſtimatio: perſpicuum eſt, honores in hoc tertio genere reponendos eſſe: in quibus honoribus & honeſtatem eſſe, & vtilitatem, meliores philoſophi ſtatuerunt. Verùm in eo omnis verſatur error, quòd cùm honores inſignia virtutis eſſe debeát, multi virtutis inſignia, ſine virtute, aut vllis meritis, & expetũt & aſſequuntur. Ex quo factũ eſt, vt nõ nulli de honoribus malè iudicauerint, quod quidem faciendũ non erat. Non enim ex euentu, reúe aliqua fortuita res ſunt põderandę, ſed ex ipſarum propria vi atq; natura. Quod ſi fecerimus, videbim⁹ honores quaſi felicitaté quandam expetendos eſſe: qui ſi veri erunt, non eſt dubium, quin ſint vmbra quædam, & tanquam

ſpecimen

ſpecimen illius veræ cœleſtisq; felicitatis, quæ pijs omnibus à Deo ipſo, atq; autoribus noſtrę huius ſanctiſsimę religionis propoſita eſt. Paulus quidem ad Romanos, gloriam, honorem, & immortalitatêm bonis omnibus vt finem bonorum proponit, & ad ea inquirenda expetendaq; hortatur. Ex quibus perſpicuum eſſe arbitror, honores in aliqua fœlicitatis parte eſſe reponendos.

Illud modò in honorum delectu videndum eſt, ne humani honores nos à diuinis, ſolidis & immortalibus aſſequendis auocent, & impediant: vt ſi omnes honores, omnia inſignia, dignitates omnes, quæcunquè ab hominibus dari poſſunt, nobis deferantur, vt pietatem, vt religionem, iuſtitiamúe deferamus: non honores modò, verumetiam opes, vitamque ipſam cum corpore contemnamus, ne alterius honoribus excludamur. Id quod Moſes Chriſtusque, vt alios noſtræ religionis duces clariſsimos omittam, fecerunt. Moſes quidem renuit vocari filiæ Pharaonis filius, maluitque malis cum populo Dei affici, quàm Aegyptiorum fragilibus honoribus commodisque frui: maiores arbitratus opes ignominiam Chriſti, quàm Aegyptiorum theſauros. Noſter verò rex & imperator Ieſus Chriſtus, cum ex altera parte gaudium, ex altera crucem ſibi propoſitam conſpiceret, crucem pertulit, eius ignominia ad tempus contẽpta. vnde & ad Dei

ſolium euectus, ad dextram eius cõſedit, ſuamque illam priſtinam gloriam, in qua antequam mundus hic fieret, erat, adeptus eſt. Quamobrem ſi veros honores cùm in hac, tũ maximè in altera vita aſſequi cupimus, pietatem colamus, iuſtitiam ſeruemus, bonas artes amplectamur, de omnibus, ac de patria præſertim, bene mereri ſtudeamus. In his omnis labor, omne ſtudium, opera, diligentia, contentioque ponatur. Nam de honoribus dignitatumq; gradibus contendere, perinde eſt, vt ſi nautæ certarent, quis eorum potiſsimum nauim gubernaret, quod ſine omnium qui in naui ſunt pernicie fieri non poteſt. Miſerrima eſt enim ambitio, honorumq; contentio. Præclarè Socrates hanc viam ad honores & ad gloriam proximam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, vt qualis haberi vellet, talis eſſet. Quemadmodum de Catone legimus, qui non diuitijs cum diuite, nec factione cum factioſo: ſed cum ſtrenuo virtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſtinentia certabat: eſſe, quàm videri bonus malebat. Itaq; quo minus gloriam petebat, eo magis illam aſſequebatur. Is enim honos mihi videri ſolet ampliſſimus, qui non propter ſpem futuri beneficij, ſed propter virtutem claris viris defertur & datur. Nulla autem virtus ad honores adipiſcendos aptior eſt, quàm modeſtia atque ſummiſsio: & contrà, nullum vitium honori magis

contra-

contrarium, quàm superbia. Id quod nõ exemplis modò, sed etiam præclaris Christi Domini nostri sententijs confirmari potest. Qui sese, inquit, abiecerit, extolletur: rursumque qui se extulerit, deprimetur. Idcirco de eodem Iesu Christo Paulus scribit, cum esset forma specieque Deus, non rapuisse ad se diuinos æqualesque Deo honores: sed demisisse eum sese vsq; ad serui infimam conditionem & formam, tunc videlicet cum in humana specie ac conditione repertus, eousq; obsequens fuit, vt mortem, eamque contemptibilem, crucis scilicet, ferre non dubitarit. Quapropter & Deus illum ad summum extulit honoris gradum: donans ei nomen omnium excellentissimum, vt in nomine Iesu omne se flectat genu, cœlestium, terrestrium, & inferorum: omnisque confiteatur lingua, Dominum esse Iesum Christum, ad Dei parentis gloriam prouectum. Hanc igitur viam si institeritis adolescentes, facilior erit vobis ad omnes honorum gradus ascensus: quibus sanctè pieq; decursis, animus velocius in illam sedem patriamq;, vbi veri nobis sunt honores repositi, peruolabit. Vt enim ad summos scalarum gradus nemo potest nisi per inferiores & medios ascendere: sic honores, qui verè appellari possunt, quiq; præmia virtutis sunt, nullus assequi, nisi per virtutem & bonas artes potest. qui secus faciũt ij aut nullos honores, aut honoris nomẽ, vmbrámue ali

quam, non honorẽ ipsum adipiscuntur. Quod reliquum est, Patres sapientiss. atque optimi, vobis pro hoc honore, atque amplissimo liberalissimoque de me testimonio & elogio, gratias ago, easque, siquidem possum, immortales: vobisque polliceor, me semper erga vos singulos & vniuersos, hancque inclytam Academiam, artiumq; collegium eruditissimum, in quod me cooptastis, eo animo fore, vt quibuscunque rebus possim & sciam, apud omnes qui vbique sunt, & commoda vestra sim procuraturus, & dignitatem defensurus: & pro isto liberali honore gratiamque relaturus. Dixi.

CAELII SECVNDI CVrionis oratio in promulgatione Institutorum Academiæ Basiliensis habita. M. D. LIII.

EST hoc in more positum, adolescentes, institutoque maiorum, vt cum leges feruntur aut promulgantur, aliqua habeatur oratio, qua legũ vtilitas & honestas demonstretur: sicq; maiore plausu & alacritate ab omnibus accipiantur. Quod si hoc ab illis factitatum est, qui leges perniciosas sæpe ferebant: quanto magis à nobis fieri debet, qui eas

leges

leges, eaque instituta vobis recitauimus, in quibus primordia, & tanquam fundamenta studiorum vestrorum, totiusq; vitæ constituendæ, & cùm honestate laudeq; degendæ, posita esse videmus? Neque enim aut Tiberius Gracchus, aut Saturninus, aut, vt alios omittam, Maumethes, & Siricius pontifex Romanus, cum ille impium Alcoranum suum, hic de cœlibatu fœdissimam iniquissimamq; legem ferret, sine commendatione aliqua in vulgus protulit: vt quod leges ipsæ sua bonitate non poterant, orationis quasi machinatione quadam, in mortalium animos influerent, & vulgi tacita saltem assensione comprobarentur. Verumenimverò, nobis apud vos adolescentes, non tanta cura erit agendum, à quibus eas leges audiuistis, quæ dignitate atque vtilitate tales sunt, vt sine harum adminiculo summa vitæ confusio, scholasticæque disciplinæ perturbatio futura sit: vt pote in quibus seruandis situs est studiorum vestrorum fructus, & laus vitæ omnis, & in negligendis turpitudo. Habent enim hoc res honestæ & bonæ, vt etiamsi à nemine laudentur, tamen laudabiles sint natura, & sua vi assensionem bonorum emereantur. Quamobrē eo breuiores hodie erimus: atq; ea modò in mentē vobis reducemus, quę vos ipsi natura atq; institutione monente, bona, honesta, laudabilia, ac totis animis amplectenda esse cognoscitis. Legum igitur & institutorū laus

omnis, vt ego nunc existimo, in tribus maximè cernitur: in ordinis conseruatione, in animi institutione, & in quadam magna vtilitate. De tribus his cum dixero, tunc perorabo. Primùm ergo de ordine dicemus. cuius illud in primis est proprium, vt omnia aptis & accommodatis temporibus & locis fiant, ac gerantur: deinde tanta est eius vis & potestas, vt nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec exercitus, nec hominum vniuersum genus, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus, ordine, & quadam quasi οἰκονομία atq; ἀταξία vocare vllo modo posit. Quæ enim obsecro, esset confusio, si miles imperatori, populus principi, ciuis priuatus consuli, seruus domino, marito vxor, discipulus magistro vellet imperare? Quo modo mundus constaret, nisi elementa, ex quibus omnia gignuntur & temperâtur, suum singula locum tenerent? si terra sursum, ignis deorsum niteretur? si aquarum moles ætheri vellet incubare? Quid de syderib. dicam? quorum ordo atq; harmonia tanta suauitate ac dulcedine eruditorum complet aures atq; animos, vt in corporibus adhuc viuentes, se in cœlo cum dijs beatum æuum agere arbitrentur? Nam cum nouem, aut si mauis decē orbibus, vel potius globis cōnexa sint omnia, quorū vnus est cœlestis extimus, qui reliquos omnes cōplecti tur, cui subiectus est ille, in quo infixi sunt illi qui voluuntur stellarū cursus sempiterni: hos

sequun-

ſequuntur ordine ſeptem ſtellæ, quæ falſo vocantur errantes. nihil enim errat, quod in omni æternitate progreſſus & regreſſus, reliquoſque motus conſtantes & ratos conſeruat. Ex his ſupremum globum poſsidet illa, quam Saturnum nominant. deinde ſubſequitur hominum generi proſper & ſalutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis. Tum rutilus, horribilisq; terris, quem Martem dicimus. Deinde ſubter, mediam ferè regionem Sol obtinet, dux, princeps & moderator luminum reliquorum. Hunc vt comites conſequuntur, alterum Veneris, alterum Mercurij lumen. In infimo verò orbe Luna radijs ſolis accenſa, conuertitur. Terra autem immobilis manẽs, ima ſede ſemper hæret, complexa medium mundi locũ, in quam feruntur omnia ſuo nutu pondera. Illa verò ſeptem, tanto ordine curſus ſuos peragunt, vt acuta cum grauibus, diſparibus motibus temperantes, varios æquabiliter concentus efficiant. Iam ſi aliquod horum, vel tantillum à munere ſuo ceſſaret, aut ordinem negligeret, nec neceſsitudines dierum atque noctium, nec commutationes temporum quadripartitas ad maturitatem frugum, & ad temperationem corporum aptas, haberemus: Nec,

Cœlum miteſcere, arbores frondeſcere,
Vites lętificas pampinis pubeſcere,
Ramos baccarum vbertate incurueſcere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,

Fontes ſcatere, prata conueſtirier, videremus. Hanc ordinis vim atq; vtilitatem, contraque, τῆς ἀταξίας maxima detrimenta, veteres illi ſapientes cum vellent oſtendere, finxerunt Phaetontem patris gubernacula affectantem, ſolis currum aurigari voluiſſe: quem cum nullo ordine, nullaq; lege ageret, ſed modò ad deos ipſos propius impelleret, modò ad terram deprimeret, & iam in auſtros, iam in ſeptentriones vrgeret, ſecutum eſſe terrarum incendium, omniumque rerum fœdam perturbationem poetæ cecinerunt. Nam permittens illi currum inuitus pater, gnatum in hunc monuerat modum:

Hac ſit iter, manifeſta rotæ veſtigia cernes:
Vtq; ferant equos, & cœlum, & terra calores,
Nec preme, nec ſummum molire per æthera currum,
Altius egreſſus cœleſtia tecta cremabis,
Inferius terras, medio tutiſſimus ibis.

Quæ mandata cum imperitus & audax iuuenis non ſeruaret, pœnas ſuæ temeritatis dedit. nam ſemiuſtus in Eridanum præceps, curruq; deturbatus ruit. de cuius miſerabili caſu ſic Ouidius in Fabulis:

At Phaeton rutilos flamma populante capillos
Voluitur in præceps, longoq; per aera tractu
Fertur, & interdum de cœlo ſtella ſereno:
Quæ ſi non cecidit, potuit cecidiſſe videri.

Quę cum ita ſe habere viderent, & vim ordinis iuuẽtutisq; imprudentiã animaduerterent hu-

ius

ius Academię prudentiſsimi moderatores, his legibus & inſtitutis veſtrorum ſtudiorum curſum muniuerunt, quæ maximè ad ordinem quendam, œconomiamq; pulcherrimam pertinere viderentur. Primum enim omnium, in certas claſſes totam hanc ſtudiorum rationem & ſcholam deſcripſerunt. Deinde claſsibus ſingulis magiſtros ac pręfectos, eosq; tum doctos, tum bonos: certas itē in omni genere artium & literarum lectiones, certasq; & in orbem recurrentes ſtatis diebus exercitationes aſsignarunt. Tempus præterea progreſsionū ratum & certū ſtatuerunt, vt nec citius quàm artium & doctrinarum ratio, nec tardius quàm adoleſcentium induſtria diligentiaq; poſceret, transferrentur, ſed decentiſs. ordine omnia adminiſtrarentur. Et quoniam honos alit artes, vt inquit Cicero noſter, omnesq; accenduntur ad ſtudia, gloria, gradus quoſdam atq; induſtriæ pręmia propoſuerunt, quibus ingenia excitarentur: vt & ſolertes merita laude ornarentur: & ignaui, dum ab illis arcentur gradibus, ſcirent non ignauiæ ea ornamenta, ſed induſtriæ & virtuti eſſe propoſita. Iam quoniam legis virtus eſt, vt Plato & Iuriſperiti tradunt, non modò imperare quæ honeſta ſunt, vetare contraria, permittere quædam tanquam adiaphora, hoc eſt media, ſiue indifferentia: ſed etiam præmijs afficere obedientes, & pœnis delinquētes, idcirco noſtris quoq; legibus, vt honeſtꝰ labor

& virtus, honoribus, præmijs atque splendore decoratur: sic vitia, fraudes ac negligentiæ iuuenum damnis, ignominijs, vinculis verberibusque mulctantur. Quæ cum ita sint, audent tamē nonnulli hæc paruifacere, prorsusq; contemnere, ordinem omnem peruertere, à suo munere cessare, non audire docentes, aut negligenter audire, nō disputare, nō declamare, non conciones sacras accedere: sed pro his aut errare per vrbem, aut ludere, aut potare, aut aliquid deterius agere, præceptores irridere, nusquam decorum seruare, non vultu, non gestu, non incessu, non vestitu, nihil denique pensi habere: tanquam non ad pietatem Christianá, ad honestos mores, ad ingenij cultum, atq; ad omnem laudem: sed tanquam sues ad pastum & lutum, alij à parentibus & propinquis, alij Ecclesiæ ac Reipub. stipendijs alerentur. Qui nisi ad ordinem, in viamq; maturè redierint, nisi contumaciam atq; istam proiectam negligentiam abiecerint, illis denuncio atq; prædico, breui eos legum seueritatem, sine vlla remissione esse sensuros.

Sed quo citius quod suscepimus absoluamus, ad id quod secundo loco propositum fuit veniamus. Leges nostras ad animi cultum institutionemq; facere, nemo est qui non videat. sunt enim propter doctrinam & mores latę atque descriptæ. Nam vt ager quamuis fertilis, sine cultura fructuosus esse nō potest: sic sine do-

ctrina

ctrina animus. Ita est vtraq; res, vna sine altera debilis. Cultura autem animi eruditio est, quæ vitia extirpat radicitùs, pellit ignorantiam: & præparat animos ad satus accipiendos; eaque mandat his, & (vt ita dicam) serit, quæ adulta, fructus vberrimos ferant. Ac quid aliud sapientissimi homines cogitarunt, quàm vt eas leges vobis describerent: quas si seruaretis, & linguam ad orationem, & pectus ad sapientiam informarent? sine quibus pecudes potius quàm homines sumus. nam neq; sermo magni faciendus est sine sapientia, neq; sapientia sine commoda & apta oratione, luceq; verborũ & sententiarum explicari potest. quæ duo tanti facienda sunt, adolescentes, vt neque argentum, neque aurum, neque omnia Indorum myrmecia, Gangeticæ úe gemmæ sint cum his comparanda. Verè enim Horatius ad Tibull. scribit:

Quid voueat dulci nutricula maius alumno?
Quàm sapere & fari possit, quæ sentiat.

Verùm quoniam hæc perspicua sunt, pauca de vtilitate dicemus: quanquã ex ijs quæ diximus, ea satis elucere potest. Negabũt quidam, vllam in se propositas leges vtilitatẽ aut commoda continere: propterea quòd damnis interdum vinculisq; eorum peccata segnitiemque castigẽt. At qua ex parte minus vtiles putãtur, ea maximè fructuosas esse comprobabimus. Age, dic mihi tu qui vtiles esse negas, & sine lege

belluarum more viuere & vagari velles, si qui te per Rheni pontem transeuntem, correptum in subiectum flumen vellet dejjcere: existeret autem repentè aliquis, qui te quasi ἀπὸ μηχανῆς θεὸς, vt dicitur, ereptum à tanto periculo liberaret, nónne ei gratias ageres immortales, & vitam ei viro acceptam ferres? faceres proculdubio, nisi omnium bipedum nequiss. atq; ingratiss. esses. Quid? si quis esset, qui tibi magnam auri vim porrigeret, interea alius interueniēs, id tibi aurum non interciperet modò, verumetiam te vinctum abduceret, an non te ingenti non solùm damno, verumetiam iniuria affectū existimares? At verò, dum ita abduceris, fac occurrere heroē quempiam cum suo satellitio, qui illico solutis vinculis, te ad aurum recuperandum iuuet, & confecto hoste, in pristinam afferat libertatem: hunc credo inutilem tibi, illum verò vtilem diceres. Sed velim mihi dicas, quid aliud esse putes ignauiā, quàm latronem, qui te vinctum retinet, ne aurum eruditionis capessas? Quid item insidiatorem illum, nisi cupiditates, & mala mentis gaudia, vt ait Poeta: & ebrietatem, & petulantiam, & contumaciam, cæterasq; iuuenum pestes, quæ ad virtutem gradientes abripiunt, & voluptatib. quasi flumine lenissimo, sed periculosissimo tamen, immergunt. At qui harum legum & disciplinę beneficio, tanquam à fortiss. heroe, imò Deo ex tantis tamque præsentib. periculis iuuenes liberan-

berantur, neque liberantur solùm, verumetiam nouis præmijs ornamentisque donantur: iubet lex ad sacram cœlestemq; doctrinam omni cum reuerentia attentioneq; adeas: impellit ad Grammaticos, Rhetoras, Dialecticos, Mathematicos, Philosophos: vrget in circulo: disputare ac declamitare compellit: ornat clarorum virorum, ac doctissimorum testimonijs, id est præmijs afficere, atq; ad maiora capessenda incitare. Vetat ignauiam, domat libidinem, coercet cupiditates, ebrietatem damnat: ab alienis mentes, oculos, manus abstinere docet. Quid hoc aliud quæso est, quàm ab insidiatoribus, latronibus, veneficis, alijsq; pestibus liberare, vincula soluere, atq; in tutum collocare? Vt enim insanum hominem vel inuitum, si sibi aut alijs manus afferre velit, seruare, eumq; vinculis & cathenis constringere: sic iuuenes effrenatos legibus, disciplinæq; seueritate coercere debemus. Est enim disciplina iuuentutis medicina, exultantium & extra gyrum rationis excurrentium frenum, pudicitiæ propugnaculum, dux vitæ, vita virtutis. Nam vt corpora nostra sine mente, sic iuuentus sine disciplina suis bonis, ingenio, memoria, industria vti non potest. Quòd si tam magnæ, tam diuinæ vtilitates à quibusdam minus percipiuntur, id ætatis & cupiditatum fit vitio, non legum: quarum copiosissimi fructus in totam vitam redundabunt. Præclarè quidem Paulus

Tarsensis: Omnis, inquit, castigatio & disciplina, in præsentia non voluptatem, sed dolorem afferre videtur: verùm tandem salutarem virtutis fructum reddit ijs, qui per eam fuerint exercitati. Socrates dicere adolescentibus solebat, literarum virtutumque radices esse amaras, fructus verò suauissimos. O felices, qui amore virtutis officium faciunt, quod liberalia ingenia solent, non legum metu, quod plerunque improborum est: velut ille dixit,

Oderunt peccare boni, virtutis amore:
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

Atque idcirco leges non propter bonos, sed propter improbos potissimum latæ sunt, vt noster doctor Paulus testatur. Atq; vtinam, quod iurisperito cuidam Damonax dixit, hic in nostris legibus locum non haberet: leges nimirũ inutiles videri, vtpote quibus boni non egerent, improbi nihilo fierent meliores.

Vos verò adolescentes debetis in eorum numero haberi velle, qui pulchritudine virtutis accensi, suopte ingenio ad omnem laudem honestatemq; ferũtur. Id fiet, si legibus non vt carnificib. & tyrannis, sed tanquã ducibus salutaribus, & monitoribus iucundissimis vtemini. Qui enim legibus quidem nõ propter metum paret, sed eas sequitur atq; colit: quia id salutare maximè esse iudicat, is liber esse censetur. Nã & in ordinis conseruatione tanta pulchritudo,

tantaq;

tantaque suauitas inest, vt nihil sit in omni rerum natura & vita, quod nos magis delectare debeat: præsertim cum etiam ad animi vestri cultum sanitatemque pertineat. Si enim ciues in vrbe, si domestici in familia, si milites in acie, si apes & grues, si elementa, sydera, mundus, si denique omnia supera & infera ordinem seruant & legem: æquum est, vt vos qui ijs artibus operam datis, in quibus admirabili quadam consensione omnia congruunt ab vestro ordine ac disciplina honestissima nusquam discedatis: vt preceptoribus pareatis, vt bene monentibus auscultetis, vt nihil nisi eorum consilio tentetis. ineuntis enim ætatis inscitia, senũ constituenda & regenda prudentia est. Sunt vobis patres, non corporum quidem, sed quod longè grauius & sanctius est, animorum. Vos amant, vos curant, pro vobis vigilant & sudát, vestram dignitatem vtilitatemque procurant. Vestrum igitur est vicissim eos diligere, vereri, colere: ex his quosdam deligere, quorum consilio atq; autoritate nitamini. Quod si feceritis, omnia erunt vobis facilia, expedita, commoda: nihil erit obseruatu difficile in legibus, nihil impeditum in artibus, nihil incommodum in vita. Contendite iuuenes ad propositam studiorum metam, & virtutis verticem: quò cùm perueneritis, honores, gratia, fama, diuitiæ, quies optata vobis abundè contingent. Si verò etiam pietatem, hoc est, Dei Chri-

ſtiq́ue Domini ſincerum cultum & amorem (qui quidem ſtudiorum veſtrorum, totiusq́ue vitæ ſcopus eſſe debet) adiunxeritis, ſcitote vos cælo chariſsimos, beatos atque immortales futuros: id quod non ego, ſed Chriſtus ipſe, Deus & conſeruator noſter ſemper prædicandus, nobis pollicetur. Dixi.

AESCHINIS ORATIO.

Memoria repeto, Athenienſes, Alexandrum in hac vrbe noſtra, ſtudijs liberalibus inſtitutum, Ariſtoteleisq; diſciplinis imbutum, mores noſtros, atq; ingenia noſtra didiciſſe. Ars ei regnandi tradita eſt. Animi eius magnitudinem atq; conſtantiam nouimus: liberalitatem atque clementiam experti ſumus. Proinde obſequijs (vt mihi quidem videtur) mitigandus eſt: non rebellione, non contumelijs irritandus. Quam contra nos indignationem animo concepit, facilè in beneuolentiam vertet: ſiquidem nos ſibi obſequentes, ſupplicesq; viderit.

DE.

DEMADIS ORATIO.

ADmirari ſatis non poſſum, viri Athenienſes, quid Aeſchini in mentem venerit, vt nobis quaſi formidinem incutiens, in deditionem & poteſtatem pueri nos venire moneat: & bellorũ ſtudijs, quibus ſemper floruimus, ſuadeat abſtinere. At vos Athenienſes, viri & incliti & maximi, Alexandri bellum perhorreſcitis? qui Megarenſes fudiſtis, viciſtis Corinthios, Lacedemonios ſuperaſtis: qui tot tantasq; regis Xerxis copias à finibus veſtris, domeſticis viribus vincendo propuliſtis: quibus vaſtum mare non ſufficiebat ad nauigandum, portus ad appellendum, terra ad ambulandum, flumina ad potandum: qui montes in planiciem deducebant, valles æquabant, maria pontibus ſternebant: quos tota vix Græcia capiebat, quorum iacula & tela ſolem opacabant. Rem ſanè ridiculam, ſi huius pueri temeritati obuiam ire non audeamus, qui tot prælijs, totq; triumphis pollemus. Subtili certè quodam cõſilio duces atq; oratores noſtros ſibi dari poſtulat, vt ſcilicet ſpoliatam vrbem cuſtodibus, ſuis tum ducibus, tum conſilijs vacuam, facilius prædetur atque diripiat.

FINIS.

M. ANTONII PAGANVTII FABVLAE, EX Aesopo Græco latinæ factæ.

Aquila & vulpes.

AQuila & vulpes amicitiam iniuerant, cumq; existimarent quotidiana consuetudine amicitia confirmari, statuerunt domicilia sibi vicina comparare. Aquila itaq; in præalta arbore nidum construxit, vulpes verò in propinquis virgultis ac dumetis fœtus suos edidit. Cum autem aliquando ad pastum inquirendum vulpes esset profecta, aquila pabuli indigens in illius lustrum inuolauit, & catulos sibi nidisq; immitibus escam futuros rapuit. Qua re intellecta, vulpes postquam reuersa est, non tam catulorum cædem doluit, quàm quòd illam vlcisci nequiret, quippe terrestris cum esset, volucrem aeriam persequi haudquaquam poterat. Quocirca stans procul, maledicta, quod etiam infirmissimo cuiq; factu facile est, in hostem coijciebat. Sed enim cùm post paulò quidam in agro capra facerē, aquila euolans partem quandum victimæ, atque vnà ignitos carbones sustulit, & in nidum imprudens intulit. Fortè autem accidit, vt vehemens eo tempore flaret ventus, quo quidem

dem factum eſt, vt ingens ſuſcitata flamma nidum corruperit, & pulli aquilæ, qui implumes adhuc erant, ſemiuſtulati ad terram deciderint. Quos vulpes impetu facto omnes coram aquila, atq; adeò in ipſius oculis deuorauit.

Fabula indicat, eos qui amicitiam violarint, licet ab ijs, quibus iniuriam fecerunt, ob eorum imbecillitatem impunè abeant, Deum tamen vltorem non effugere.

Aquila & Scarabeus.

LEpus aliquando actus ab aquila ad ſcarabei haram confugit, orans ſuppliciter, vt ab eo ſeruaretur. Scarabeus autem aquilæ obuiam factus ipſam rogabat, perq; Iouem ſumminum obteſtabatur, ne illum miſerum & ſupplicem interficeret, ne úe tenuitatem ſuam cõtemptui haberet. At verò ipſa indignabunda ſcarabeum ala ſummouit, & rapto lepore ipſum deuorauit: auolante autem aquila, auolauit etiam ſcarabeus vnà, vt illius nidum perdiſceret: ad quem cum veniſſet, oua deiecit, & comminuit. At illa grauiter ferens quenquam tantum facinus facere eſſe auſum, alterum nidum in ſubliminiori loco conſtruxit. Quem rurſum ſcarabeus itidem afflixit. Hîc verò aquila omnis conſilij inops ad Iouem, cui fertur eſſe ſacra, aſcendit, & in eius gremio tertium ouorũ

partū edidit, Deo ipsi commendans, ac suppliciter ab eo petens, vt illa veluti spem gentis custodiret. Tum scarabeus confecta ex fimo pilula ad Iouis solium ascendit, & pilulam in eius gremiū deiecit: quam cum Iupiter exurgens eijcere vellet, imprudens oua quoq; proiecit, atq; contriuit. De scarabeo autem cum cognouisset, talia illum perpetrasse, quo aquila vlcisceretur, quippe quæ non scarabeum modò iniuria affecisset, sed in ipsum etiam Iouem fuisset impia. Venienti ad se aquilæ Iupiter dixit, scarabeum tanti mœroris causam fuisse, neque ipsum omnino iniuria fecisse. Sed tamen cum nollet aquilarum genus funditus interire, scarabeum hortatus est, vt cum aquila pacem faceret, atq; ei recōciliaretur. Quod cum illi nequaquam persuaderi potuisset, Iupiter aquilarum partum in aliud tempus transtulit, cum scilicet scarabei nusquam apparent.

Fabula indicat, neminem esse contemnendum, quippe cum nemo adeò sit imbecillis, qui lacessitus iniuria vlcisci aliquando non queat.

Philomela & accipiter.

PHilomela more suo sedens super arbore canebat, quam cum accipiter famelicus vidisset, impetu facto rapuit. Illa autem cū videret sibi omnino moriendum esse, accipitrem suppliciter orabat vt sibi parceret: neque enim

enim se satis esse ad illius explendam ingluuiẽ debere eũ potius, si fames vrgeat, ad maiorem prædam se conuertere. Hic accipiter, Ne ego demẽs sim, inquit, si quod in promptu est, atq; adeò in manibus, dimittã, & ea quę nusquam apparẽt, quęq; omninò incerta sunt, persequar.

Fabula ostendit, homines similiter facere inconsultè, qui spe maiorum, sed quæ incerta sint ducti, quod est in manibus amittunt.

Vulpes & Hircus.

VVlpes & hircus cum sitirent, in puteũ sese demiserũt: cumq; bibissent, & hircus perquireret quo pacto illinc exiret. Ad eũ vulpes: Bono animo es, inquit. Nam mihi quiddã vtile & quod vtriq; saluti futurum sit, in mentem venit. Si enim te erexeris, & pedibus anteriorib. ad putei parietem applicueris, cornuaq; similiter proclinaueris, ego per terga tua, perq; cornua currens è puteo me eijciam, pòst deinde hinc te quoq; extrahã. Hic hircus promptum se paratũq; exhibuit, & vulpi officiũ, quod petebat pręstitit. Illa autẽ cum se eo pacto è puteo eiecisset, lætaq; ad os illius exultaret, hircus eã incusabat, quòd conuenta non seruasset. Tũ vulpes: Si tantũ mentis, inquit, possideres, quãtum in barba pilorũ, non antè descendisses in puteum, quàm quo modo inde exeundum esset, considerasses.

ſe id quoq; in vſum dominorũ facere dicebat, vt ex tali coitu plura ipſis oua naſcerẽtur. Tum verò feles, Quamuis multis, inquit, ijsq; perſpicuis abundes reſponſionibus: ego tamen adhuc ieiunus cum ſim, illis non acquieſco, itaq; illum interemit, ac deuorauit.

Fabula indicat prauam naturam, & malè agendi cupidam, etiam ſi deſint iuſtæ occaſiones, impudenter tamen ac palàm peruersè agere.

Vulpes.

Vlpes cum aliquando incidiſſet in laqueum, atq; inde abſciſſa cauda effugiſſet, tanto pudore afficiebatur, vt exiſtimaret ſatius eſſe mori, quàm eam vitam viuere. Quocirca decreuit hoc idem alijs quoq; vulpibus perſuadere, vt ſi qua fieri poſſet, communi turpitudine propriũ dedecus protegeret. Conuocatis itaque omnibus, cœpit illis ſuadere vt ſibi caudas abſcinderent, illá afferens cauſam, quòd membrum illud eſſet non modò indecorum & turpe, ſed etiam oneroſum, atque ipſis ſuperuacaneè appenſum. Ad quam vna illarum, Heus tu, inquit, niſi hoc in tuã caſuram eſſet vtilitatem, haudquaquam in commune conſuleres.

Fabula indicat, malos homines non beneuolentiæ ergò, neq; ad communem vtilitatem, ſed ad ſuum ipſorum commodum conſilia conferre.

Vulpes & Rubus.

VVlpes cum ſepem conſcendiſſet, lapſaq; iam propè eſſet vt caderet, auxilio ſibi futurum rubum apprehendit: ſed cum illius pedes rubi aculeis lacerarentur, dolens in hunc modum ad eum dixit, Heu mihi quàm longè opinione mea falſa ſum. Ad te enim auxilij cauſa confugeram, tu verò maius mihi damnum malumq; dediſti. Cui rubus, Nimirum erraſti, inquit, me apprehendere volens, qui reliquos prehendere ſoleo.

Fabula indicat, eodem pacto ſtultè facere homines, cum ad eos auxilij cauſa confugiunt, quibus natura inſitum eſt potius vt noceant.

Vulpes & Crocodilus.

CVm orta eſſet contentio de nobilitate inter vulpem & crocodilũ, multaq; ſuperbè & arroganter iactaret crocodilus de maiorũ ſuorũ ſplendore, quòd videlicet gymnaſiarchæ exercitationũq; publicarũ principes fuiſſent. Hic vulpes interfata, tametſi nihil ipſe dixeris, inquit, tamen vel ex cute ipſa apparet, te iam inde ab antiquis temporibus eſſe exercitatum.

Fabula indicat, homines mẽdaces re ipſa argui mendacij.

Galli

Galli gallinacei & perdix.

QVidam qui gallos gallinaceos domi habebat, emit & perdicem, cumq; gallis vt pasceretur dimisit. Quæ cùm ab illis malè affecta verberibus abigeretur, vehementem animo capiebat dolorem, quòd existimabat se talia à gallis pati, propterea quòd esset alienigena. Enimuero cum eos paulo pòst vidisset inter se pugnam committere, seq; mutuò vulnerib. afficere, omisso mœrore, Nihil est, inqnit, quòd ego posthac tristitia afficiar, cum videã illos etiam inter se præliari.

Fabula indicat, virum prudentem pati facile iniurias illatas ab ijs quos videt, ne à suis quidem abstinere.

Vulpes.

VVlpes Mimi domum ingressa, dum illius omnem supellectilem, instrumentaque singula rimatur, ac diligenter perscrutatur, caput laruæ inuenit affabrè factum. Quòd cum in manus sumpsisset, illud intuens, ô quale, inquit, caput, & cerebrum non habet.

Fabula est in eos homines, qui specie quidem corporis magnifici apparent, cæterùm animi consilio & ratione carent.

Carbonarius & Fullo.

Carbonarius fullonem rogabat, vt ad ſe accederet,& in eadem ſecum domo habitaret. Ad quē reſpondens fullo, Id haudquaquā fieri pote eſt,inquit. Periculū eſt enim ne quæ ipſe dealbauero,ea tu fuligine impleas.

Fabula indicat, inter diſsimilia ſocietatem non poſſe coire.

Piſcatores.

Qvidam piſcatores ſagenam trahebant, quę quoniam grauis admodū erat, prę gaudio exultabāt,exiſtimantes ſe magnum cepiſſe piſcium numerum: ſed cum eam in littus extraxiſſent,ac piſciculos quidem paucos, verùm permagnum in ea lapidem inueniſſent, magna eos incesſit animi mœſtitia & dolor: atq; id quidem non tam ob paucitatem piſciū, quàm quòd longè aliter ſpe antea præſumpſerant, qua ſe falli ęgerrimè ferebant. Tum ex illis quidam natu maximus, Nihil eſt ô ſocij, inquit,quòd tantum animo capiamus dolorem. Nam voluptatis & lætitiæ (vt mihi quidem videtur) ſoror eſt mœſtitia: propterea cum nos antea tantum voluptatis & lætitiæ animo cœperim9, neceſſe fuit ex aliqua re mœrore affici.

Fabula indicat, non oportere nos cum ſpe fallimur, animo angi.

Iacta-

Iactator.

HOmo quidam cum diu peregrinatus esset, tandemq; aliquando domum reuertisset, preter cetera que sese diuersis in locis viriliter fecisse multa iactabat, saltum Rhodi se saltasse prædicabat, quem nemo alius indidem Rhodo saltare potuisset, atq; huius rei testes qui interfuissent, habere se profitebatur. Tum quidam ex ijs qui aderant suscipiens inquit: Siquidem hæc vera sunt quæ prædicas, quid opus est testibus? ecce tibi Rhodus, ecce saltus.

Fabula indicat, omnem qui de aliqua re suscipitur, sermonem leuem esse & inanem, nisi ipsius rei demonstratio ac probatio in promptu atq; adeò ad manus sit.

Simia & Vulpes.

SImia cum aliquando in conuentu bestiarum eleganter saltauisset ac placuisset, princeps ab ipsis est constituta. Quam rem cum illi vulpes inuideret, fortè quadam animaduertit frustum carnis laqueo insertum. Quam obrem accersita simia illò eam adduxit, præferens thesaurum inuenisse: sed eo se nequaquam vti, quòd lege principi esset attributum. Illam itaq; vti principem hortata est, vt illud tolleret, simia confestim incōsultius accedens, in laqueum sese induit. Quo cum irretita teneretur, vulpem accusabat, quòd se prodidisset.

Ad eam vulpes, ô simia, inquit, tu ne cum sis adeò stulta, in bestias principatum obtinebis.

Fabula indicat, res temere susceptas infeliciter succedere.

Ranæ.

DVæ ranę in palude quadã versabantur, qua per æstum siccata discesserunt, & aliam inquirentes, puteum sanè profundum inuenerunt. Hîc earum altera, Quin, inquit, in puteum descendimus? Cui respondens altera, Si nos, inquit, aqua hîc quoq; difficiat, quomodo inde egrediemur?

Per quod admonemur, nihil nos nisi consulto aggredi debere.

Senex & mors.

HOmo quidam exactæ iam ætatis lignatũ in montem profectus, incisis lignis, & in humeros sublatis abijt. Cumq; ita oneratus multum viæ processisset, iamq; præ lassitudine deficeret, substitit deposito fasciculo, & mortem inuocare, vt ad se veniret, cœpit. Quę cum præstò fuisset, rogans quid esset, quamobrem sese inuocasset? Vt sublato, inquit senex, hoc onere, mihi imponeres.

Fabula indicat, omnes homines ita uiuendi cupidos esse, vt quamuis innumerabilibus ærumnis oppreßi & circum-

circumuenti videantur mortem optare, si tamen optio detur, viuere quàm mori præoptent.

Impoſtor.

QVidam pauper graui morbo implicitus centum boues Dijs immortalibus, ſi ex eo morbo conualuiſſet, vouit. Dij igitur, vt illius fidem experirentur, morbum depulerunt. At ille ſanus factus, cum boues non haberet, farinam aqua ſubactam in boum ſpeciem deformauit, atq; immolauit, ita ſe voto liberatum ratus. Dij verò cum illum pro ea mentis peruerſitate vlciſci vellent, viſi ſunt ei in ſomnis dicere, ſi ad littus acceſsiſſet, fore vt certo loco, & locum monſtrabát, mille Atticas drachmas inueniret. Ille autem è ſomno excitatus cum ingenti læticitia eò, quo dij vocabant, ſtatim eſt profectus. Cumq; aurum in littore diligenter quæreret, in piratas incidit, à quibus captus orare vt ſe dimitterent, inſtitit, pollicens ſeſe illis pro ſua redemptione mille auri talenta daturum. Sed piratæ nulla omnino illius verbis fide adhibita, mille eum drachmis vendiderunt.

Qua re admonemur, hominum mendacia Dijs odio eſſe.

Piſcato-

Piſcatores.

QVidam ad piſcandũ profecti, cum diu nequicquam laboraſſent, & nihil omnino, pręter animi moleſtiã cœpiſſent, iamq́ꝫ de diſcedẽdo cogitarent: ecce tibi thunnus maximi cuiuſdã piſcis, qui eum auidè inſequebatur. impetum fugiens, in ipſorum nauiculam inſilijt, quo illi capto cum ingenti lætitia domum abiêre.

Fabula indicat, id plerunq; largiri fortunam, quod ars præſtare non poteſt.

Maleficus.

QVidam maleficus Delphicũ Apollinẽ, vt eius numẽ tẽtaret, adijt, auiculamq́ꝫ manu comprehenſam, quam veſte occuluerat tenẽs, ad tripodem proximè acceſsit, Deumq́ꝫ ita percontatus eſt: Apollo de te ſcire velim, vtrum, quod ego manibus fero, viuũ ſit an mortuũ? Exiſtimans neceſſe omnino eſſe, illum altervtrum reſpõdere. Quòd ſi mortuum dixiſſet, ipſe illico viuam auiculam: ſin autem viuum, manu ſuffocatam mortuã erat oſtenſurus, vt vanam oraculi fidem faceret. At Deus maligna & peruerſa eius mente & cogitatione perſpecta, Heus bone vir, inquit, quid eſt quod me roges, cum in tua ſit poteſtate vtrum velis, vel viuũ quod tenes oſtendere, vel mortuum?

Fabu-

Fabula indicat, Deos nec decipi posse, nec quicquam omnino ipsos latere.

Aegrotus.

QVidam in summa inopia constitutus, in morbum grauissimum inciderat: cumq; desperata salute à medicis atq; omni adeò humana ope destitutus esset, ad Deos conuersus rogare eos suppliciter institit, votisq; se obligare, si quidem pristinam sibi sanitatem restituissent, sese rem illis diuinam centũ bobus esse facturum. Cæterùm vxori suę quærenti, vnde nam tãta illa quę Dijs polliceretur, esset habiturus, si côualuisset? Stulta es, inquit, quæ existimes sanitatem propterea mihi restitutum iri, vt tum demũ hæc à me Dij repetãt.

Fabula indicat, multos esse qui facilè polliceantur ea quæ se præstare posse minimè sperent.

EX LVCIANO.

Lucianus Nigrino felicitatem.

ESt tritum sermone prouerbiũ, Noctuam Athenas: quòd ridiculum sit, si quis eò noctuas ferat, vbi magna earum sit copia. Cui quidem ridiculo meritò obnoxius sim, si vis & copiæ orationis ostentandæ gratia librũ ad Nigrinum mitterem: hoc est verè noctuas Athenas. Nunc verò cum tantum velim mentem & sententiam meam tibi explicare, & quomodo in præsentia sim affectus, quamq; non

frigidè tua me cœperit oratio planum facere, videor mihi posse etiã effugere Thucydidium illud, quo dicitur, Homines inscitia audaces & temerarios, ratiocinatione autem ignauos & timidos fieri. Constat enim, me non tam inscitia quàm amore & studio discendi hæc ad te scribere esse ausum. Vale

M. ANTONII PAGANVTII fabulæ sex ex Ioan. Boccacio ex Italico in Latinum conuersæ.

Abramus Iudæus à Iannotto Ciuignio stimulatus Romam proficiscitur, atq; inde cleriocorum improbitate, & peruersa viuendi ratione perspecta, Lutetiam Parisiorum reuersus, Christianus efficitur.

EGo lectißimæ atq; ornatißimæ fœminę, olim fama atq; auditione accepi, magnũ quendam, & bonum virũ Lutetiæ fuisse, Iannotto Ciuignio nomen erat, hominem summa fide summaq; iustitia, qui mercaturam panni omnis generis maximam faciebat, atq; in eo magna & ampla negotia habebat. Huic cum quodam Iudæo nomine Abramo, homine locupletißimo, & item mercatore insignis fidei ac probitatis summa necesßitudo, & domesticus vsus intercedebat. Cuius quidem Iudæi

dæi ea erat doctrina, ea ſapientia, átq; ea morũ & vitæ integritas, vt ægrè ferendum Iannotto videretur tantum virum, tam prudentem religionis defectu ac vitio æternis cruciatibus mactatum iri. Quamobrem cœpit illum amicè & hortari, & monere, atq; etiam rogare, vt relictis Iudęorum erroribus, verá Chriſti religionem ſuſciperet & amplecteretur. Quá veluti omnium ſanctiſsimá atq; optimam videre erat indies floreſcentem illuſtrioré fieri, cũ interim Iudęorũ religio quotidie magis ac magis inclinaret ad occaſum, atq; ad interitũ recideret. Iudæus contrà dicere, nullá ſe neq; ſanctam neq; boná præ ſua credere, & vt in ea natus, ſuſceptus, inſtitutusq; eſſet, itidem in ea & viuere, & mori velle, neq; vlla vnquá vel ratione, vel auctoritate dę ea, quam à maiorib. acceperat, opinione deduci aut dimoueri poſſe. Quibus verbis nequaquam deterritus eſt Iannottus, imò verò paucis pòſt diebus in eandem ſententiam, atq; ijſdem ferè verbis illum eſt affatus, monens, miſcéſq; omnia, ſed craſſa & pingui (qđ aiũt) Minerua, vt mercatores ſolent, ſi qua poſſet ei perſuadere Chriſti inſtitutioné Iudęorũ ſuperſtitioni longe eſſe anteponendá. Atq; hic Abram⁹, quanq̃ in Iudęorũ lege ſummus erat, & doctor & magiſter, tamé ſiue ea, quá cũ Iannotto habebat, amicitia adductus, ſiue potius verbis, quę in os Iannotti hominis idiotę ſpiritus diuinus infũdebat, permot⁹, cœpit illius ſuaſionib.

aſſentiri & acquieſcere, ac paulatim mente & conſilio labare, ſed obſtinatione quadam (qui eſt illi genti proprius & peculiaris morbus) in propoſita ſententia perſiſtebat. Sed quanto ille pertinacior eſſe, tanto vehementius inſtare atq; vrgere Iannottus, vſq; dum Abramus fracta tandem atq; expugnata eius pertinacia manus dedit, atq; heus Iannotte (inquit) quandoquidem ita tibi omnino placet, atq; adeò obnixè operam das, vt ego Chriſtianus efficiar; en do, quod vis: ſed priusquam id facio, Romã ire certum eſt, atq; ibi eum videre, quem tu in terris Dei vicarium eſſe dicis, illiusq; & reliquorum religionis veſtræ antiſtitũ vitam moresq; contemplari & conſiderare quales ſint: Quod ſi eos inuenero, ex quibus conijcere poſſim veſtra inſtituta noſtris potiora eſſe, quemadmodum tu mihi toties perſuadere conatus es, nihil cunctatus, Chriſtum, quod iam ſum pollicitus, profitebor: ſin minus, in qua hactenus fui hæreſi permanebo. Hæc cum audiſſet Iannottus, magno ſanè dolore ac moleſtia affectus eſt, atq; ita ſecum tacitus loquebatur: Hem opera & labor, quem mihi optimè videbar collocaſſe, dum iſtum ad verum & rectum Dei cultum conuertiſſe & traduxiſſe arbitror, omnis perijt. Nam homo, ſi Romam proficiſcitur, ibiq; impuram & ſceleratam clericorum, quod vocant, vitam videat, tantum abeſt vt ex Iudæo Chriſtianus fiat, vt etiam Chriſtianus ſi ſit,

ſit,ad Iudæos ſit remigraturus,& ad Abramum conuerſus,Quęſo amice,inquit,quid eſt,quam obrem ſuſcipias tantum hunc laborem, tantumq; ſumptum, quantus tibi in hoc iter Romam erit inſumendus? Vt nunc omittam pericula,quæ homini diuiti, qualis tu es, terra mariq; propè infinita intenduntur & impendent. Num fortè vereris ne non hîc ſint, qui te ſacro fonte, qui baptiſmus nuncupatur, ritè abluant? Quòd ſi ea, quæ à me de fide & religione dicuntur, aliquam tibi dubitationem afferunt, vbi nam gentium grauiores aut ſapientiores religionis magiſtri & doctores inueniuntur, quàm hîc, qui omnem tibi ex animo dubitationem & ſcrupulum tollere atq; euellere poſsint, & omnia quæcunq; voles aut requires, explicare? Quibus quidem ex rebus fit, vt hæc tua profectio mihi ſuperuacanea eſſe videatur. Ac ita velim exiſtimes tales eſſe ſacrorum pręſides & cuſtodes Romæ, quales hîc quotidie videre potuiſti, atq; eò etiam meliores, quo principi paſtori viciniores ac propinquiores ſunt. Quocirca ſi me audies,ſuperſedebis in pręſētia hoc labore iteneris, & in illud ſolenne ac ſtatum tempus differes, annum ſecularem iubilæi appellant, cum ex vniuerſis terrarum orbis partibus Romam concurſus omnium gentium religionis cauſa fiunt,quo tempore ſocium me & comitem fortaſſe habebis. Ad hæc Iudæus: Credo, inquit, Iannotte, ita

esse quemadmodũ narras: sed vt in pauca conferam, ita animum induxi, si modò vis, quod à me tantopere cõtendisti, vt faciam, Romã proficisci: aliter nihil est, quod speres me quicquã eorum quæ flagitas, esse facturum. Hîc perspiciens Iannottus firmum illius propositũ, Fortunet, inquit Deus qđ incœptas, existimans q́ue fore, vt si ille vel semel Romanæ aulæ deprauatos perditosq; mores cognouisset, nunquã Christi religionem susciperet. Sed quoniã nihil inde ad se detrimenti erat peruenturum, hominẽ dimisit. Iudęus cum in equum ascendisset, Romã quammaximis potuit itineribus contendit. Quò cum peruenisset, à Iudæis qui ibi domicilia habebãt, hilarè atq; honorificè fuit acceptus. Interea dum ibi commoratur, simulás se alia omnia agere quàm quod agebat, (nam nulli omnino consilium suum quamobrem eò esset profectus, aperuerat) cœpit intẽtissima cura in Pontificis max. Cardinaliumq;, & reliquorum ecclesiæ, aulæq; principũ vitam intueri, & præterquam quòd ipse homo erat acutus, & natura vsuq; callidus, à quibusdã etiã fuerat edoctus, animaduertit omnes summos, medios, infimos effrenata quadam & inaudita libidine ferri: neq; ea solum quę est secundum naturam, sed ea etiã, quæ non tantum natura aspernatur & abhorret, verum etiam omnes & humanæ & diuinæ leges prohibent, & seuerissimè vindicant: atque eò res adductas esse, vt impu-

impudicarum mulierum & puerorum exoleto rum,qui ſpecie corporis & ætatis flore cõmendarentur, gratia plurimum ad omnia quamuis ſumma impetranda momenti haberet. Præterea planè perſpexit,vniuerſos adeò intẽperanter ac pecudis modo gulæ ventriq; inſeruire,vt ad hoc nati eſſe viderentur, vt ederent & biberent,imò verò vt helluarentur, & ſeſe ingurgitarent. Ad hæc ita ardentes inflãmatosque rapi ad diuitias vidit, vt humanum atque adeò Chriſtianum ſanguinem,& omnia diuina,quę cũq; illa eſſent,ſiue ad ſacrificia,ſiue ad ſacerdotia pertinerent, venalia quæſtuique haberent. Atque harum quidem rerum vendendarum & emendarum plures erant Romę ſequeſtres & interpretes,quàm Lutetię aut panni aut aliarum quarumuis mercium. Tum verò nefariæ ambitioni & turpiſsimæ ſacrorum nundinationi,(vulgò Simonia dicitur) procurationis nomen indiderant: gulam autem & voracitatem ſuſtentionem vocabant: perinde quaſi Deus (mitto vocabulorum vim) peſsimas hominum cogitationes non introſpiciat, ſed rerũ fictis nominibus falli ſe ac decipi ſinat. Hæc omnia & multa prętерea, quæ tacitè mihi prętereunda ſunt, quòd ſatis honeſtè cõmemorari nõ poſſunt,cũ Abramo homini ſobrio & modeſto ſummopere diſplicerent, ſatisq; ſibi ipſe videretur perſpectã habere clericorũ vitam, ſtatuit

Lutetiam ad ſuos reuerti : itaq; fecit. Quod vbi reſciuit Iannottus, tametſi nihil minus ſperaret, quàm illum Chriſti religionem ſuſcepturum, lætus tamen accurrit, ibiq; homines amiciſsimi mutuis inter ſe amplexibus oſculisque, ita vt fit, gratulati ſunt. Cumq; iam aliquot dies Abramus quieuiſſet, illum percontatus eſt Iannottus de ſummo, & de reliquis item Pontificibus, ac Rom. aulæ ſectatoribus, quid ſibi videretur. Peſsimè ſtatim Iudæus reſpondit, peſsimè, inquam, quod illis, quot quot ſunt, Deus faxit. Nam quantum oculis & cogitatione perſpicere potui, nulla in quoquam, qui clericatum, quem dicunt, modò profiteretur, ſanctitatis, caſtitatis, pietatis, ſobrietatis, aut alicuius rectè facti, nedum exempla, ſed ne veſtigia quidem, aut vllam omnino ſignificationem animaduerti. Contra autem luxuriam, impietatem, auaritiam, gulam, fraudem, inuidiam, ſuperbiam, & alia id genus, atq; adeò peiora (ſi tamen peiora inueniri poſſunt) vitia regnare, ac ſummo in honore & precio eſſe, adeò vt illa non fidei ſedes, nec religionis domicilium, ſed officina nequitiæ, & diuerſorium flagitiorum omnium meritò appellari poſsit. Quod niſi me animus & coniectura fallit, cùm ſummus veſter ille Paſtor, tum verò reliqui omnes certatim in id incumbere, atq; eò curas omnes, cogitationes, ſtudia, induſtriam conferre videntur, vt Chriſti religionem,

nem, cuius ipsi columnę ac propugnacula esse deberent, ad nihil reducant, & ex mundi finibus exterminent. Quocirca quoniam non illud quod ipsi moliuntur & student, euenire video, sed religionem vestram indies augeri clarioremq; & illustriorem fieri: meritò statuendum est, mea quidem sententia, sanctum spiritum esse illius veluti omnium verissimæ & sanctissimæ auctorem, suasorem, basim & fundamentum. Hinc fit, vt ego, qui antea tuis adhortationibus nihil commouebar, sed obstinatè in ea permanebam sententia, ne Christianus efficerer, nunc contrà mutata voluntate nihil mihi prius faciendum censeã. Age igitur ad templum accedamus, atq; ibi operam da, vt ego quamprimum ex more institutoq; sanctissimæ fidei & religionis vestræ abluar. Qua re audita Iannottus, quod erat præter eius spem atq; expectationem, incredibilem animo cœpit lætitiam, statimq; deducto homine ad ædem diuę Marię, quę Lutetię religiosissimè colitur, petijt ab æditius vt illum sacro fonte tingerent. Id quod ipsi simul atq; intellexerunt esse ex illius voluntate, protinus effecerunt. Et Iannottus illum suis manibus sacro fonti admouit, Ioannemq; nominauit, præterea ab optimis magistris in Christi religione atq; disciplina erudiendum curauit. Quam quidem ille & auidè percepit, & quo ad vixit, sanctissimè coluit & seruauit.

Iudæus quidam periculum, quod sibi à Saladino intendebatur, eleganti ac lepida fabella de tribus annulis vitat.

SAladinus, cuius ea virtus fuit, vt eum non ex infimo solum gradu ad regiam dignitatem perduxerit (nam Babylonijs imperauit) sed etiam multorum regum ac populorum victorem fecerit, cum & plurimis bellis quæ acriter gesserat & confecerat, & magnificentiam qua cum publicè, tum priuatim omnibus in rebus vtebatur, exhaustus esset, ac repentinus & inopinatus casus interuenisset, vt magna ei pecuniæ vi opus esset, nec videret vnde tam maturè, quàm res postulabat, contrahere posset, magnis curis distrahebatur: cum ei in mentem venit cuiusdam Iudæi, qui Alexandriæ pecuniam fœnori dabat. Hunc existimauit posse sibi, hac in re, tantum vellet, commodare. Sed ea erat hominis auaritia, vt id nequaquam sua sponte facturus videretur, & ille, qua fuit modestia, vim omnio facere nolebat. Quapropter vrgente necessitate omnem in eo animi cogitationem defixit, vt rationem iniret, qua huiusmodi pecuniam à Iudæo extorqueret. Tandem statuit vim ei, quæ honestatis speciem aliquam præ se ferret, adhibere. Illum itaque accersitum ad se cum familiariter accepisset, & sedere apud se fecisset, Vir optime, inquit, ex multis intellexi te magna

gna ſapientia præditum eſſe, & earum rerum, quæ ad cultum Dei religionemque pertinent, valde peritum. Quocirca de te libenter ſcirem, quam nam de tribus legibus, quæ tribus populis, Iudæo, Gentili, & Chriſtiano traditæ ſunt, veriſsimam iudices. Hic Iudæus, vt qui verè ſapiens erat, ſtatim Saladini percontationem captioſam eſſe ſenſit, & ſeſe ab eo inſidijs peti. Nam planè intellexit, eò rem ſpectare, vt quancumque illarum legum cæteris prætuliſſet, in eius ſeſe laqueos omnino indueret. Quare conſilij incertus, & reſponſionis egens, qua huiuſmodi laqueos, quos ſibi poſitos videbat, effugeret, cogitabundus aliquantiſper ſtetit, ſtatimq; ei inquirenti, atq; omni acie ingenij contemplanti oſtendit ſeſe, & occurrit, quod reſponderet: &, Sapientiſsime princeps, inquit, quam mihi nunc quæſtionem ponis, ſanè quàm elegans eſt: de qua priuſquam quod ſentio, dicam, fabella quædam narranda mihi eſt, quam rogo æquo animo audias. Memoria, ni fallor, teneo, me aliquoties audiuiſſe, magnum quendam, ac præpotentem diuitijs virum olim fuiſſe, qui præter gemmas & margaritas, quas in theſauro ſuo pretioſiſsimas habebat, miræ pulchritudinis annulum in delicijs habuit: cui cum pro illius pulchritudine & pretio honorem quantum maximum poſſet, habere vellet, eumque poſteris ſuis in perpetuum relinquere, ita ordinauit:

vt penes quencunq; filiorũ suorum post mortem suam istiusmodi annulus, vt pote à se relictus, inuentus esset, ille sibi hæres esset, illique tanquam maximo & honoratissimo cæteri fratres primas deferrent. Ille, cui annulus primò relictus fuit, eundem ordinem tenuit, nihilq; eorum quæ à superiore Domino obseruata fuerant, prætermisit. In summa cum iste annulus per manus traditus in multos successores translatus esset, tandem ad manus cuiusdam peruenit, cui tres filij, & dignitate corporis, & omnibus animi virtutibus ornati erant: quos, quoniam sibi omnibus in rebus morigeri & obsequentes essent, æquè omnes amabat. enimuero iuuenes, qui consuetudinẽ de annulo non ignorabant, cum singuli principem locum inter suos obtinere vellent, pro se quisq; patrem, qui iam erat exacta ætate, orabant, vt cum diem suum obiret, annulum sibi relinqueret. Homo qui miro omnes amore æqualiter prosequebatur, nec ipsemet cui potissimum relinqueret, eligere sciebat, iniuit modum, quo omnibus (cum iam omnibus singulatim promisisset) faceret satis. Accersito itaq; ad se egregio atq; optimo artifice duos alios annulos faciendos curauit tanta cum priore similitudine, vt ille ipse qui vt fierent iusserat, vix qui verus esset diiudicare posset. Et iam fermè moriens suum annulum singulis filijs secretò dedit. Illi mortuo patre, cum vnusquisq; pater

nam

nam hæreditatem ad ſeſe raperet, primumque ſibi locum vendicaret, nec inter eos conueniret, nemine alteri concedente, quo ſe non temere id facere oſtenderent, ſinguli ſuos annulos protulerunt tanta inter ſe ſimilitudine, vt qui verus eſſet dignoſci nequiret. Quo quidẽ factum fuit, vt in dubium veniret quis eorum patri hæres eſſet, quæ lis adhuc pendet. Eodem modo dè tribus legibus, tribus populis à Deo optimo maximo datis, de quibus quæſtionem mihi poſuiſti, dicendum arbitror. vnus enim quiſq; veram quaſi hæreditatem, veram legem ſe habere, ac vera Dei mandata ſe facere exiſtimat: ſed quis verè habeat quemadmodum de annulis dictum eſt, adhuc eſt controuerſum. Saladinus videns hominem inſidias ab ſe collocatas tam prudenter euitaſſe, conſtituit ei, quid neceſsitas ferret, aperire, & tentare an ſibi de eo, quod opus erat, accommodare vellet. Itaq; fecit, ingenuè confitendo quid facturus fuiſſet, niſi ille tam ſapienter reſpondiſſet. Iudæus liberaliſsimè Saladino omnem pecuniæ ſummam, quam popoſcerat, credidit: cui ille poſtmodum cumulatiſsime ſatis fecit, eumq; præterea multis ac magnis muneribus affectum, & in altiſsimo apud ſe loco conſtitutum in ſuorum amicorum numero ſemper babuit.

Guilielmus Borſerius Ermini Grimaldi, ciuis Genuenſis auaritiam lepidè ac facetè dicto perſtringit.

ERminius Grimaldus ciuis Genuẽsis fuit, apprimè nobilis, qui & fundorum amplitudine atque numero & pecuniæ vi non tantùm suæ ciuitatis, sed totius etiam Italiæ facile primus & erat, & habebatur: sed enim quanto ille cæteros omnes, qui tum in Italia essent, diuitijs superabat: tanto omnibus qui vbique vnquam auari & sordidi fuerint, auaritia & sordibus anteibat. Nam præterquam quòd in alijs honorandis restrictus erat & tenax, thecamque numariam religiose obsignatam tenebat, in ijs etiam rebus quæ ad sui ipsius corporis vsum cultumque opportunæ erant & necessariæ, adeò obsoletus, sordidusque erat, vt contra communem Genuensium morem, qui splendidè ac magnificè vestire con sueuerunt, ne minimum impendium faceret, maximas incommoditates cum summa infamia pateretur. Nec in ijs quæ ad cibum, quæq; ad potionem pertinent, largior aut liberalior erat. Propterea factum erat, vt Grimaldorum nomen amiserit, tantumq; modo Erminius Auaritia ab omnibus vocitaretur. Ea tempestate cum iste nihil impendendo rem familiarem au geret, fortè euenit, vt aulicus quidã homo prudens, ac bene moratus, & vir planè bonus, atque in dicendo suauis & ornatus Genuam venerit, Guilielmus Borserius appellabatur: haudquaquam similis nostrorum aulicorum, qui non sine maximo dedecore corruptorum

ac perditorum morum eorum hominum. qui hoc tempore nobiles & principes viri dici & haberi volunt, Aſini potius appellandi ſunt, & in fœditate omnis næquitiæ educati, quàm in aula. Nam vt illius temporis aulicorum mos & conſuetudo fuit, omni cura & labore, vbi lites ac diſsidia intercederent, pacem & concordiam conſtituere, matrimonia & affinitates coniungere, amicitias conciliare, lepôre ac facetijs defatigatos audientiũ animos recreare, aulasque ſermonis feſtiuitate exhilarare. Præterea improbos homines, eorum vitia parentum modo reprehendendo, à malè agendo deterrere, idque nullis aut admodum leuibus propoſitis præmijs. Contrà noſtri hoc tempore in deferendis vltrò citroque inter amicos criminationibus, in ſerendiſque diſſenſionibus ſtudium omne ſuum atque operam ingenioſe ponunt: adeoque impudentes ſunt & intemperantes, ut palàm, atque adeò in omnium hominum ore & oculis turpiter & flagitioſe non loquantur modò, verumetiam, quod eſt longè peius, agant, dedecoraque & turpitudines facta atque infecta fingentes, ſibi mutuò exprobrent. Nec verò ipſis ſatis eſt, omnibus ſeſe vitijs & ſceleribus contaminare, malitioſis etiam blanditijs homines nobiles alliciunt, & in omne flagitij ac turpitudinis genus abducunt. Atque ij demum apud perditos profligatoſque

Principes gratiosi sunt, cariq; habentur, magnisq; & præmijs & honoribus extolluntur, qui turpiora ac magis execranda & loquuntur, & faciunt. Magnum profectò ac detestabile præsentis seculi dedecus, certissimumq; argumentum virtutis hinc abijsse, ac miseros mortales in vitiorum sentina reliquisse. Sed vt iam eò vnde iusta indignatione longius, quâm voluntas fuit, nostra digressa est oratio, reuertamur: hic, inquam, Guilielimus ab vniuersa Genuensium nobilitate, & honorificè & gaudentibus libentibusq; omnium animis acceptus fuit. Cumq; in ea vrbe dies aliquot commoratus esset, multaq; Erminij istius dicta ac facta auarè sordideq; intellexisset, voluit hominem videre: ad quem cum venisset Erminius, vt qui antea audiuerat hũc Guilielmum hominem esse prę̨stantem, virumq; egregium, quamuis esset auarus, nonnihil tamen eius humanitatis, quam à familiæ suæ nobilitate hauserat, retineret, verbis illum amicis, hilariq; vultu recepit. Cumq; multus inter eos sermo de rebus varijs ortus esset, Erminius Guilielmum vnà cum nonnullis Genuensib. ciuibus, qui cum eo erant, in domum quandam pulchram sanè, quam ipse nuper magnificè ædificauerat, deduxit. Cumq; vniuersam particulatim ostẽdisset, Quæso te Guilielme, inquit, tu qui multa vidisti & audiuisti multa, potes ne mihi rem vllam, quę nusquam visa vnquam sit, commonstrare,

quam

quã ego in exornatione cœnaculi huius meæ domus depingendam curare posſim? Hic Guilielmus tam inſulſa, tamq; inepta percontatione commotus: Nihil equidem, bone vir, inquit, quod nunquam viſum ſit, niſi fortè aut ſternutamentum, aut quippiam huiuſmodi, oſtendere poſſum: ſed rem vnam tibi, ſi libet, indicabo, quam te nunquam vidiſſe exiſtimo. Erminius, quippe qui nõ ſuſpicaretur eum reſponſurum eſſe, quod reſpondit: Dic mihi obſecro te, inquit, iſtud quidnam eſt? liberalitatem, inquam, ſtatim Guilielmus reſpondit, cenſeo pingendam eſſe. Qua re audita Erminius tanto confeſtim pudore correptus fuit, vt animum illum, quem ad illũ vſq; diem habuerat auaritia contaminatum & corruptum penitus immutauerit, atq; omnio exuerit. & ad Guilielmum conuerſus, Ita inquit, liberalitatẽ domi meę poſt hac depictam expreſſamq; habiturus ſum, vt neq; tu, neq; alius quiſquam dicere meritò poſsitis, me eam nec vidiſſe, nec cognouiſſe: & ex eo tempore (tanta vis in Guilielmi verbis fuit) nemo Genuæ liberalior aut benignior Erminio fuit, nec qui honorificentius hoſpites eiuſq; iuxtà tractauerit.

Rex Cypri mulieris Aquitanæ dicto commotus, ex inerti & diſſoluto ſtrenuus atq; induſtrius efficitur.

REgnante primo Cypriorum rege poſt receptam à Gottifredo Bulione ſanctam, quam

quam vocant, terram: fortè euenit, vt Matrona quędam Aquitana, cum à Christi tumulo, quo religionis causa iuerat, reuerteretur, in Cyprumque appulisset, à quibusdam scelestis ac nefarijs hominibus indignissimè fuerit accepta. Quàm rem iniquè ferens mulier statuit ad Regem eos deferre: sed cum ei dictum fuisset, laborem illam frustra suscepturam. Regem enim adeò inertem, adeò nihili esse, vt graues iniurias, quæ sibi quotidie & penè innumerabiles fierent, seruilem in modum ferret, tantum abesse vt alienas propulsaret. Ex quo fieri, vt si quis quid in animo ægrè habeat, in eum non sine aliqua insigni iniuria euomat. Tum verò mulier omni spe vlciscendæ iniuriæ deiecta, decreuit tamen consolationis causa Regis inertiam ac stuporem mordere. Ad eum igitur profecta, cum in eius conspectum venisset: Heus non eò, inquit, ad te venio, quòd te sperem meas iniurias persecuturum: sed vt abs te, quem iniuriarum illatarum patientissimum esse intelligo, discam, quo nam pacto eas, quæ mihi inferuntur, patienter feram: quas tibi medius fidius, quando eas tam fers æquo animo, non illibenter, modò fieri posset, impertirem. Age igitur doce me, amabo, quî nam illas tam moderatè feras. Tum Rex, qui ad eam vsq; diem ita tardus stupidusque fuerat, vt stipitem, non hominem dixisses, ex altissimo quasi somno excitatus, initio à mulieris

mulieris iniuria, quam acerrimè vltus eſt, facto, quicquid dehinc aduerſus Regiam Maieſtatem commiſſum fuiſſet, ſeueriſsimè vindicauit.

Philippa quædam Pratenſis fuit, quæ à marito cum amatore in adulterio deprehenſa, & publico iudicio rea facta, celeri a feſtiua reſponſione periculum, quod ſibi creabatur, vitat, facitque vt legi modus adhibeatur.

PRatenſium, quod oppidum eſt in Hetruria, per iniqua ſimul & crudelis lex fuit, qua promiſcuè cauebatur, vt æquè igni cremaretur mulier, quæ amatori ſuo amoris cauſa copiam ſui feciſſet, ac ſi pecunia pudicitiam proſtituiſſet. His temporibus, cum maximè lex vigeret, fortè euenit, vt matrona quędam nobilis ſanè & eximia forma, & præter cæteras amore ardens, cuius nomen Philippa, noctu in proprio cubiculo à marito in complexu cuiuſdam Lazarini, nobiliſsimi iuuenis & municipij Pratenſis ſpecioſiſsimi, quem illa perinde atque ſe ipſam amabat, deprehenſa fuerit. Quo quidem viſo accenſus ira Raynaldus, (id enim erat viro nomen) vix ſe continuit, quin impetu facto vtrunq; occideret: & niſi vitæ ſuæ timuiſſet, rem omnino confeciſſet. Sed tamen ſibi temperare non potuit, quin quando ſibi priuatim non licebat, violatæ pudicitiæ pœnas ab vxore expetere,

id per legem exequeretur. Quapropter probã tionibus ad conuincendum crimen idoneis ſã tis inſtructus, vbi illuxit, non mutato conſilio, mulieris nomen ad magiſtratum detulit, eamq; in iudicium vocauit. Illa magni (vt ferè ſunt quæ verè et ex animo amant) animi quãuis multi & amici & propinqui, vt ne id faceret, deterrerent, ſtatuit omnio in iudicium ire, & forti animo mori malle verum confitendo, quàm per contumaciam fugiendo turpiter in exilio perpetuò vitam agere, & ſe illo amatore dignam negare, cuius in complexu ſuperiore nocte deprehenſa fuerat. Quocirca cũ magna mulierum ſimul & hominum caterua, omnibus vt negaret adhortantibus, cum in prętoris conſpectum veniſſet, conſtanti vultu & voce eum rogauit, quid nam eſſet, quamobrẽ ſe accerſiuiſſet? Prætor illam intuens (erat enim luculentiſsima forma, moribus elegantiſſimis, & maximo, quãtum ex illius verbis con ijci poterat, animo) miſericordia motus eſt, veritus ne illa fortè aliquid confiteretur, quo ſibi neceſsitas imponeretur, capitis eam (cũ aliter ſaluo ſuo pudore facere non poſſet) condẽnandi. Sed tamen officio quo fungebatur adductus, eam de crimine, quod intendebatur interrogauit: Mulier, inquiens, vir tuus (vt vides) de te maximopere conqueritur: quippe quam cum adultero ſe deprehendiſſe dicit, & ideo petit, vt de te ſecundum legem ſuppliciũ ſu-

ſumam : ſed id mihi facere, niſi tu de crimine confiteare, non licet: vide ergo quid reſpondeas, & mihi ſimul dic, num quidnam verum ſit, quod tibi à viro obijcitur? Tum mulier forti & præſenti animo, ſatis leni voce, Haud equidem eo inficias, inquit, virum meum Raynaldum eſſe, meq; ſuperiore nocte cum Lazarino, quo cũ & aliàs ſępe veri ac ſinceri amoris cauſa fui, deprehenſam fuiſſe, neque vnquam poſſem in animum inducere vt id negarem: verùm (quod tu minimè ignoras) leges communes eſſe debent, nec ſine eorum omnium quorum intereſt, conſenſu & voluntate ſanciri. Quorum neutrum in hac lege ferenda factũ eſt, vt quæ miſeras tantum atq; afflictas fœminas tenet, & morte cohercet: cum tamẽ ſingulæ multis viris longè facilius poſſent, quàm ſinguli homines ſingulis mulieribus ſatisfacere. Pręterea nulla mulier ne in conſilium quidem fuit, cum lex ferretur, adhibita, tantum abeſt vt in eam cõſenſerit: ex quo fit, vt iniuſta & iniqua meritò dici poſsit. Quod ſi tamẽ in meam perniciem, quod illa iubet, omnio exequi certum eſt, teq; tam nefario ſcelere contaminare, in tua eſt manu. Sed te vnum oro, vt priuſquá feras ſententiam, maritum meum roges, ecquam rem vnquam à me voluerit, in qua non ego illi morigera fuerim: & ecquid mei ipſius, vbi ei libitum fuit, ſine vlla repulſa copiam fecerim, nec ne. Hoc loco Raynaldus non expe-

ctato, dum à prætore rogaretur, extemplò respondit, se quidem nihil ab ea vnquam petijsse, quin cum bona gratia impetrarit. Quid ergo, statim mulier subiecit, prætorem intuens, si de me ille semper, quod sibi opus fuit, quod libuit, effecit, quæro de te quid mihi de eo quod reliquum est, faciendũ fuerit, aut etiam nunc sit, num canibus proijciendũ? Non ne multo satius est homini nobilissimo, & qui me vita sua cariorẽ habet, id gratificari, quàm pati vt aut perdatur, aut corrumpatur? Tum lepidam ac facetam percontationem Pratenses, qui eò ferè omnes, vt quæstioni tam egregię fœminę interessent, concurrerant, maximo risu exceperunt. Deinde ab omnibus vno ore succlamatum est, mulierem ius petere, ac optimè loqui, nec inde prius discessũ est, quàm & lex tam crudelis hortatu inprimis & suasu Prætoris modificata est, & latum, vt eas tantum fœminas teneret, quæ coniugij fidem pecunia violassent. Quare confusus ac perturbatus Raynaldus, & incœpti pœnitens ex iudicio discessit. Mulier verò læta, vtpote quæ è media quasi flamma euaserat, cum ingenti gloria domum suam reuersa est.

Quidam

ELENCHVS EORVM QVAE in Olympiæ Moratæ operibus continentur.

I. In Ciceronis Paradoxa, proœmia pag. 1

II. Pamphilus ex Ioan. Boccacij Decamerone, Olympia interprete 18

III. Neiphile, ex Boccacio 36

IIII. Dialogus Olympiæ primus 42

item secundus 52

V. Epistolarum Olympiæ lib. primus 65

item secundus. 130

VI. Psalmorum quorundam Olympiæ, interpretatio 225

VII. Epigrammata Olympiæ 235

VIII Epitaphia diuersorum 241

IX. Ecloga Caspari Stiblini 259

Hippolytæ Taurellæ epistola 267

epitaphium 271

X. Cœlij S. C. selectarũ epistolarum lib. primus 273

item secundus 339

XI. Literarum & mercaturæ comparatio 351

XII. Libros Rhetoricorum ad Herennium non esse Ciceronis 362

XIII. De ratione studij ac styli 383

XIIII. Agrippæ oratio contra monarchiam 395

XV. Mecœnatis oratio pro monarchia 409

XVI. De ingenuis artibus 442

XVII. In Nicolaum Inuitiatum, funebris oratio 452

XVIII. In scribarum collegij Ticinensis laudem, oratio 458

** 3

XIX. In Ioan. Iacobum Gambaram oratio funebris 465
XX. In Rolandum Trouamalum Salensem, oratio 470
XXI. Cœlij S. C. oratio Basileæ habita 478
XXII. De honore oratio 480
XXIII. In Basiliensis Academiæ institutorum promulgatione, oratio 498
XXIIII. Aeschinis oratio 510
XXV. Demadis oratio 511
XXVI. M. Antonij Paganutij fabulæ aliquot ex Aesopo conuersæ 512
item quædam ex Ioan. Boccacio, ex Italico conuersæ 526

FINIS.

Quidam eques, cum aliquot annos apud Regem Hispaniæ fuisset, nec sibi ab eo pro suis meritis gratiam referri existimaret, certißimo exprimento ab rege edocetur, culpam non in se, sed in illius fortunam reyciendã esse, magnis postmodum ab eo muneribus affectus dimittitur.

EX multis equitibus, quos vrbs Florentia multis abhinc annis clarissimos habuit, vnus fuit, atq; haud scio an omnes virtute & splendore superarit Rugerius Figiouannus. Is cum diues, & magni præterea animi vir esset, atq; honoris maximè cupidus: cuius adipiscendi, cum videret nullam sibi facultatem in Hetruria esse, quippe vbi nulla ostentandæ virtutis occasio daretur: statuit apud Alphonsum Hispaniæ regem, qui fama & virtute omnes eius tempestatis reges facilè antecibat, aliquandui esse. Quapropter armis equisq; pro sua dignitate comparatis, cum satis honesto comitatu ad eum in Hispaniam proficiscitur: vbi benignè atq; humaniter ab eo acceptus, splendidè, pro ut animi illius magnitudo postulabat, viuendo, & quotidie aliquod egregium edendo in armis facinus, in magnam breui claritudinem peruenit. Sed cum ibi persanè diu cõmoratus esset, perq; diligẽter in Regis mores intueretur, animaduertit eũ alijs oppida, alijs vrbes, alijs alia id genus munificè largiri, idq; nullo delectu, vt qui p̃ępe haud satis

dignis effuse multa donaret: sibi verò, qui se nihilo minoris, quàm erat, æstimabat, nihil cum donaretur, non paruin ea re de sua fama diminutum iri existimauit. Quamobrem de discedendo consilium cepit, & ab rege commeatum petijt: quem ille libenter sanè concessit, & præterea mulam, qua nulla vnquam nec pulchrior, nec melior visa fuerat, ei dono dedit, quam Rugerius propter longum iter quod erat facturus, carissimam habuit. Ad hæc Rex cuidam ex domesticis suis summa prudentia ac dexteritate ad omnia homini, & cui summam omnium rerum fidem habebat, negotium dedit, vt ea ratione quæ sibi melior videretur, comitem se itineris Rugerio adiungeret, ita tamē ne ab se missus videri posset, omniaq; quęcunq; ab eo de se dicerentur, exciperet, sibiq; renunciaret, & postridie quàm discessisset, ei imperaret, vt retrò ad se reuerteretur. Is cum diligenter obseruasset Rugerium, vbi eum ex vrbe egressum videt, arrepto tempore se quoq; in Italiam habere iter assimulans, ipsi comes fit. vnà igitur iter ingressi cum essent, & Rugerius mula, quam à Rege dono acceperat, veheretur, ad horam diei fermè tertiam vario sermone progressi erant: & ille, Quin, inquit, iumenta curamus? In proximum itaque hospitium diuertunt, vbi reliqua omnia iumenta, præter mulam, vrinam faciunt, quibus curatis proficiscuntur, cum interim qui-

ab

ab rege miſsus fuerat nuſquam à Rugetio oculos aut animum dimoueret, omniaq; quęcunq; ab eo dicebantur, animaduerteret atq; notaret, ad flumen quoddam perueniunt: iumentis bibendi poteſtatem faciunt. Ibi mula in medio flumine vrinam reddit. Quod vbi vidit Rugerius, Dij tibi, inquit, malè faciant beſtia. nam Domini, qui te mihi dono dedit, ſimilis es: quod ſtatim regis domeſticus arripuit, & vt multa inter eundum cum eo totum, quam longus fuit, diem, excepiſſet: nihil tamē aliud, niſi cum ſumma laude regis dictum ex eo audiuit. Poſtero die in Hetruriam verſus iter facturi, equos iam cōſcenderant, cum ille regis mandatum Rugerio expoſuit: quo audito nulla interpoſita mora retrò reuerſus eſt Hoc loco rex, cum iam quod ille de mula dixerat, reſciuiſſet, ad ſe hominem vocari iubet, hilari vultu accipit, rogat, quamobrem aut ſe cum mula, aut ſecum mulam contuliſſet. Cui Rugerius haud diſsimulanter, Ego tibi illam propterea comparaui, inquit, quòd quemadmodum tu in eos, in quos minimè decet, liberalis es atq; munificus, in eos verò qui digni eſſent, quos tu omni genere liberalitatis amplecterere, nihil omnio confers: ſic illa vbi locus non erat vrinam fecit, vbi verò erat locus, nequaquam. Tum Rex, quòd nihil tibi antea donauerim Rugeri, inquit, quemadmodum multis feci, qui præ te nullius omnio precij erant, non eò

id feci, quòd te prçſtantiſsimum hominem, & maximo quoq; munere ac laude digniſsimum non iudicauerim,non id ego peccaui,inquam, ſed fortunæ tuæ malignitas mihi obſtitit, idq́; ita eſſe planũ iam faciam. Et Rugerius, Quod nullum mihi vnquam donum dederis, inquit, non commoueor, vt pote qui copijs & diuitijs affluens nihil huiuſmodi deſiderabam, quo videlicet fierem ditior: ſed te nullum omnio vlla in re virtuti meæ teſtimonium tribuiſſe, id verò vehementer doleo, excuſationem tamen tuam tamq́; iuſtam & honeſtam facile accipio, & ad tuæ obſequendum voluntati promptus paratusq́; ſum: tàmetſi ſine vlla teſtificatione tibi facile adducor vt credam. Cui Rex, cum eum in amplum ac magnificum cœnaculum duxiſſet, vbi (quemadmodum ipſe antè conſtituerat) duæ arcæ plenæ, atque obſignatæ erant, multis præſentibus. Harum in altera, inquit, (arcas oſtendens) eſt diadema, ſceptrum, pomum, multa præterea miræ pulchritudinis inſignia regia, cingula, claui, armillæ, torques, annuli, & quicquid gemmarum margaritarumq́; carius ac precioſius habeo: altera terræ plena eſt. Vtram igitur mauis ſume, & quam ſumpſeris tibi habe. Tum poteris intelligere, ego ne in te virtutemq́; tuam ingratus fuerim, an fortuna tua. Hic ille, poſtquam regi ita placere cognouit, alteram optauit. quam cum rex reſignari atq; aperiri iuſ-

ſiſſet,

DEO IMM. S.

Et virtuti ac memoriæ Olympiæ Moratæ, Andreæ Fulvij Morati Ferrarienſis philophi filiæ, Andreę Grunthleri medici cõiugis lectiſsimæ fœminæ, cuius ingeniũ, ac ſingularis vtriuſq; linguę cognitio, in moribus antè probitas, ſummũque pietatis ſtudium, ſupra cõmunẽ modum ſemper exiſtimata ſunt. Quod de eius vita hominũ iudicium beata mors ſanctiſsimè ab ea obita diuino quoq; cõfirmauit teſtimonio. Obijt mutato ſolo à ſalute D. L. ſupra mille. S. ętatis xxix. Hic cum marito & Æmilio fratre ſepulta.

Guilielmus Raſcalonus M. D. B. B. M. M. P. P.

Edelbergæ ad Diuum Petrum lapidi inciſum.

D. O. M. Trino & Uni S.

Andreæ Gruntlero Sueuifur diano, magnæ peritię viro, Medico & philoſopho. Qui ſimulatque ſchola, in qua vixdum ab exilio profiteri artem cœperat, peſtis metu hîc diſſiparetur, ſolui à corpore exoptauit, proque voto ſolutus eſt, non tędio ſolo amiſſæ incomparabilis exempli ſocię ac coniugis Mineruæ ſuæ (erat enim in omni fortuna homo modeſtiſſimꝰ) ſed vt ex dēſa hac rerū cœleſtium ignoratione in lucē traductus, aberrationib. Deum non amplius offenderet. Hîc in ſpem reſurrectionis quieſcenti ſodalis ſodali, Medicus Medico Guilhelmus Raſcalonus poſuit.

AD LECTOREM RERVM BONARVM STVDIOSUM, *Typographus.*

OLympiæ Fuluiæ Moratę mulieris Ferrariēsis, omniū eruditissimæ Miscellanea hìc à nobis postremò editas, habes optime Lector, bonę frugis plenissima cum doctorum hominum iudicijs & laudibus.. Quæ nunc addimus Epitaphia & carmina, ne quid micarum tanti thesauri pereat, primum locum à Præfatione, aut saltem à calce opusculorum suorum tenere debuerant: sed è manibus exciderant, vt vix tandē ad finem totius operis recuperare potue

rimus. Qua de re te monere voluimus, vt partito hoc postremo folio, suo loco, vbi tibi magis commodum videbitur, reponas, defectumque nostrum suppleas. Vale.

Εἰ σάπφω δεκάτη μουσαίων ἐςὶν ἀδόντων,
Ενδεκάτη γράφεται ὀλύμπια θειοτάτη.

AD ILLVSTRISSIMVM NObilissimumq; genere & indole adolescentem D. Dominum Iacobum Marchionem Badensem.

Qui Musas Christi iunctas bene relligioni
Imbibis, hunc librum, quem tibi mitto, lege.
Paruus vt ille quidem est, conscriptus & à muliere,
Verè magna tamen continet ille tria:
Si modò res est magna, probè esse pium atq; disertum
Et doctum: tribus his, dic, quid amabilius?

DEO

fiſſet, inuentū eſt terræ plenam eſſe: & ad Rugerium conuerſus, Iam ne vides Rugeri, inquit ridens, quod tibi de fortuna paulo antè dicebā veriſsimum eſſe? ſed tamē virtus tua meretur, vt illius improbitati obuiam eam ac reſiſtam. At enim quoniam certò ſcio te in animo non habere Hiſpanum fieri, nullum in his regionibus oppidum, nullam vrbē tibi daturus ſum: ſed arcam illam quam tua tibi fortuna inuidit, ea inuita tuam eſſe volo, vt & tecum eam in patriam hinc auferas, & meritò inter tuos ciues meorum munerum teſtimonio de tua virtute gloriari poſsis. Tum Rugerius accepto munere, gratijsq; quantas maximas potuit, pro eo actis, lætus in Hetruriam incolumi fama & fortuna ſe recepit.

EX LVCA EVANGELISTA, Antonij Paganutij.

Lucas Theophilo.

Quandoquidem aggreſſi ſunt multi tradere monimentis literarum ea, quæ nobis certiſſimis argumentis comperta ſunt, quemadmodum tradiderunt nobis ij, qui rebus omnibus, quarum narrationem inſtituimus, non ſolùm interfuerunt, ſed earū etiam pars nonnulla fuerunt: non alienum mihi quoq; facere viſum eſt, optime Theophile, ſi eadem illa longe diligentius ac ſtudioſius à nobis perueſtigata tibi ordine perſcripſero, vt ea quæ auditione percepiſti, certius cognoſcas.

FINIS.